BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
19 — E
12
XIX. 13.
1. 34

HOMILIARIVM DOMINICALE,

A Dominica prima Aduentus, uſque ad Dominicam Trinitatis.

AVTHORE SEBASTIANO GOMESIO A FIGVEREDO LVSITANO, DOCTORE THEOLOGO,

Beatæ Mariæ Magdalenæ quondam collega apud Salmanticenſes, & ibidem publico Philoſophiæ profeſſore, nunc verò apud Nabantinos Ordinario; eorum aliorúmque omnium ad ordinem, & militiam Ieſu Chriſti ſpectantium Prælato, & Adminiſtratore.

Nunquàm anteà in lucem editum.

LVGDVNI,
SVMPTIBVS HORATII CARDON.
M. DC VI.
CVM PRIVILEGIO.

obſeruantiam,ſingularémque animi gratitudinem & beneuolentiam,ſempiternis illis monumentis teſtatam redderẽt, tum etiam vt iidem libri ex amplitudine nominis tantorum virorum dignitatem ac ſplendorem obtinerent, & ex authoritate eorundem contra aduerſariorum ob latrantium calumnias, tutamen, & præſidium conſequerentur. Et meritò certè ſapientes illi librorum ſcriptores hoc facere ſolebant, in primis, quia nullum opus eſt ad animi gratitudinem manifeſtãdam magis accommodatum, quàm illud (quales ſunt libri ipſi) in quo faciẽdo memoria, intellectus, & voluntas (quæ præcipuæ ſunt eiuſdem animi potentiæ) diuturno tempore maxima cum ſollicitudine versãtur. Deinde quia opus ipſum dicatum viris omni laude maioribus, cùm iam non ſit tam dicantis, quàm eorũ quibus dicantur, poterit minimè, tanquàm ſuperuacaneum aſpernari, & tanquàm vituperio dignũ haberi, & improbari. Quæ duo me valdè prouocarũnt, & vehementer impulerunt, vt hunc primum Homiliarium mearum tomum, quaſi earundẽ primitias, tibi, Præſul clariſſime, conſecrarem, dicarémque Typis mandatum. Sunt

enim

enim beneficia à te in me larga,& magnificâ manu collata,ampliſſima, maxima,& numero propemodũ infinita, quæ proinde non poſſum ſigillatim referre, & vix aut nullo prorſus modo ſufficienter declarare. *Grâtia Dei ſum id quod ſum*, aiebat Paulus, & à Deo in ſe gratis collata beneficia conſiderans. Ad quem ferè modũ ego etiã dicere poſſum me tuâ gratiâ, id quod ſum eſſe, ſiquidem nullis erga te mea ex parte præcedentibus meritis me ipſum omnium ope deſtitutum ſingulari beneuolentiâ es complexus,& illis beneficiis, quibus ſũ id,quod ſum,es magnificè proſequutus. Vt ergo grati mei in te animi,quẽ beneficiis ipſis immortalis amoris vinculo tibi obſtrinxiſti, aliquale tibi ipſi ſpecimen præberem, opus hoc qualecunque illud ſit,tibi dicare decreui,quia nihil voluntatis affectum accommodatiùs manifeſtat,quàm id,quod eiuſdem volũtatis intellectus & memoriæ effectus exiſtit. Sunt prætereà tua omnia tot ac tãtis laudũ encomiis digna,vt eo ipſo,quo aliquid tuum fuerit nõ minùs laudė dignum, quã à vituperio alienum ſit meritò iudicandũ. In libro à Cicerone de claro Oratore cõſcripto, ita ipſe eundem deſcripſit,vt nul-

1. Cor. 15. 10.

lus vnquam talem Oratoris perfectionem attigerit. Tu verò, ita Magiſtratus Eccleſiaſtici & ſecularis munus obiiſti, vt omnium Magiſtratuum laudibus obſcuritatem attuleris. Quanuis enim nō vnus ſolùm, ſed quàmplurimi etiam authores, varias, & diuerſas optimi Magiſtratus cōditiones, omnes tamen in eo requiſitas in ſuis libris deſcripſerint, tu nihilominùs ſolus ſic eaſdem omnes habuiſti, & expleuiſti vt nulla earum in te vno fuerit deſiderata: quia námque, ſicut ex homine hominem, & ex beluis beluam, ſic ex bonis bonum, & ex melioribus meliores generari probabile eſt, vt ait Ariſtoteles, & conſentaneum eſt, vt etiam ait Plato, meliores eſſe naturas nobili in genere, dicebat quoque Iſocrates maiores ſuos tantā modeſtiæ rationem habuiſſe, vt cum ſenatum Areopagiticum cēſuræ morum præficerent, nullum in eum ordinem admitterēt, qui honeſto loco natus non eſſet, & egregium virtutis & temperantiæ ſuæ ſpecimen invita præbuiſſet. Quàm etiam ob rem D. Thomas affirmat ad quamlibet dignitatem adminiſtrandam generis proſapiā in Magiſtratu maximè conferre, ne ipſe præcipiēdo ab iis quos regit

con

contemnatur. Quòd ſi generis nobilitas ad facilem Reip.adminiſtrationem valdè conducit, ſiq; , vt ait Bleſius effecta ſuas cauſas, & filij parentes referunt, & à bonis parentibus ita filij ipſi inſtituuntur, vt in eiſdem ad præclara nobilitatem vitæ, integritas accedat,quis te illuſtrior, & ad gubernandum aptior, qui non ſolùm à clariſſima maiorum ſtirpe originem duxiſti, verumetiam eum patrem illuſtriſſimum,& optimum meritiſſimum nempe Caſtanerienſem comitem habuiſti, qui totius Luſitaniæ regni clauum fœliciter tenuit, & te ſuo clariſſimo exemplo ad virtutem inflammato ſtudio conſectandam mirum in modum incitauit. Inquit Plato,qui ſingulis ætatibus ſemper, pueritiâ nimirum, adoleſcentiâ, maturâque ætate probatus eſt, & immaculatus exiſtit, cuſtos & iudex ciuitatis conſtituendus eſt. Quis ergo maiori cum ratione quàm tu,Reip. regimen obtinuit?quíſve, ipſam maiori cum ſufficiẽtia adminiſtrauit? fuiſti quidem ab ineunte ætate optimis moribus imbutus & per totum pueritiæ & adoleſcentię decurſum, talibus liberalium aliarúmque artium maximarum diſciplinis,tua nobilitate dignis,illu-

ſtriſſimam tui generis claritatem exor-
naſti, & maximum tuum ingenium ex-
coluiſti, & tot, ac tantis virtutibus tuum
animum condecoraſti, vt adhuc adole-
ſcens,& nondum ferè virilem ætatem at-
tingens in grauiſſima, cathedralíque Vi-
cenſis Eccleſiæ ſede (quod nullis his tem-
poribus vnquàm contigit) merito atque
optimo iure fueris conſtitutus. Deus iu-
dex iuſtus,fortis & patiens, ait Dauid, vt
hominibus futuris iudicibus, & guberna-
toribus,perſuadeat,debere eos, vt Deum
ſummum iudicem, & ſupremum guber-
natorem imitentur ac proptereà iudican-
di munere rectè fungantur, bonitatem,
iuſtitiam,fortitudinem,& patientiam ha-
bere. Et certè de bonitate,quæ etiam per
iuſtitiam ſignificatur,ait Plato, bonum,&
ſapientem oportet eſſe iudicẽ; priùs qui-
dem bonum, & deinde ſapientem quod
priuſquàm ille, iam inſinuauerat Dauid,
Pſal. 118. 66. cum Deo ita loquens: : *Bonitatem*, inquit,
& diſciplinam doce me,quia nempe ſine bo-
nitate & charitate,quæ ædificat, ſcientia
inflat,& plùs nocet quàm proficiat. Quã
etiã ob cauſam,veteres Atheniẽſes (vt au-
thor eſt Iſocrates) non temerè quoſuis ad
conſilia,& magiſtratus admittebant, ſed
opti

optimos, & vitæ integritate ſpectatiſſimos,atque prudentiſſimos. Non ſatis eſt, (ait grauis quidam noſtri ferè temporis author) vt conſiliarij docti ſint,niſi & Deũ timeant. Anima iuſti aliquando magis videt vera, quàm ſeptem ſpeculatores, pius homo,& ſi vnus ſit, tamen aliquando totum populum à perditione conſeruat. Ea profectò fuit in te puritas,ea vitæ integritas & probitas,vt vnus cùm ſis,plurimos tuo præclaro exemplo in officio contineas, & à quocunque malo faciendo omnes deterreas. Debent etiam, qui Reip.habenas moderantur,iuſti eſſe, hoc eſt,iuſtitiæ amatores. Iuxta illud Sapientis dictum,*Diligite iuſtitiam,qui iudicatis terram.* Quæ vtilis in iuſtitiam propenſio, in te non defuit,imò mirum in modum floruit.Semper enim te in repellendis malis acrẽ, & in religioſi iuris æqualitate tuenda conſtãtem, & in adminiſtranda Reip. ſapientem ita exhibuiſti, vt quemadmodum Cicero dicit magiſtratus leges eſſe loquentes, leges autem mutos magiſtratus, ſic & nos dicere poſſimus, te magiſtratum huius noſtræ tempeſtatis eximium legem loquentem eſſe : ſiquidem quidquid in te eſt,videtur loqui, & vnũ- Sap. 1.1.

quenque ad iuſtitiam amplectendã maximè concitare; neceſſe quoque eſt, vt, qui alios gubernat præterquàm, quòd ſit iuſtus, fortis ſimul exiſtat. Id quod ſic cõſulit Eccleſiaſticus, *Noli quærere fieri iudex,*
Eccl. 7. 6. *niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potentis.* Vnde Philo libro de iudice egregiè dicit, *Is*, ait, *qui ad iudicandum aſcendit tribunal, iudicari ſe non minùs, quàm iudicare cogitet: & vna cum poteſtate aſſumat prudentiam, ne decipiatur, iuſtitiam, vt ſuum cuique tribuat: fortitudinem, ne flectatur precibus, aut miſericordiâ quominus in conuictos ſceleris animaduertat.* Nihil magnum, vt ſimiliter ait Beſarion, aut dici aut fieri poteſt, niſi quis, quæ ſibi vera videantur forti animo dicat, paratúſque ſit calumnias, & pericula pati pro defenſione veritatis. Vnde, vt ait Nazianzenus, prudentia & fortitudo principatum gubernant, altera excogitans, quid faciendum eſt; altera facilè perficiens quod inuentum eſt, & quid maximum eſt puritas manus, quâ omnia diriguntur, quæ grauiſſimorum authorũ de fortitudine ſcripta, non alium, quàm teipſum adæquatè deſcribere videntur. Fuit enim in teipſo, non ſolùm quãdo paſtorali munere fungebaris,

gebaris,ſed etiam quando eo relicto,maiorem & difficiliorem prouinciam adminiſtrandam ſuſcepiſti, ſupremi Senatus conſiliarius iam effectus,tam admirabilis fortitudo,tam eximius veritatis zelus, & tam ſingularis manuum puritas, vt nunquàm fueris ſpe allectus, nec gratiâ flexus, nec autoritate fractus, nec tandem vllius cauſâ ab æquo & bono retinendo aliqualiter dimotus. Requiritur denique in quocunque cæterorum gubernatore, vt ad iuſtitiam,& fortitudinem,patientiã ſimul adiungat,ſeu,quod idem eſt, vt patiens ſimul exiſtat.Eſt enim patientia ipſa admodùm neceſſaria in iudicibus & magiſtratibus, quippe qui moleſtis & importunis litigantium precibus, & querelis ita obruuntur,fatigantur & irritantur, vt non facile ſit,ſub iride non commoueri. In iuris æqualitate exercenda, ait Cicero,etiam eſt facilitas,& altitudo animi, ne ſi iraſcamur, aut intempeſtiuè accedentibus,aut imprudenter rogantibus,in moroſitatem inutilem, & odioſam incidamus.Et tamen ita probanda eſt mãſuetudo atque clemẽtia,vt adhibeatur Reip. causâ,ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt. Et hanc ſimiliter pa-

tientiæ,

tientiæ,& benignitatis virtute,ſic ſemper amplexus es, vt nulli te quærenti fuerit vnquàm aditus interclusus, imò omnes omni tempore benignè receperis, libenter audieris, & quocunque errantes in viam veritatis inuicto animo reduxeris. Quid hîc referam inflammatum Chriſtianæ religionis ſtudium, cuius ſpecimẽ in quibuſcunque rebus oſtendiſti! quid admirabilem venerationem! quid pias & religioſas cæremonias, quid eximiũ cultum, quibus Deum proſequutus, ipſum ſimul docuiſti proſequẽdum? Prætermitto curam vigilantiſſimam, & ſollicitudinem maximam, quâ tibi cõmiſſis ouibus proſpexiſti. Prætermitto experientiam ſingularem, quam longo rerum vſu tibi comparaſti, quaq; ſic prudenter te omnibus in negotiis geſſiſti, vt boni omnes humanitatem tuam maximè dilexerint, & omnes mali ſimiliter ſeueritatẽ tuam vehementer reformidauerint. Cùm igitur tua generis proſapia fuerit tam illuſtris, tua educatio in infantia, & inſtitutio in pueritia, tam egregia, tua vitæ integritas, & puritas in reliquis ætatibus, tã eximia, tua probitas, tam præclara, tua prudentia tam rara, tua iuſtitia tam ſingularis, tua

fortitu

fortitudo tam inaudita, tua denique patientia tam admirabilis, vt omnes clariſſimi magiſtratus vices à variis authoribus deſcriptas optimè expleueris, quid tuum erit, quod laude non ſit dignũ, & ab omni detractione prorſus alienum? Ideò ergo dicando tibi librum hunc, illum ex meo tuum efficio, vt à rabioſis æmulorũ oblatrantium dentibus, tanquàm tuus, illæſus omninò euadere poſſit, & ſicut cętera tua omnia laudibus extolli, & in honore, & pretio habere valeat. Benignè igitur accipe, Præſul clariſſime, has noſtrarũ Homiliarum primitias, qualeſcunque illæ ſint, eaſdémque ſub vmbra alarũ tuarum protege: ſi enim hic meus ipſarũ labor tibi non diſplicuerit, in eo minimè retrorſum conuertar, imò vlteriùs progredi, Deo propitio (& te fauente) contendam.

Vale.

AD LECTOREM.

SOllicitus fui, lector optime, in commentariis ſuper Pſalmum quinquageſimum à me nuper editis, dum poſt meridianis concionibus materiam, in illis ſubminiſtrarem, m e ſi id per tempus liceret, eandem materiam matutinis eſſe etiam ſubminiſtraturum. Id ipſum hoc primo Homiliarum mearum tomo facere duntaxat incipio, & perficere ſtatim non poſſum, infinitis propemodum negotiorum occupationibus implicatus, & vtinam bene incipiam, ſiquidē dimidium facti, qui bene cœpit habet, vt eſt cōmuni prouerbio vſurpatum. Elegi autem ex vnoquoque, cuiuſque Dominicæ per annum decurrentis Euangelio, peculiaria quędam loca in Homilia eius diei explicanda, & cętera ipſius Euangelij datâ operâ prætermiſi, illa fortaſſe poſtea Homiliis aliis (ſi Deus totius boni author id dederit) ſimiliter explicaturus. Hoc autē animaduersū in hoc opere eſſe cupio, in vnaquaque nēpe eiuſdem Homilia communia aliqua loca contineri, quæ facillimo negotio ad explicationem aliorū Euangeliorum temporis decurrentis, poterunt rectè accommodari, & diuerſis feſtiuitatum concionibus vtiliter inſeruire. Habes igitur, optime Lector, in hoc meo labore (cuius omnes partes cenſurę & correctioni ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectas eſſe volo) non Homilias ſolùm Dominicarum proprias, ſed illa etiam in ipſis. Ex quibus alias tuo modo Homilias ipſe facillimo negotio conficere poteris. Bene valeas.

FRATRIS MICHAELIS
IN NABANTINO COLLEGIO ARTIVM PROFESSORIS.

Eiuſdémque Gymniſiarchæ Epigramma in laudem Authoris.

EMicat in rebus prudentia mira gerendis,
Paſtoris munus dum vigilanter agis.
Concio multa tuo dependet ab ore loquentis,
Eloquio ſacro dum tua lingua tonat.
Cœleſtis reſerata patent myſteria regni,
More facis lucem dum tua ſcripta ferunt.
Qui prudenter agit, loquitur, ſcribitq́ diſerta
Omnibus ex alto luceat ille loco.

Aliud eiuſdem in laudem ipſius Authoris.

CVm te nobilitas gentis, prudentia mentis
Ornet, & egregium laude ſub aſtra ferat
Cùm tua dicendi populo miranti facultas
Sacret Olympiaca nomen in arce tuum,
Cùm ſcribas limata, feret, quæ fama per orbem,
Et quæ continuò dextera docta teret.
Ornatus tot nominibus, pulchreq́ decorus
Tot titulis gentem Lyſiadum decoras.
Iure igitur te Lyſiadæ venerentur honorem,
Cùm decus illorum tu prius extiteris.

FRATRIS ANTONII DOSOVRAL.

Epigramma in laudem Authoris. S.

DVm ſacra miranti populo myſteria pandis,
Ac ſanctis Doctor dogmata ſancta doces:
Fœcundo eloquio rapis in cœleſtia mentes,
Vt ſolum ſuperis quod placet, illud agat.
Sic bene commiſſas per paſcua læta vagantes,
Diuino paſtor gramine paſcis oues:
Nec tamen hoc viſum ſatis eſt tibi; ſcripta dediſti,
In quibus & pietas relligioq́ micat.
Das iterum in longum victura volumina tempus
Chriſtadum valeant, quæ recreare greges.
Hic quoque rem gratam populi doctoribus offers
Omnibus, vt præſtes officioſus opem,
Viue pater; maiora tibi curanda ſuperſunt.
Chriſticolæ, quando eſt, tam bona cura gregis.

Digitized by Google

HOMILIA IN ILLVM LOCVM, LVC. 21.25.

Tunc erunt ſigna in Sole, &c.

NVNC quidem eſt Sol inſignis, tunc autem erunt ſigna in Sole. Quod vt intelligatur, ſciendum eſt, ſydera illa ſeu ſtellas, quas in Zodiaco animalium figuris imaginamur, ſigna appellari, quia peculiares Solis in ipſis exhibentis operationes denotant. Eſt præterea notandum, Sanctos per ſydera & ſtellas à D. Paulo deſignari, dum dicit, quòd *ſicut ſtella differt à ſtella ſic ipſi differunt*, & alibi, quòd *ab vno orti ſunt tanquàm ſydera*, &c. Eſt denique notandũ, in ſacris literis Chriſtum Dominum per Solem ſignificari, quod conſtat ex illo Malachiæ: *Vobis timentibus nomen meum, orietur Sol iuſtitiæ.* Et ex illo Ezechielis: *Solem nube tegam*, &c. Quibus animaduerſis, poterit circa propoſita verba conſiderari, quòd nunc, hoc nempe tempore, Chriſtus Dominus tãquàm Sol Iuſtitiæ eſt inſignis, hoc eſt, in Sanctis, operando ſcilicet ſicut Sol in his rebus inferioribus, iuxta ſignorum naturas & affectiones in hominibus,

1. Cor. 15. 41. Hebr. 11. 12. Malach. 4. 2. Ezec. 32. 7.

ſecundùm eorundem Sanctorum propenſiones & preces, ac præſertim ſecundùm inclinationem illius ſigni inter cætera magni, quod dicitur Virgo. De quo habetur in Apocalypſi: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole.* Per quę verba deſignatur Deipara virgo, in cuius viſcera poſtquàm ipſe Dominus eſt ingreſſus, quaſi filius matris miſericordię, Patrem miſericordiarū, & Deum totius conſolationis ſe nobis exhibet, quia nimirū eſt in tali ſigno, nempe in Virgine, & in aliis, nempe in Sanctis, quorum naturam ſapit, tunc verò, vltimâ videlicèt iudicij die, non quidem erit Sol in ſignis, ſed erunt ſigna in Sole iuſtitiæ, hoc eſt, Sancti per ſigna ſignificati, imò & ipſa Virgo, non quidem Chriſtum precibus ad pietatem mouebunt, ſed induent naturam, indignationémque ipſius iuſti, & reguroſi iam iudicis exiſtentis, dicéntque eidem illud Dauidis: *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis.* Dum igitur ad iſtud horribile *Tunc*, non peruenimus, imò ſumus in hoc *Nunc*, de quo ait Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile,* quod etiam vocat Dauid tempus ad orandum opportunum, dum ait: *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno:* innuens ſimul tale non eſſe tempus iudicij, de quo ſtatim adiicit: *In diluuio aquarum multarum* (per quas labores ſignificantur) *ad eum non approximabunt.* Sancti ſcilicet pro hominibus precantes, imò erunt *gladij ancipites in manibus eorum,* vt habetur Pſalm. 149. *ad faciendam vindictam in nationibus, vt faciant in eis iudicium conſcriptum,* vt paulò pòſt adiicitur, in hoc inquā *Nunc*, opportuno & acceptabili, in quo eſt Sol inſignis,

Apoc. 12. 1.
Pſ. 93. 2.
2. Cor. 6. 2.
Pſ. 31. 6.
Ibid. verſ. 7.
Pſa. 149. 6. 7.
Ibid. verſ. 9.

inſignis, hoc eſt, in quo Dominus eſt mirabilis in Sanctis ſuis, quorum precibus flectitur, ad mira miſericordiæ opera facienda. Vtamur erga ipſum interceſſione eorundem, & præſertim beatiſſimæ Virginis, inter ipſos Sanctos ſanctiſſimæ, ad impetrandam eam gratiæ portionem, quâ nunc ad tam neceſſarium negotium pertractandum indigemus, dicentes eidem, *Aue Maria*, &c.

Tunc erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis. Signa, inquam, belli & non pacis. In primo Chriſti Domini aduentu plurima fuerunt ſigna non quidē belli, ſed pacis. Nam Angelus, qui (vt refertur Lucæ 2.) è cœlo veniens nuntiauit paſtoribus eiuſdem aduentum, cùm claritas ſimul circumfulſiſſet illos, eiſdē dixit: *Nolite timere. Ecce enim euāgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignū: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. 10. 11. 12. 13. 14. Quæ omnia, nimirum noua lux, & claritas, timoris expulſio, bonum & lætum nuntium, natiuitas Chriſti, & eiuſdem infantia, inuolutio in pannis, & poſitio in præſepio (de quibus peculiariter dictum eſt, *Et hoc vobis ſignū*) ſigna fuerunt pacis, quæ etiam eâ tempeſtate in toto terrarum orbe maximè viguit, ſed maximū & potiſſimum eiuſdem pacis ſignum extitit illud, nimirum quòd multitudo militiæ cœleſtis, ſeu, quod idem eſt, copioſus Angelorū exercitus

tunc cantauerit canticum pacis, dicens: *Gloria in*
Simile. *excelſis Deo, & in terra pax hominibus.* Quemadmodum enim ſi clerici & quicunque alij viri religioſi arma geſtent, & publicè armati incedant, maximum eſt belli indicium: ſic etiam pacis ſignum eſt maximum, ſi ſimiliter arma abiiciant, & illis relictis, citharas, aliáque inſtrumenta muſica aſſumant, pacíſque cantilenas cateruatim cantent.

At verò in ſecundo Chriſti Domini aduentu, quando ipſe ad iudicandum venerit, erunt ſigna militaria in Sole, Luna, & ſtellis. Nam præter il-
Matt. 24. lud regale Chriſti ſignum, de quo dicitur: *Tunc*
30. *apparebit ſignum Filij hominis in cœlo*, multa alia militaria ſigna in Sole, Luna & ſtellis apparebũt lugubria, & pernicioſum minitantia mundo exitum, & legiones Angelorum ſibi ipſis militãtes, numero propemodùm infinitæ, inter quos Angelus ille veniet, qui, vt habetur *Exod.* 12. quãdam nocte occîdit omnes primogenitos Ægypti, & ille, qui in temporis momento interfecit octuagintaquinque millia hominum ex exercitu Sennacherib, vt etiam habetur 4. *Reg.* 36. & quamplurimi alij, his in robore & fortitudine ſimiles, inira ſimiliter operantes. Cùm autem ipſi ſint
Dan. 7. numero infiniti, iuxta illud Danielis: *Millia mil-*
10. *lium miniſtrabant ei*, & venturi ſint omnes cum eodem Chriſto Domino generaliſſimo ipſorum
Matth. 25 duce, ſicut dicitur *Matthæi* 25. vbi habetur: *Cùm*
31. *venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ*, maximum quidem hominibus timorẽ incutient, & certa horrendi belli ſigna dabunt,

cùm

cùm præſertim ipſe diuinus Dux, non ſolùm eoſdem Angelos, ſed etiam (quòd magis horrẽdum eſt) ſuum zelum & iram, omnémque creaturam contra ipſoſmet homines ſit armaturus. Id quod indicat illud: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* *Sap 5. 18.*

De Tamberlane ſęuiſſimo Sytharum rege (qui aſſeruit ſe nõ eſſe hominem, ſed potiùs iram Dei ad hominum perniciem in terris agentem, vt refert Sabellicus) narrant graues authores, quòd cùm militare nigri coloris ſignum aliquam vrbem expugnaturus euexiſſet, ſignificabat pernicioſum ipſius & ciuium exitium certè futurum, quod in eadem ingreſſus exactiſſimè exequebatur. Quid igitur dicendum erit de potentiſſimo non ſolùm Scytharum, ſed omnium nationum rege (cuius iram non quidem armatam, ſed inermem Tamberlanes ſe eſſe dicebat) cùm vniuerſam mundi machinam & ciuitatem expugnaturus, præter ſuum regale vexillum, tot nigri coloris ſigna in Sole, Luna, & ſtellis exiſtentia, tot ac tantas calamitates ſignificãtia ſit euecturus, cúmque ante ipſum horribilis ignis eidem viam pandens & aperiens ſit præceſſurus, iuxta illud: *Ignis ante ipſum præcedet*, & denique cùm in circuitu ipſius (qui quando vult profert ventos de theſauris ſuis) ſit futura eorum tempeſtas valida, quâ tanquàm miniſtrorum cateruâ conſtipatus incedat. Obſcurabitur quidem Sol, & Luna non dabit lumen ſuum, non conuertetur nox in diem, ſicut factum fuit in primo Chriſti aduentu, ſed è contrà dies conuertetur in noctem: quod facient ea ſigna, quæ in Sole, & Luna, & ſtellis reperien-

Simile ab exemplo.

Sabel. lib 8.

Pſ 96. 3.
Pſ. 134. 7.
Pſal. 49. 3

tur,& virtutes cœlorum ita commouebuntur, vt aër fulgoribus, tonitruis, & fulminibus totus repleatur. Tot ac tanti erunt terræmotus, vt ſuperba & fortia ædificia, imò & montes ipſi, miſerabili ruinâ paſſim corruāt. Mare adeò intumeſcet, vt præ confuſione ſonitus, fluctuum ipſius, & expectatione eorum, quæ ſtatim ſuperuenient vniuerſo orbi (quorum hæc ſunt ſigna) homines penitùs areſcant.

Quem ſecundum Chriſti aduentum Tertullianus, author omnium Latinorum antiquiſſimus, *in libro De pudicitia*, & D. Cyprianus *Sermo. 3. De bono ſapientiæ*, & plurimi ex recentioribus diuinæ Scripturæ interpretibus eorum ſententiā
Iſ.42.13. ſequentes aſſerunt prædictum fuiſſe *Iſa.* 42. vbi habetur : *Dominus ſicut vir fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum, & vociferabitur, & clamabit, & confortabitur ſuper inimicos ſuos. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul.* Quæ verba, quia eorum explicatio intelligentiæ illorum quæ dicta ſunt valdè inſeruiunt, erit operæpretium explicare. *Dominus* (inquit Propheta) *ſicut vir fortis egredietur*; quaſi dicat, Non ſicut infans inuenietur à paſtoribus poſitus in pręſepio, & pannis inuolutus, ſed tanquàm vir robuſtus & fortis, peccatores
Simile. inueniet & puniet. Nam ſic modò ſe habet Dominus erga homines, ac ſi eſſet infans quidam ac puer, qui ſæpiſſimè offenſus, & plurimis iniuriis affectus, nō ſepties, ſed ſeptuageſies ſepties ipſum offendentibus, & iniuriis afficientibus parcit, ſi pomum, vel aliquid aliud parui ponderis & nullius ferè momenti ipſi porrigant, aut aliqualiter

verbis

verbis ſaltem blandiatur. Ad quem modum Dominus ſæpiſſimè ab hominibus offenſus, eiſdem, licèt leuiter propter culpas pectus percutientibus, vel ſe ampliùs non eſſe peccaturos proponentibus, vel aliquid, etſi parui ponderis & momenti, qualis eſt buccella panis, vel potus aquæ propter ipſum Deum pauperi porrigentibus, veniam elargitur, quamuis certò ſciat, ipſos ſimilia crimina paulò pòſt eſſe commiſſuros.

Nec ſimiliter erit tunc tanquàm infans, qui vbi primùm naſcitur, pannis ita inuolutus eſt, vt manibus nemini nocumentum inferat, quo etiam modo ſe nunc Dominus habet, ſiquidem ita ſibi illatas iniurias tolerat, ac ſi iunctas & ligatas haberet manus ad eaſdem vlciſcendas, ſed erit ſicut vir, pueri ligaminibus omninò carens, & tantâ fortitudine in manibus pollens, vt ſolus earum tactus potens ſit, maximos labores & innumeras calamitates efficere. Id quod ſignificauit Iob dicens: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos* Iob 19.21. *amici mei, quia manus Domini tetigit me*, ſignificãs ſimul ſolum Diuinæ manus tactum omniũ ſuorum laborum & miſeriarum fuiſſe cauſam. Quod etiam inſinuauit dæmon (vt eodem in libro refertur) cùm dixit: *Extende paululùm manum tuã*, Cap. 2. 5. &c. innuens Diuinam manum, ſi paululùm extendatur, ſummos labores eſſe effecturam. Quapropter Paulus ait: *Horrendum eſt incidere in ma-* Heb. 10. *nus Dei viuentis*, ſcilicet vt iudicet, & non Dei 31. mortui, vt ſaluet; quod quidem quàm horrendum ſit, ſignificauit ipſe Dominus per Ezechielem dicens: *Ecce ego plaudam manu ad manum, & imple-* Ezec. 21. *bo indignationem.* quod quidem poterit tunc fa- 17.

cere,quia iam non vt infans pannis inuolutus,ac proinde manus habens ligatas,ſed vt vir fortis egredietur.

Nec etiam erit vt infans humilis poſitus in præſepio, ſed vt vir magnus *ſedebit in ſede maie-*
Verſ.31. *ſtatis ſua*,ſicut conſtat *Matth.25.*(quam maieſtatẽ tremendam vocat Eccleſia, cùm dicit: *Rex tremenda maieſtatis*) vt vnuſquiſq; intelligat, quodcunque crimen contra ipſum commiſſum,crimẽ eſſe læſæ maieſtatis,atque tanquàm tale,licèt minimum videatur eſſe,ab ipſo grauiſſimè puniendum,nec aliquam culpam,licèt leuiſſima ſit,eſſe impunitam relinquendam. Ecce ergo quomodo ſicut vir fortis,& non tanquàm puer(ſicut fuit in primo aduentu)egredietur.

Et quaſi vir prœliator ſuſcitabit Zelum. Hoc eſt, ſicut vir prœliator ſe habebit, ſiquidem à Sapien-
Sap.5.18. te dictum eſt: *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum*, quæ cum ipſis horridum bellum geret. Nam Sol,Luna,& ſtellæ, imò & quatuor elemẽta mundi in ea ſuis inuſitatis tranſmutationibus vehementer inſurgent, & ſuſcitabit ipſe Dominus iram & zelum ſuum, qui nunc quaſi dormire,& graui ſomno conſopitus iacere videtur. Id quod maximum peccatoris ſupplicium in hac
Ezec.16. 42. vita eſt,iuxta illud: *Auferetur à te Zelus meus, nec iraſcar ampliùs.* Videtur itaque ira & zelus Dei nunc dormire, quia tot ſcelera diſſimulat, tanta flagitia tam patienter tolerat, & tam turpia crimina ſine ſupplicio prætermittit. Quod quia ſic fieri ſolet, appellatur hic mundus, in quo viuimus, terra obliuionis, dum dicitur à Dauide:
Pſ.87.13. *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua,*

aut

aut iuſtitia tua in terra obliuionis? quia videlicet videtur Dominus ſcelerum infinitorum nunc obliuiſci, ſiquidem ea nō punit. Quam etiam ob rem habetur *Pſal. 72. Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo.* Quem locum explicans D. Auguſtinus ait: *Verè magnus labor eſt, cognoſcere quomodo & Deus curet res humanas, & benè ſit malis, & laborent boni,* quapropter futurus eſt dies vltionis, & iudicij, in quo diuina Dei iudicia cognoſcantur, & eius iuſtitia manifeſtetur, cùm non ſolùm homines de ſuis operibus exactam rationē reddiderint, ſed etiam cùm ipſe Deus de ſe ſuáque prouidentia ſufficientem rationem dederit, patefeceritque, quare tanta, & tot flagitia tanto tempore diſſimulauerit, & cùm tanto ſupplicio digna eſſent, tandiu impunita reliquerit. Pſ. 72. 11.

Suſcitabit ergo tunc zelum ſuum, quia non ſolùm zelus Dei, ſed etiā ipſe Deus propter eandem rationem dormire videtur, ad quod videtur reſpexiſſe Dauid, quando dixit: *Excitatus eſt tanquàm dormiens Dominus, tanquàm potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora.* Pſ. 77. 65. In quibus verbis ſignificat, nón quomodolibet videri Deum dormire, ſed tanquā eum, qui multo vino inebriatus tam profundo ſomno conſopitus iacet, vt magnis clamoribus ad hoc, vt excitetur, indigeat. Eſt quidem Deus vino charitatis, quâ homines diligit, tam inebriatus, vt non excitetur quocumque clamore, quem eorū peccata emittant (ſolent enim peccata ad Deum clamare, ſicut clamabat fratricidium Abelis pro vindicta contra Caim fratrem, & interfectorem ipſius; vt patet *Geneſ. 4.*) ſed opus eſt, vt clamor Gen. 4.

peccatorum ad eiuſdem excitationem multipli-
Ge. 18. 20. cetur, vt conſtat *Gen. etiam* 18. vbi dicitur: *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt*, &c. quodam more multiplicato, & ipſo Deo, quaſi à ſomno excitato ipſi Sodomitæ horribili ſupplicio affecti ſunt; & merito quidē atq; optimo id iure: nā illi Deū illudebant, ſiquidem quando ex parte ipſius Loth eiſdem prædicabat; & prædicebat futuram vrbis ſubuerſionem, tam parui illum pendebant, vt viſus eſſet eis quaſi ludens loqui, ſicut ibidem dicitur, quapropter eo tam acerbo ſupplicio puniti fuerunt. Similiter etiam, quia, vt refertur *eodem*
Geneſ. 9. *lib. cap. 9.* dum dormiret Noë in tabernaculo ſuo, crapulatus à vino, illuſus eſt à Cam impudente eiuſdem filio, qui ipſum ſubſannabat, quæ tamen Iapheth, alter eiuſdem filius, pietate patris commotus, cooperuit, ne verenda ipſius paterent, & apparerent; honorque eiuſdem propterea detrimentum pateretur, ipſe Noe depulsa iam ebrietate, & à ſomno excitatus Iapheth quidem benedixit, Cam verò maximâ maledictione percuſſit. Ad quem modum quando clamor peccatorum ita in mundo multiplicatus fuerit, vt Deum vino charitatis inebriatum, & ab ipſis per peccata illuſum quaſi à ſomno vltimâ iudicij die excitent, eos percutiet maledictione horribili, vt habetur
Verſ. 41. *Matth. 25* dicens: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius*: iu-
Matt. 25. 34. ſtos verò benedictione afficiet, dicēs ſimiliter: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Pſal. 77. 66. Atque ideò additur in Pſalmo, *Percuſſit inimicos in poſteriora eius*, quæ verba duo dicunt: primū eſt,

eſt, quòd inimicos tantummodò percutiet: ſecundum eſt, quòd illos percutiet, quaſi ex inſidiis, & quando ipſi illud minùs cogitent. Quod attinet ad primum, certum eſt quòd omnes labores, & calamitates & illud bellum, quod Deus tunc geret, non erunt iuſtis, ſed peccatoribus inferenda. Quã etiam ob cauſam in 5. *cap. Sap.* quod modò citatum eſt, dicitur, quòd armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & non amicorum, quales ſunt iuſti. Et ſimiliter *Iſa. 13.* de die hac habetur: *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, ad conterendos peccatores.* Iuſti enim tunc maximâ lætitiâ afficientur, quibus propterea dicit Chriſtus Dominus loquens de ſignis in Sole, Luna, & ſtellis exiſtentibus, & de cæteris calamitoſis rebus: *His fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra*, quaſi dicat, peccatores, qui modò ad libitum viuunt, & ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis, vt dicitur *Iob. 21.* incredibili triſtitiâ afficientur, capútque ſuum, quod nimis elatum habebant, nimis etiam deiicient: iuſti autem tunc caput extollent, & vehementer exultabunt. Quẽadmodum enim quando claſſis aliqua Chriſtianorum potentiſſima, vrbem aliquam infidelium expugnatura, ad eiuſdem portum peruenit, eodem inſtrumentorum bellicorum ſonitu, ſtrepitu, & apparatu, quibus ipſius vrbis ciues perterriti contremiſcunt, captiui Chriſtiani, qui ibidem vincti tenentur, maximè lætantur: ſic etiam illa omnia hucuſque relata, quæ in aduentu Chriſti Domini ad iudicium peccatores vexabunt, iuſtos ſolatio afficient, & conſolabuntur. Id quod Petrus Apoſtolus ſignificauit dicens: *Pœnitemini igitur,*

Iſa. 13. 9.

Luc. 21. 28.

Simile.

Act. 3. 19. 20.

igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, vt cùm venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt nobis, Ieſum Chriſtum, &c. percutiet igitur tunc, non iuſtos, ſed peccatores.

Et peccatores quidem in poſteriora percutiet (quod erat ſecundum) quaſi ex inſidiis, & quando illud minùs putauerint. Quamobrem dicitur
2. Pet. 3. 9. quòd *adueniet dies Domini tanquàm fur, qui tunc domum inuadit, quando omnes in ea dormiunt, &*
Gen. 7. 11. *nullus vigilat. Geneſ.* 7. refertur, quòd *anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt*, &c. vbi per menſem ſecundum intelligunt graues authores menſem Malum, quod tempus eſt iucundius, & ſuauius totius anni, quia incipiebat annus à menſe Aprili, alij verò Doctores propter eandem rationẽ intelligunt per menſem ſecundum, menſem Septembris, quod tempus ſimiliter iucundum, & ſuaue eſt, quod dixerim, vt intelligantur tunc peccatores aquis diluuij fuiſſe obruti, quando pluribus deliciis circumfluebant, & maiori obli-
Luc 12. uione tenebantur. Quando, vt refertur *Lucæ* 12.
19. 20. diues ille auarus dicebat: *Requieſce anima mea, comede, & bibe, habes enim multa bona repoſita in annos plurimos*, dictum eſt illi: *Stulte, hac nocte repetent à te.* Quapropter Paulus de talibus loquens
1. Th. 5. 3. ait: *Cùm dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis veniet interitus.* Quod inſinuauit Chriſtus Dominus, ſignificans aduentũ ſponſi ad nuptias
Mat. 25. 6. futurum eſſe media nocte, quando dixit: *Mediâ autem nocte clamor factus eſt, Ecce, ſponſus venit,*

quo

quo tempore fuerunt inuentæ non ornatis lampadibus virgines fatuæ, per quas animæ peccatrices ſignificantur, quas quaſi ex inſidiis percutiet Dominus in poſteriora.

Additur denique in loco Iſaiæ, quem exponebamus, præter illa verba, *Vociferabitur, & clamabit, & confortabitur ſuper inimicos ſuos*, illud nẽpe, *tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul.* Circa quod occurrit conſideranda cauſa, ob quam Deus tandiu *ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*, nempè peccatores, vt Paulus dicit *Rom. 9.* Ro. 9. 23.
cauſa enim eſt, quã ſtatim reddit ipſe Paulus dicens, *vt nimirum oſtẽderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordię, quę præparauit in gloriã.* Quemadmodum enim iudex mulierem prægnantem iam ad mortem condemnatam non iubet occîdi, quouſque pariat, partúmque in lucem edat, quod non facit motus miſericordia mulieris, ſed partus ex ea naſcituri: ſic etiam naturam humanam interitu propter peccatá digniſſimam Deus non ſtatim interimit, neque vſque ad internecionem delet, in primis, quia expectat donec omnes prædeſtinatos parturiat, & numerus eorum omninò compleatur. Iuxta quem loquendi modum videtur idem Paulus loquutus fuiſſe, cùm dixit: *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc*: vbi per verba, *omnis creatura*, videtur ſignificari homo, qui, quia omnium creaturarum participationem habet, *omnis creatura* dicitur *Marci vltimo*, dũ ibi dicitur, *Prędicate Euangelium omni creaturæ.* Deinde proptereà Deus tot peccata diſſimulat, & peccatores

Simile.

Ro. 8. 21.

Marc. vlt. 15.

peccatores ſtatim non punit, vt eos ad pœnitentiam ſuâ benignitate moueat, & eiſdem ſe conuertentibus veniam concedat, iuxta illud Iſaiæ: *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.* Quamobrem cuicumque peccatori in peccato perſeueranti, & hoc non conſideranti ait Paulus: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & benignitatis eius contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* In quibus verbis datur intelligi, id quod in his,quæ explicamus, etiam dicitur, nimirum quòd abutendo homo bonitate,patientiâ, & benignitate Dei, ſic theſaurizat eius iram in diem iudicij, vt ipſe Deus merito atq; optimo iure tunc dicturus ſit: *Tacui ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul,* quæ verba maximam, & inuſitatam Chriſti Domini iram, & ſummum, horrendúmque ſupplicium, quo peccatores puniturus eſt, inſinuant.

Iſa. 30. 18.

Rom. 2. 4. 5. 6.

Nec mirum eſt quòd ille qui, ſicut ait *Iſaias, tanquàm ouis ad occiſionem ductus fuit, & tanquàm agnus coram tondente ſe obmutuit*, atque adeò manſuetus,& mitis ſemper extitit, vt diſcipulis dixerit: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*, in tantam iram,& furorem (quem vehementer reformidabat Dauid, quando eidem dicebat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*) deuenerit, ſiquidem ſæpe

Iſa. 53. 7.

Matt. 11. 29.

Pſal. 6. 1.

contin-

contingere ſolet, vt homo, qui plurima opprobria patitur, & ad inimicorum iniurias, laboréſque ſe quaſi ſenſus expertem exhibet, tardúſque non ſolùm ad vltionem, ſed etiam ad iram exiſtat, ſi ſemel iraſcitur, verè iraſcatur, & in vehementiſſimum furorem exardeſcat. Cuius rei manifeſtum exemplum præbuit Dauid, qui adeò mitis fuit, vt cùm Saulem hoſtem infeſtiſſimum, qui ipſi interitum omnibus viis moliebatur, lanceâ transfodere poſſet, eundem tamen non interfecit, imò ſaluum, & incolumen dimiſit, & tam miſericors extitit, vt voce præconis iis, qui ipſummet grauiter offenderant, miſericordiam polliceretur, & denique tam manſuetus, vt de ſe Deo dicere auſus fuerit: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Pſ. 131.1. Et nihilominùs tam ardenti irâ aliquando ſcanduit, & ad talem vindictam ſumendam prouocatus eſt, vt illud fecerit, quod à nullo ex immaniſſimis Tyrannis, qui ob inauditam crudelitatem portenta naturæ appellati ſunt, factum fuiſſe legitur. Nam, vt 2. *Regum* 10. ſacris literis proditum eſt, cùm mortuo Rege filiorum Ammon, regnantéque Ammon filio eius, miſiſſet Dauid nuncios ſuos, per quos eum de obitu patris ſui conſolaretur, exiſtimantes Ammonitæ illos eſſe exploratores, eiſdem dimidiam partem barbæ raſerunt, præciderúntque veſtes eorum vſque ad nates, atque ipſoſmet cum magna ignominia, & dede-

& dedecore demiſerunt, Dauid autem de ea re certior factus, tam ardenti ira ſcanduit, vt ad ſumendam vindictam talis facti copioſiſſimũ militum exercitum comparauerit, quo contra illos ad bellũ proceſſit, cùm verò vrbẽ Rabbath armis occupaſſet, nouo, & inaudito ſupplicio eos affecit. Quod ſacræ literæ his ferè verbis deſcribunt,
2. Reg. 12. 30 31. *Sed & prædã ciuitatis aſportauit multam valdè, populum quoque eius adducens ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitq; cultris, & traduxit in typo laterum, & ſic fecit vniuerſis ciuitatibus filiorum Ammon.* Qua in re cernitur; quòd quantum in Dauide fuit clementiæ, miſericordiæ & manſuetudinis, tantum etiam poſteà fuit iræ, & indignationis. *Qui lento gradu* (vt ait Vale-
Val. Maxi. lib. 1. ca. 2. rius Maximus) *ad vindictam procedit, tarditatem ſupplicij grauitate compenſabit.* De cuturnica (re-
Simile. ferũt naturales) quòd cùm aliquando aquilã (quę Regia auis eſt) inſequitur, & infeſtat, ipſa aquila, quæ generoſa eſt, multùm diſſimulat, quo uſque eiuſdem importunitate victa, & propter tarditatem ferocior effecta, illam omninò diſcerpit & dilaniat, ad quem modum Deus, qui aquilæ ſæpenumerò confertur, quamuis peccata multùm diſſimulet, & peccatores patienter diu expectet, quò tamen diuturnior fuerit expectatio, eò vltio diſtrictior, acerbiorque exiſtet, quapropter vltio ipſa accommodatè arcui aſſimilatur, dum
Pſal. 7. 13. dicitur: *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit; arcum ſuum tetendit, & parauit illum.* Nam in hoc mundo totum tempus conſumit Deus in parando gladium & non in percutiendo, in tendendo arcum, & non in emittendo ſagittas: ſed,

vt ait

vt ait D.Gregorius, quantò magis ipſe arcus diuinæ vltionis trahitur cordâ, tantò diſtrictior de eo exibit ſagitta. Ad quem modum quantò extremi iudicij dies, & ſupplicium in eo infligendum differtur vt veniat, tantò cùm venerit grauius idem ſupplicium erit, & tantò diſtrictior ſententia in ipſo die ferenda exiſtet. *Greg. lib. 19. Moral. cap. 21.*

Quod (vt ait Lactantius Firmianus) poëtæ antiqui fingebant, nempe ſuos deos pedes habere laneos, quia ad ſupplicia ſumenda non ſtatim ſe præcipitabant, ſed pedetentim, & lento gradu ad vindictam procedebant, id nos accommodatiùs & meliùs de Deo noſtro affirmare poterimus, adiicientes quòd tarditatem ſupplicij, vt iam diximus, grauitate compenſabit, & benignitatem, & manſuetudinem in iram, & furorem, quando punierit, conuertet, iuxta quod intelligi poteſt illud Hieremiæ: *Facta eſt terra eius in deſolationem à facie iræ columbæ*, vbi valdè mirum eſt, dici columbam quæ manſuetiſſima eſt, & fellis amaritudine carens, habere iram, & ab ea deſolatam eſſe terram: ſed vt minimè mirandum eſſe videatur, notandum eſt ex Nicolao de Lyra, per columbam Semiramim Syrorum reginam intelligi, quam ipſi credebant in columbam fuiſſe conuerſam, ac proinde in militaribus ſignis cum gladio tincto ſanguine depictam, ideò portabãt, vt ſignificarent cauere ſibi vnũquemque debere à facie talis columbæ, quia quamuis mitiſſima eſſet, & primâ facie columba videretur, gladium tamen habebat, quo irata inimicos ſuos interimeret, & quantam manſuetudinem ſubiectis præbuerat, tantam indignationem, & iram erat *Lactantius.* *Hiere. 25. 38.* *Nicolaus de Lyrà.*

rebellibus oſtenſura. Iuxta quem ſenſum, ſic etiã intelligendus eſt Propheta, ac ſi dicat: *Erit deſolata terra*, nempe homo, qui terra dicitur; *à facie iræ columbæ*, hoc eſt, à facie Chriſti Domini, qui licèt columba fuerit in manſuetudine, & maximè mitis, cùm tamen iratus fuerit, gladio ſuæ vltionis peccatores in æternum contrucidabit, & hoc efficiet, quando opere compleuerit, quod per Iſaiæ os dixit, nempe, *tacui, ſemper ſilui, vt parturiens loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul.*

Hoc horrendum ſupplicium, & inauditum malum videtur reformidaſſe ſanctus Iob, quando dicebat; *Cùm vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Vbi per *ſtillam ſermonis eius*, intelligit idem quod intellexit, quando dixit; *Miſeremini mei, quia manus Domini tetigit me*, nempe omnes labores, & calamitates, quas paſſus fuerat, & à ſolo tactu manus Dei emanauerant, & per *tonitruum magnitudinis* ſimiliter intelligit horribilẽ illam ſententiam, *Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius*, quã ſedens in ſede maieſtatis ſuæ contra peccatores proferet, atque tremendam illam ſubuerſionem, quâ poſt latam, & promulgatam ſententiam, ſub viſceribus terræ abſorbebuntur. Quid igitur faciendum erit ad tantam calamitatem deuitandã? Nunquid erunt Sancti, & iuſti coram tam irato iudice, vt patroni, ſicut modò fit, pro vltimo remedio adhibendi? Minimè quidem. Nam vt habetur *Sap. 5. Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt.* Erunt enim tunc, ſicut explicatum eſt in principio, ſigna in

Job 26.14.

Cap. 19. 21.

Mat. 25. 41.

Sap 5. 1.

Sole,

Sole,& non Sol in ſignis,hoc eſt,induent Sancti naturam & indignationem Chriſti Solis iuſtitiæ iuſti,& rigoroſi iudicis exiſtentis, tantum abeſt, vt ipſum ad pietatem tunc moueăt. Quapropter nunc quando eſt Sol inſignis,hoc eſt, quando eſt in Sanctis ſuis Deus operando ſecundũm eorum preces, & propenſiones in nobis, ipſorum iuuamine vtamur,atque mediante ipſo, ea opera faciamus in gratia,propter quæ merito atque optimo iure poſſimus petere coronam iuſtitiæ,quam bonis reddet in illa die iuſtus iudex in gloria, quam,&c.

HOMILIA IN LOCVM MATTH. II.4.

Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident,&c.

VIDERVNT quidem hi Ioannis Baptiſtæ diſcipuli cæcos videre,ſiquidẽ ſe videre viderunt, quod anteà tanquàm cæci non videbant,amor,quo ipſum Ioannem vehementer diligebant, ita oculos mentis ipſorum obcæcabat, vt licèt opera Chriſti manifeſtarent ipſum eſſe Deum, & verũ Meſſiã in lege promiſſum,iuxta illud: *Opera,quæ ego facio,teſtimonium perhibent de me* (quæ etiam Ioã.10.25.

ſolùm audita in vinculis à Ioanne,& nō viſa,ipſi illud idē ſignificabant) tamen illū tanquam talē non cognoſcerent,nec quærerēt, nec venerarentur,quoniam ſcilicet ipſum Ioannem,quem vnicè amabant,quia Meſſiā eſſe volebant,Meſſiā eſſe arbitrabātur. Illos tamen ad ipſum veniētes Chri-

Ioa.1 9. ſtus,qui *eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum*,ita illuminauit, vt de ipſis dictum ſit illud, *Cæci vident*: ſiquidem cognitum ipſum tanquàm Dominum & magiſtrū, relictis cæteris omnibus, poſteà ſecuti fuerunt, id quod,ſicut aſſerūt ſancti Doctores, ipſe Ioannes eoſdem facere procurauerat. Amor, quo res terrenas diligimus,ita nos obcæcat, vt cùm illas optimè cognoſcamus, ignoremus diuinas, imò, & ipſum Deum,ſicut debemus non recognoſcamus,exiſtentes tanquàm talpæ,quæ cùm in ſubterraneis meatibus optimè videant,in luce tamē

Simile. extra illos viſione omninò carent. Quamobrem neceſſe eſt ad hoc, vt non ſolùm ipſum Deum, ſed ea etiam,in quibus ipſi inſeruiendum eſt, videamus,& intelligamus,quòd ille, tanquàm lux vera, nos, menteſque noſtras ſplendore ſuæ diuinæ gratiæ illuſtret, quod vt faciat poſtulemus à ſacratiſſima Virgine eius matre, vt ad eundem pro nobis intercedat,&c.

Cùm eſſet Ioannes in vinculis, &c. Duo circa hæc verba poterit vnuſquiſque conſiderare, quę ipſum poterunt ad admirationem commouere. Primum eſt,Herodem, hominem perditiſſimū,

Marc. 6. 17. & impiiſſimū, de quo ait Marcus: *Herodes miſit ac tenuit Ioannem,& miſit eum in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat*

xerat eam, regiâ poteſtate pollere;diuitiis,& de-liciis circumfluere,eſſéque de numero eorum, de quibus dicit Iob, quòd *ducunt in bonis dies ſuos.* *Iob 21.13.*
Secundum verò, non minori admiratione dignũ eſt,Ioannem Baptiſtam virum ſanctitate mirandum,& tanto laudum præconio dignum,vt cùm Chriſtus Dominus de illis integrum ſermonem fecerit, in quo ipſum virum conſtantem, pœnitentem, pluſquàm Prophetam, imò & Angelum appellauit, tamen Matthæus Euangeliſta de eo dixerit,*Cœpit dicere de Ioanne*,innuens totum illũ ſermonem factum à Chriſto Domino de laudibus Ioannis,eſſe laudũ quibus dignus erat quoddam initium per verbum,*cœpit*, ſignificatum, & nihilominùs ipſum eſſe ab eodẽ Herode in carcerem coniectum,& ipſius iuſſu manicis ferreis ligatam eſſe eam manum, cuius digito ipſemet Ioannes Deum hominem factum indicauerat dicens:*Ecce Agnus Dei*: non ſolùm autem hæc, *Ioan.1 29*
quæ in Herode homine impiiſſimo,& in Ioanne viro ſanctiſſimo fuerunt viſa, ſed etiam ea, quæ ſimiliter in hominibus peſſimis, & in viris optimis communiter cernimus,nos poſſunt inadmirationem rapere. Nam cùm bona, & mala à Dei manu proueniant, iuxta illud Iob: *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſcipiamus?* cumq́; *omne datum optimum & omne bonum perfectum desurſum ſit deſcendens à Patre luminum*, vt ait D. Iacobus; cùm denique non ſit malum in mundi ciuitate, quod Dominus non fecerit, vt inquit Propheta; mirandum maximè eſt,quomodo impij, qualis erat Herodes, bonis *Iob.2.10.* *Iac.1.17.* *Amos 3.6.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

circumfluant,boni verò,qualis erat Ioannes,malis circumdentur.

Hæc quidem difficultas, quæ etiam ſanctiſſimis viris diuino Spiritu afflatis maximam admirationem incuſſit, maiori cum ratione non poterit à nobis pertractari, & explicari ſine eo, quod ipſorum proteſtatione, & ſubmiſſione reſpectu prouidentiæ, & rectitudinis diuinæ vtamur. *Iuſtus es Domine, ſi diſputem tecum*, aiebat Hieremias, *veruntamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur: bene eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt*: Et Dauid. *Quàm bonus Iſraël Deus ijs, qui recto ſunt corde. Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum vidēs, quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum, in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Quibus in locis vterque Propheta iuſtitiam, & bonitatem Dei proteſtatur. Hieremias quidem iuſtitiam dicens, *Iuſtus es Domine, ſi diſputem tecum*, Dauid autem bonitatē dicēs ſimiliter, *Quàm bonus Iſrael Deus ijs, qui recto ſunt corde.* Quâ proteſtatione factâ, quòd ſcilicet Dominus in omnibus, & per omnia eſt iuſtus & bonus, & ſubmiſſione diuinæ prouidentiæ adhibitâ, cætera adiiciũt. Quod nos etiam facientes, & dicentes cum ipſo Dauide, *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*, difficultatem eandem pertractabimus.

Hiere. 12. 1. Pſa. 71. 1. 2. 3. 4. 5. Pſal. 118. 137.

Et quidem eo modo, quo Ioab nomine famulorum Dauidis, qui pro ipſo præliati fuerant, de ipſo conquerebatur, videtur vnuſquiſque iuſtorum nomine cæterorum poſſe de Deo conqueri

dicens

dicẽs eadem verba, quæ Ioab dixerat, nempe: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* Nã ſic ſe Deus habet erga homines, vt videatur amicus inimicorum & inimicus amicorum: ſiquidem peccatores tam proſperi viuunt, tam bene valẽt, & tantùm poſſunt, vt mirans hoc ipſum Iob dixerit: *Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatiq; diuitijs?* Et è contrà iuſti tot, ac tantis laboribus, calamitatibúſque affliguntur, vt ipſe Iob dicat: *Si iuſtus fuero, non leuabo caput.* Quod quidem apud Lucam ſignificatum eſt in filio prodigo figuram peccatoris agente, & in alio filio maiori, qui ſimiliter iuſtum repręſentat, quorum hic, qui ſemper patri ſubditus vixit, nec vnquàm à domo eiuſdem diſceſſit, nunquàm legitur fuiſſe à patre tantâ benignitate, gaudio, & beneuolentiâ acceptus, ſicut adoleſcentior prodigus, quem, licèt in ipſum patrem multoties peccauiſſet, & ab eius domo, & obedientia impudenter diſceſſiſſet, benignè ſuſcepit, ſtolâ primâ induit, annulo, & calceamento donauit, & vitulo ſaginato cibauit, & refecit. Quod ſignificat modũ, quo Dominus pater noſter ſe habet erga iuſtos, & peccatores. D. Marcus refert de beatiſſima Virgine, quòd cùm Chriſtus Dominus aliquando prædicaret, & ſederet circa eum turba auditorum, miſit ad eum vocans ipſum, quòd cùm audirent, qui aderant, dixerunt eidem: *Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te, quibus reſpondens ait: Quæ eſt mater mea, & fratres mei? Et circunſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant* (& peccatores erant) *Ecce mater mea, & fratres mei.* Vbi cernitur, quòd erga peccatores valdè beneuolum, humanum, &

2 Reg. 19. 6.
Iob 21. 7.
Cap. 10. 15.
Luc. 15. 20.
Marc. 3. 32.

amicum ſe exhibuit, vocans vnumquemque eorum non ſolùm fratrem, ſed etiam matrem, at verò erga matrem ſuam non ſic ſe habuit, ſiquidem ad ipſam fecit verbum illud durum, & ſiccum, *Quæ eſt mater mea?* Ecce quomodo innocentiſſimam matrem ex vna parte, & ex alia peccatores non paruos tractauit. Quod etiam manifeſtatur ex eo, quod diuo Petro, & impio Iudæ euenit. Petro enim quando tanquã amicus Chriſto Domino de iis, quę paſſurus erat verba faciẽti

Matt. 16. 22. dixit: *Abſit à te Domine, nõ erit tibi hoc*, reſpõdit: *Vade poſt me ſatana*. Iudę verò oſculum pacis eun-

Matth. 26. 50. dẽ tradenti, dixit: *Amice, ad quid veniſti?* Amicũ itaq; tanquàm inimicũ, imò & tanquàm dæmonem, Iudã verò, qui dæmon erat, iuxta illud: *Vnus*

Ioann. 6. 70. *ex vobis diabolus eſt*, tanquàm amicum tractauit.

Nec verò hoc ſolùm exprimitur in diuerſis perſonis, quarum vna peccatum, alia verò iuſtitiã conſectatur, ſed in vna atque eadem perſona, quę iuſtitiam modò, modò verò iniquitatem ample-

Cant. 5. 2. ctitur. Id quod ſignificatur *Cant.* 5. vbi dum ſpõſa noluit aperire oſtium ſponſo pulſanti, & dicenti: *Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*, nullum laborem, nec aliquid aduerſum tulit, at verò poſtquàm ille declinauerat, & tranſierat, cùm ei peſſulum oſtij ſui aperuit, & habens animã pro deſiderio ipſius liquefactam, eum quæſiuit, & non inuenit, inuenerunt illam cuſtodes, qui circumibant ciuitatem, & percuſſerunt eam, & vulnerauerunt eam & tulerunt pallium eius. Quo etiã in loco planè oſtenditur, quòd dum anima, per

ſponſam

ſponſam ſignificata, Dei vocationi reſiſtit, & in peccato exiſtit, ſæpenumerò nullam aduerſitatẽ experitur, quam tamen patitur, vbi primùm Deũ tanquàm verum ſponſum quęrit, & ardenti illius deſiderio flagrat, iuxta illud: *Fili, accedens ad Deũ, præpara animam tuam ad tentationem.* Id quod in eodẽ diuo Petro cerni poteſt. Nam quo tempore, multi ex diſcipulis Chriſti abierunt, & iam cum illo non ambulabant, cùm Petrus eſſet in eius ſequela tam conſtans, vt poſteà dixerit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, tamẽ eidem & cæteris de duodecim dixit ipſe Chriſtus: *Nunquid & vos vultis abire?* quaſi diceret, Qui voluerit exire de domo mea, oſtium apertum habet. Quod verbum nimis durum, & ſiccum videtur. Et denique quando Petrus ab ipſo, tempore Paſſionis defecit, ipſúmque ter negauit, nunquàm ſic eum beneuolis, & plenis amore oculis aſpexit. Dicitur enim: *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum*, quia autem ſæpenumerò contingit, quòd iis, qui in peccato ſunt, plurima ex animi ſententia eueniant, quod tamen iis, qui in iuſtitia perſeuerant, ſæpenumerò etiam non ſuccedit, inde fit, quòd, quemadmodum Paulus de ſe ſuiſque ſociis dicebat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Et alibi: *Gloriamur in tribulationibus*, ſic etiam ipſi peccatores exultent in rebus peſſimis, & peccatum ſuum, ſicut Sodoma prædicent. Quod quia ita facere ſolent, dicebat Dauid ad Deum: *Vſquequò, Domine, peccatores gloriabuntur, & effabuntur?* Quam etiam ob cauſam fuerunt nõnulli, qui dixerunt, vt ait ipſe Dauid, *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?*

Eccl. 2. 1.
Ioan. 6. 68.
verſ. 67.
Luc. 22. 61.
2. Cor. 12. 9.
Rom. 5. 3.
Pſal. 93. 3.
Pſ. 72. 11.

Quod explicans Auguſtinus,ait: *Verè magnus labor eſt, cognoſcere quomodo & Deus curet res humanas,& bene ſit malis,& laborent boni.* In quibus verbis continetur dubitatio, quam pertractamus.

A difficultate huius dubitationis facilè ſe poſſet expedire,qui diceret,nec labores, & tormenta eſſe verè mala, ſiquidem ea paſſus eſt Ioannes Baptiſta,vir bonitate eximius,nec diuitias, delicias,& regiam poteſtatem eſſe verè bona, ſiquidem ea habebat Herodes homo iniquitate ſingularis. Ad hunc enim modum dicebat Seneca Philoſophus excellés, ipſas diuitias,& alia huius generis bona non eſſe verè bona, quando quamplurimi mali ea poſſidebant, tribulationes verò, & calamitates non eſſe mala,nec à viro iuſto aliena,imò illi maximè conuenire,ſiquidem Cato, quem virum eximium arbitrabatur,illis afflictus fuerat. Quid igitur dicendum erit à quocumque Christiano de ipſis laboribus, & afflictionibus, poſtquàm non ſolùm magnus Ioannes Baptiſta ipſos tulit,ſed etiam ipſe Chriſtus Dominus,qui, ſicut docet diuus Thomas, paſſus eſt omnem paſſionem ſecundùm genus, eoſdem ſacrauit, & in bona conuertit.

Seneca.

3. par. qu. 46. art. 5.

Imò re benè perſpectâ hæc dubitatio, quæ tẽpore legis veteris, quando hominibus benè viuentibus ſalus, diuitiæ & pinguedo terræ promittebantur, è contrà verò malè viuentibus ſterilitas terræ, paupertas,& alia huiuſmodi proponebantur, difficultatem habebat, quæ ſanctos etiam Prophetas vehementer tunc vexabat, hoc verò tempore legis gratiæ, in quo bene viuentibus

bus gratia, & gloria promittuntur, malè autem viuentibus æterna ſupplicia proponuntur, difficultate omninò caret.

Sed præter has rationes, multæ aliæ adduci poſſunt, quæ non ſolùm tempore legis naturæ, & ſcriptæ, ſed etiam tempore legis gratiæ ad hanc difficultatem tollendam vim habent, quarum potiores colliguntur ex libro Iob, qui cùm tam innocens eſſet, vt Dominus ipſum ſimplicem, rectum ac timentem Deum appellauerit, & ſacro textu ibidem ipſummet non peccaſſe aſſeruerit, fuit inter omnes mundi afflictos maximè afflictus, vt planè conſtat. *Iob 1.1.*

Iuſti ſunt in duplici differentia, vel enim ſunt ſicut ille, de quo dicitur: *Septies in die cadit iuſtus*, hoc eſt, ita ſunt iuſti, vt aliquando cadant in peccato, & ſint peccatores, de quibus dicit D. Hieronymus, quòd nomen iuſti non amiſit qui quotidiè per pœnitentiam reſurgit, quia ſicut nõ ſolùm dicitur bona pila in eiuſdem ludo, quæ expeditè volat, & alta per aërem fertur, ſed etiam, quæ ſi in terram concidat, ſtatim reſilit, & ſe in ſublime extollit per reciprocationem: ita etiam non ſolùm dicitur iuſtus, qui nunquàm in terram peccati cadit, ſed etiam ille qui, ſi in eam per fragilitatem labitur, continuò per pœnitentiam reſurgit, alij verò iuſti ſunt ita iuſti, vt non corruãt, ſed ſunt prorſus innocentes. *Prou. 24. 16.* *Hieronym.* *Simile.*

Si de prioribus iuſtis, qui interdum peccatores per fragilitatem ſunt, loquamur, minimè mirum eſt, illos à iuſto Deo tribulationibus & laboribus in hac vita pro ipſis peccatis, qualiacumque illa ſint, aliquando puniri, ſiquidem ita

pro

pro eiſdem punit, vt ſimul illa, tanquàm pius pater, remittat. Propterea enim de eo dicitur,
Tob. 3. 13. *Qui etiam peccata dimittit in tempore tribulationis*, quia pœnam infinitam, & ęternam peccato debitam, in temporalem, & finitam conuertit.

Cap. 9. 28. *Verebar*, aiebat Iob, *omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.* Cùm igitur Deus delinquenti non parcat, ac proinde vel in hac vita, vel in alia pro quocumque peccato ſupplicium ſit ſumpturus, quid mirum eſt, ſi iuſtos, qui interdum peccant, in hac vita puniat tribulationibus, quæ veræ non ſunt, nec veri labores, ſed reſpectu eorum, qui in alia reperiuntur, depicti & apparẽtes? Quod quidem ſignificat ſacer textus Iobi 2. vbi dicitur, quòd ex funibus ad eiiciendos à templo vendentes & ementes, fecit quaſi flagellum Chriſtus
August. ſuper Pſal. 48. Dominus. Quæ verba explicans D. Auguſtinus dicit: *Omnia huius vitæ flagella, labores, morbos, mortem, & quæcumque alia mala pœna, non eſſe verè mala, ſed quaſi mala.* Vbi ſimul exponit illa ver-
2. Cor. 6. 9. ba Pauli, nempe, *quaſi moriẽtes, tanquàm nihil habentes, quaſi triſtes, &c.* vbi inſinuat per mortem, triſtitiam, & paupertatem huius vitæ, nos liberare Deum à flagellis triſtitiæ, paupertatis, mortis, & aliarum calamitatum, & laborum inferni, qui ſoli veri ſunt labores, & maximi, comparatione eorum, quos iuſtus in hac vita patitur, quóſque Paulus vocat leues & momentaneos, dicens:
2. Cor. 4. 17. *Quod leue, & momẽtaneum eſt tribulationis noſtræ*, &c. Id quod ipſe dæmon ſignificauit *Iobi* 1. vbi cum Deo loquens ait: *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, &c.* Vbi omnes labores,

labores,& calamitates Iobi ante ipſum inauditas vocat paruas, dicens: *Extende paululum manum,* &c. Quod etiam ex Exodo colligitur,vbi habetur,quòd Moyſis virga verſa eſt in colubrū, quia (vt ait Bruno, grauis author,ſuper eadem verba) quod in hac vita futurum erat ſupplicium leue virgæ,futurum eſt in alia graue, & æternum colubri.Cui conſonat viſio Hieremiæ, quæ continetur his verbis: *Quid tu vides Hieremia? Virgam vigilantem ego video.* Et paulò pòſt: *Quid vltra? ollam ſuccenſam.* Quamobrē aiebat Aug. cū Deo loquens: *O Domine,hic ſeca,hic vre,hic non parcas, vt in æternum parcas.* Ideòque Dauid loquens de Moyſe,& Aaron,iuſtis quidem, ſed qui aliquando peccabant: *Deus,tu propitius fuiſti eis, vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* Cui etiam conſonat illud: *Multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magnum beneficii eſt indicium.* Quamobrem ait Hieronymus,quòd tantò minùs de flagello, quo caſtigamur,murmurare debemus, quantò certius in eo paternæ dilectionis pignus tenemus. Cùm ergo non ſit homo, licèt iuſtus ſit, qui non peccet interdū,imò,vt dicit D.Ioannes,loquens de omnibus hominibus: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus,ipſi nos ſeducimus.* inde fit, quòd de flagellis,quibus caſtigātur iuſti pro peccatis,quæ interdum prę naturæ fragilitate committunt,nemo mirari debeat,quandoquidem in hoc potiùs, ad eorum iuſtitiam,in qua perſeuerant, quàm ad culpam, in quam aliquando labuntur, Deus reſpicit, ſiquidem eiſdem hîc non parcit, vt in æternum parcat,& pœnam acerrimam, & ſæuiſſimam

Exod.7.10. *Hier.1.11. Verſic.13.* *Auguſtin.* *Pſa.98.8.* *2.Mach.6.* *Hierony.in Prouerb.3.* *1.Ioā.1.8.*

nam cuicunque peccato debitam, in lenem & temporalem commutat, cùm tamen delinquenti omninò non parcat.

Si verò de illis iuſtis agamus, quos peccaſſe nunquàm legimus, vel non peccaſſe pro certo habemus, qualis inter omnes fuit beatiſſima Dei mater, & poſt eam beatus Ioannes Baptiſta, de quo præſertim ſermonē facimus, & ſanctus Iob, cuius in hac re doctrinam ſequimur, aliter ad difficultatem eſt reſpondendum. Nam ipſe Iob ait:
Iob 16. 6. *Scitote, quòd non æquo iudicio mecum contenderit Deus:* quaſi dicat, Qui me videtis percuſſum & afflictum à Deo, non exiſtimetis Deum ipſum in his afflictionibus, & laboribus meis habere ſe erga me tanquàm iuſtum & æquum iudicem, dignis ſuppliciis, & pœnis me peccatorem afficiē-
Iob 6. 2. tem: nam *Vtinam appenderentur peccata mea*, inquit idem Iob alibi *quibus iram merui, & calamitas, quā patiaur in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret.*

Habuit ergo Dominus ſe erga Iob non tanquàm iudicem pro peccatis ipſum punientem, ſed tanquàm prouidum gubernatorem, ad quem pertinet communem vtilitatem reſpicere, licèt id faciat cum particularis alicuius innocentis detrimento: quod aliàs in aliquod eiuſdem commodū
Simile. cedat. Contingit aliquando quòd pius aliquis alicuius oppidi incola pauperes hoſpitio in ſuam domum recipiat, & quòd aliquis eorundem pauperum peſte moriatur, & quòd eiuſdem oppidi dominus domū illam, & quidquid in ea eſt, igne comburi iubeat, non quidem propter delictum hominis pauperes hoſpitio recipientis (id enim

erat

erat optimum charitatis opus) ſed propter contagionem mortiferi illius morbi, ne ſcilicet ſerpat,& graſſetur, & ad omnes oppidi illius incolas attingat,eóſque ſimul cum ipſo interficiat. Ad quem modum Deus prouidus totius mundi dominus & gubernator,iuſſit Iobum maximè affligi, vt omni poſteritati ſingulare patientiæ exemplum in illo relinqueret,id quod ſimul in eiuſdē Iobi gloriam,& dæmonis confuſionem cederet. Quod quidem ex *cap. 1. & 2.* colligitur: nam vbi narratur,quòd cùm Deus Iobum de ſimplicitate, rectitudine, & timore laudaret, dæmon obiecit, ipſum ſimplicem,rectum,ac timentem Deū minimè futurum fuiſſe, ſi eundem à proſperitate, quâ omnibus in rebus fruebatur, deiiceret, quia verò poſtquàm ab ea proſperitate, quâ fruebatur, in ſummam rerum ſuarum iacturam delectus,tam conſtans in virtute extitit, vt de eo ſacer textus dicat: *In omnibus his non peccauit* Iob *labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt*. Et vt iterum eundem Deus de ſimplicitate,rectitudine,& timore laudauerit,obiicit rurſus dæmon Deo, ipſum tam ſtabilem & conſtantem in ea rectitudine non fuiſſe futurum,ſi ipſe Deus illius corpus vlceribus,leprâ, & aliis morbis affligeret,quia nimirum multò pluris bona corporis, quàm fortunæ æſtimantur, cùm ergo Deo illud permittente, & volente vlcere peſſimo à planta pedis vſque adverticem Iob eſſet grauiſſimè percuſſus, ita patienter & conſtanter ſe geſſit, vt de eo rurſus dicat ſacer textus: *In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis.* Voluit itaque Deus ad hominum vtilitatem,confuſionē dæmonis,& ad gloriam

Iob 1. 22.

Iob 2. 10.

gloriam Iobi manere reſolutum,& manifeſtum, quòd licèt ipſe Iob magnas amittendæ innocentiæ occaſiones in tot,ac tantis laboribus, & calamitatibus haberet, eandem innocentiam, & rectitudinem non erat amiſſurus. Ad quem modum vt occurreret Dominus,in laudem ſuæ beatiſſimæ matris,tacitæ obiectioni dæmonis,cuius caput ipſa contriuit, quod propterea ipſamet, nec leuiſſimam venialem culpam commiſit,quia nullam occaſionem committendi eam habuit, idcirco Christus Dominus erga ipſam vſus eſt illis verbis, quæ ſicca, aſpera, & dura videntur, Marc. 3. 33. nempe: *Quæ eſt mater mea?*& illis, quæ referuntur à D.Ioanne, *Quid mihi, & tibi mulier?*quæ priori- Ioan.2.4. bus in aſperitate,& duritie, & ſiccitate ſimillima iudicabũtur,cùm præſertim dicta fuerint, quando piiſſima Virgo vellet haberi mater talis filij, & tanquàm talis cognoſci,nempe in nuptiis Cana Galilææ,& in maxima cõcione, conuentuque hominum ipſius miram ſapientiam audientium, vt nimirum maneret reſolutum & manifeſtum, ipſam Virginem beatiſſimam,nec in leuiſſimam culpam venialem eſſe lapſuram,licèt ad id ei maximæ occaſiones offerrentur. Et ſimiliter vt hoc idem de iuſtiſſimo Ioanne Baptiſta maneret reſolutum,& manifeſtum, tot ac tantis carceris laboribus fuit afflictus,& tam crudeliter & immaniter capite truncatus; vbi de eo experientia docuit non eſſe ſicut arundinem,quæ vento agitata nunquàm euellitur, nec frangitur, quia ipſimet vento cedit, ſed tanquàm arborem bene radicatam,quæ quando impetus venti eſt validiſſimus, non euellitur quidem,ſed frangitur, quia eidem

reſiſtit.

reſiſtit. Nõ enim fuit homo inſtabilis, & inconſtans, quem vel minæ, vel labores, vel mors deterrerent ne veritatem prædicaret, & Herodem Regem reprehenderet, ſed fuit vir ſingulari conſtantiâ præditus, & in charitate maximè radicatus, à qua quia euelli non potuit, turpis Herodiadis minis impij Herodis iuſſu capite priuatus eſt.

Quòd ſi verba faciamus de illis, qui cùm iidem homines ſint, tamen modò cùm in peccato exiſtunt proſperitate fruuntur, quã tamen poſteà nõ experiuntur extra peccatum exiſtentes (quod dicebamus Diuo Petro contigiſſe, quem, quando in peccatũ incidit, reſpexit Dominus, oculis plenis beneuolentię & amoris, quibus non ſic eum aſpexiſſe legimus, quando ſine peccato erat) dicendum eſt, quòd ſicut dominus ſeruum bene valentem & ſanum laborare facit, & fame cruciari patitur, quem tamen ægrotantem & malè valentem optimis & ſuauiſſimis cibis reficit, & ab omni labore liberat, & beneuolenter tractat: ſic etiam ſe Deus habet erga homines, quando morbo peccati laborant, vel ſalute gratiæ fruuntur. Quo etiam modo ſe gerere Deũ erga iuſtos, & peccatores, aſſerit Chryſoſtomus, dicens, *quòd habet ſe erga illos ad modum paſtoris portantis in brachiis agnum ægrotum, & debilem, quem tamen minoris æſtimat, & patientis per frigidam niuem ire agnum ſanum, & pinguem, quem tamen pluris facit.* Quando itaque homo in gratia exiſtit, quia, vt ait Paulus, *virtus in infirmitate perficitur*, ipſum Deus vexat, & moleſtiâ afficit, vt ſic magis perficiatur. Et prætereà, quia ipſa proſperitas, quã

Simile.

Chryſoſt. hom. 27. in Matth.

2. Cor. 12. 9.

Simile.

nauis per mare fertur, eam ſub eiuſdem aquis ſubmerget, niſi in ipſa naui ſint quæ ponderent, & grauitent, ſic etiam ex ipſa proſperitate hominis, quando in gratia exiſtit, proueniet, quod ipſe tum afficit, ac proinde in peccatum ſuperbiæ ruat, niſi aliqua ſint, de quibus in ea proſperitate eundē pœniteat, & quæ ipſi ſint grauia, & moleſta, Id quod de ſe ſignificauit D. Paulus dicēs: *Ne magnitudo reuelationis extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet.* Quando autē homo in peccato exiſtit, ipſum beneuolis oculis reſpicit Dominus, qui illis reſpexit Petrum, vt ipſummet alliciat, reuocet, & ad ſe reducat, ſicut in eodem Petro factum eſt.

2. Cor. 12. 7.

Iob 21 7.

Ideò denique peccatores, & *impij viuunt & confortati ſunt diuitijs, & ducunt in bonis dies ſuos*, vt dicebat Iob; & experientia docet in multis, de quorū numero fuit impius Herodes, qui Regiâ poteſtate pollebat, multis deliciis, & opibus ſimul circumfluens, quia, vt ibidem ait ipſe Iob, *in diem perditionis reſeruatur malus, & ad diem furoris ducetur*, quaſi dicat, Non caſtigantur impij in hac vita pœnis tēporalibus, quæ leues & momentaneæ reputari debent, vt in alia ſuppliciis horribilibus & æternis, à die iudicij incipientibus, apud inferos crucientur. Interim tamen donis huius ſeculi fluxis, caducis, & breui temporis ſpatio interituris fruuntur, quia quemadmodum illi, qui ad patibulum ducūtur, dulcibus cibis, & ſuauibus potionibus recreari, & refici ſolent antequàm laqueo ſuſpendantur, ſic etiam peccatores, qualis erat Herodes, dum per viam huius vitæ ad patibulum inferorū iter faciunt, quàm plurimis

Simile.

rimis

rimis bonis abundant,quibus apud eorum regionem omninò carentes ſempiternis tormentis torquebuntur.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. I. 23.

Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, &c.

IDEO ò D. Ioannes Baptiſta dicitur, *Vox clamantis in deſerto,dirigite viam Domini*, quia voce prædicationis eius, tanquàm voce diuini cuiuſdam præconis, facta eſt præparatio quædam in mundo,ad hoc,vt Dominus in carne veniens ab hominibus in eo bene reciperetur.Quapropter bona quidẽ vox ea fuit, ſed multò melior vox fuit, vox conſenſus beatiſſimæ Virginis dicentis:*Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* *Luc.1.38.*
De qua voce intelligi poteſt illud Dei ad ipſam: *Sonet vox tua in auribus meis:vox enim tua dulcis*; *Cāt.2.14.*
quâ conſenſus voce præparata fuit ipſa beatiſſima Virgo,ad hoc, vt in eam Spiritus ſanctus ſuperueniret in diuini verbi conceptione, iuxta illud:*Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*. Cui quoque *Luc.1.35.*
voci in bonitate, & dulcedine ſolet eſſe ſimilis vox interceſſionis ipſiuſmet Virginis ad ipſum

Deum pro nobis deprecantis; ſiquidem eius interceſſio optima præparatio eſt ad hoc, vt ſuper nos veniat diuinus Spiritus, elargiẽdo nobiſmet ipſis gratiam ad hoc, vt in noſtris mentibus diuinum verbum ita concipiatur, vt bene fructificet. Efflagitemus igitur ab ipſa, vt diuinâ ſuæ interceſſionis voce pro nobis intercedat, quod faciamus dicentes ei, *Aue Maria*, &c.

Ego vox, &c.

QVicumque homo, reſpectu verbi Dei, vox dici poteſt: nam ab ęterno ſemel locutus eſt
Pſalm. 61. Deus, vt dicitur: *Eructando diuinum verbum*, iux-
Pſal 44. 2. ta illud: *Eructauit cor meum verbum bonum*: quod verbum eſt cõceptus diuinæ ideæ expreſſiuus, & eſt ipſe Dei Filius. Ex hoc autẽ verbo, quod Deus ab æterno eſt loquutus, exiuit in tempore, quaſi vox repercuſſa (quam *Ecco*, Luſitanè appellamus homo ad imaginẽ, & ſimilitudinẽ Dei factus, vt
Gen. 1 26. habetur in Geneſi: qui ipſiuſmet diuini verbi, ad cuius imaginem productus fuit, ſimilitudinem quandam habet, ſicut verbi per locutionem vocaliter producti, vox repercuſſa aliquam ſimilitudinem etiam præ ſe fert. Quia ergo propter hanc ſimilitudinem homo, reſpectu diuini verbi, vox dici poteſt, maiori cum ratione Ioannes Baptiſta vox dicitur, ſi quidem eidem verbo Domino tam ſimilis inter omnes homines extitit, vt aliquando Ioannes Chriſtus, aliquando verò Chriſtus Ioannes reputaretur. Id quod patet il-
Luc. 7. lo loco, vbi de Chriſto dicitur: *Hic eſt Ioannes, qui ſurrexit à mortuis*. Et hoc etiam, vbi, quia Ioannes

Chriſtus exiſtimabatur, & ab eo quærebatur, *Tu quis es?* reſpondit: *Non ſum ego Chriſtus*; quaſi diceret, non ſum Meſſias, non ſum Verbum, ſed ſum vox. *Ioan 1.19*

Dixit etiam Ioannes ſe eſſe vocem, quando interrogabatur an eſſet Chriſtus, vt appellando ſe vocem, iis, qui eum interrogabant, ſignificaret diſcrimen maximum, quod inter ipſum, & inter Chriſtum reperiebatur. Nam vox de ſe non eſt ſignificatiua, verbum verò de ſe ſignificatiuum eſt, ſicut Philoſophi docent. Vnde fit, vt pueri emittant ſæpenumerò voces, quando, verbi gratiâ, hunc ſonum efficiunt, nempe, a, a, a, cùm tamen nondum locutione vti ſciant. Quapropter Propheta Hieremias primo ſuæ Prophetiæ capite, magnum defectum in ſua locutione cognoſcens, ſi cum Dei locutione compararetur, dicebat: A a, a, *Domine Deus, ecce neſcio loqui*, quaſi diceret: Sum Domine, veluti puer, qui locutione vti neſcit; ſiquidem de te, Filioque tuo, de quibus tanta dici & ſignificari poſſunt, tam parum dico. Id quod Eccleſia Catholica diuino Spiritu afflata de Ioanne Baptiſta inſinuat eſſe intelligẽdum, cùm in ipſius Ioannis perſona, dum eiuſdem natiuitatem celebrat, idem vſurpat, quod primum nocturnum eiuſdem natiuitatis legenti facilè patebit. Interrogatus igitur Ioãnes quis eſſet, reſpondit: *Ego vox clamantis*, quaſi diceret, Nõ ſum ego Verbum, ſed ſum vox; ſum veluti puer, qui loqui nõ nouit, ſi cum Verbo æterno, æterni Patris Filio (de quo me interrogatis an illud ſim) conferar. Ipſe autem eſt, qui loqui ſcit, qui verba *Hiere. 1.6.*

nouit facere, imò qui eſt verbum omnium perfectiſſimum.

Se etiam eſſe vocem clamãtis dicit, quia Dei (qui quaſi per antonomaſiam clamans appellari poteſt, quia ſæpiſſimè ad peccatores clamat, iux-
Prou. 8.4. ta illud, *O viri ad vos clamito)* Dei, inquã, vox fuit, per quam ad homines locutus eſt: quemadmodũ enim per Prophetas olim verba fecit, per quæ myſteria ſui diuini Verbi, ſeu (quod idem eſt) ſui Filij, eiúſque in mundum aduentum ſignificauit; ſic etiam multò meliùs illud idem per Ioannem, qui Propheta, & pluſquàm Propheta fuit, effecit.
Hebr. 1.1. Iuxta quod intelligi poteſt illud Pauli: *Multifariàm, multiſq́; modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, nouiſſimè in diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Nam triplex eſt verbum, vt Philoſophi docent, mentale nimirum, vocale, & ſcriptum. Mentale quidem, eſt ſimilitudo quædam in intellectu exiſtens rei, quam intelligimus. Vocale autẽ eſt aliquid ore prolatum tanquàm ſignificatiuum mentalis. Scriptum denique, eſt Scriptura quædam verbi mentalis, & vocalis ſignificatiua. Et ita contigit, quòd id, quod modò ſolum eſt verbum mentale in intellectu, cùm voce explicatur, fit vocale, & cùm ſcribitur, ſimiliter fit ſcriptum. Porrò Verbum diuinum æterni Patris Filius Verbum erat ab æterno tantummodò, mentale in mente diuina, quo ſimiliter modo ſe antiquiſſimis temporibus etiam habebat antequàm ipſum mediantibus Prophetarum vocibus hominibus ſignificaret, quod quando effecit prędicentibus ipſis diuina eius myſteria, & futurum in mundum ad eiuſdem ſalutem, & redemptionem aduen-

aduentum, iam verbum diuinum, quod tantummodò erat mentale, fuit etiam vocale, per voces Prophetarum, per quas illud Deus hominibus ſignificabat. Quapropter vnuſquiſque ipſorum Prophetarum vox Dei dici poteſt, & Ioannes Baptiſta, vt dictum eſt, maiori cum ratione ipſius Dei fuit vox, ſiquidem non ſolùm voce, ſed digito ipſum oſtendit, dicens: *Ecce Agnus Dei*, &c. Quapropter non ſolùm Propheta, ſed etiam pluſquàm Propheta dictus eſt; fuit poſtremò verbum diuinum, verbum ſcriptum, quando per illud carnem factum nobis in ſcripto locutus eſt. Quamobrem dicit Paulus, quòd *nouiſſimè in diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*, quòd verò quãdo in ſcripto nobis ſic locutus fuit Deus, Verbũ caro fuerit factum, inſinuatur ab Iſaia, vbi dicitur: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis velociter*. Quo loco, quod ſcribit iubebat, ſicut ex contextu paulò inferiùs patet, fuit ſacroſanctum incarnationis diuinæ myſterium, quæ excellens, & admirabilis ſcriptura fuit ſcripta in libro grandi ſtylo, & more hominis, tribus ſcilicet digitis, & calamo ſcribentis. Hoc enim ineffabile verbum ſcriptum fuit concurrentibus tribus beatiſſimæ Trinitatis perſonis (licèt ſola perſona Filij humanæ naturæ dependẽtiam terminauerit) & concurrente etiam tanquàm calamo linguâ Virginis dicentis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. Fuit verò liber grandis eiuſdem Virginis vẽter puritate maximus, in quo hoc maximum Verbum ſcriptum eſt, quando fuit caro factum, vt illud ſic ſcriptũ oculis videre poſſemus. Iuxta illud de ipſo præ-

Ioã. 1. 29.
Hebr. 1. 1.
Iſa. 8. 1.
Luc. 1. 38

Iſa.30.20. dictum: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, &c.

In quibus verbis innuitur diſcrimen inter ipſum Verbum incarnatum, nos docens, & Prophetas etiam nos docentes. Nam hi ſolùm docebant vocibus, quod auribus percipere poſſemus, & Ioannes, qui pluſquàm Propheta fuit, aliquid ampliùs docuit, quia voce, & digito agnum Dei oſtendit. At verò ille, nempe Filius Dei, ſeipſum carnem factum oculis videndum exhibuit, & nõ ſolùm vocibus in ſua doctrina, & ſolo digito, ſicut Ioannes, ſed totã ſuâ ſacratiſſimâ humanitate, & miris, inauditiſque operibus ab eadẽ procedẽtibus, ipſum diuinum Verbum incarnatum hominibus ſignificauit, & eoſdem per ſe verbo, & exemplo docuit, ipſorúmq; viſum, qui (vt do-

Ariſtot. 2. De anima. cet Ariſtoteles) non ſolùm auditu, ſed etiam cęteris ſenſibus eſt præſtãtior, erudiuit. Quod diſcrimen, vt inter ſe, & Verbum incarnatum promiſſum in lege Meſſiam eſſe interiectum Ioannes ipſe oſtenderet, cùm interrogaretur an is eſſet, reſpondit: *Ego ſum vox Dei clamantis*, quaſi diceret, Non ſum ego Verbum Dei ſcriptum, nõ ſum Scriptura Dei, ſed ſum vox Dei clamantis.

Quin etiam dicitur Ioannes *vox*, propter multas alias congruentias inter ipſum & vocem repertas. In primis, quia vox, ſicut docet Ariſtoteles, eſt ſignum conceptus, ſeu, quod idem eſt, verbi mentalis eſt ſignificatiua, quia ipſum per eam trahitur ad audientem, eíque manifeſtatur. Ad quem modum Ioannes, tanquàm Dei vox, Verbum diuinum ſignificauit & manifeſtauit, erudiens

diens prædicatione quidem auditum, digito verò viſum, quando dixit: *Ecce Agnus Dei*, &c. Ioã. 1.29.

Deinde, quia ſicut verbum, ſeu conceptus, reſpectu loquentis, prior eſt voce, quia priùs mente concipimus, quod voce poſteà declaramus, reſpectu verò audientis prior eſt vox, quàm conceptus, ſeu verbum, quia priùs vnuſquiſque vocẽ alterius audit, quàm eiuſdem cõceptum, ſeu verbum mentale percipiat, & intelligat: ſic etiam reſpectu Patris æterni loquentis & clamãtis, prior eſt Chriſtus, quàm Ioannes, qui propterea dixit de ipſo Chriſto Domino: *Ante me factus eſt*: ſed reſpectu mundi audientis prior fuit ipſe Ioãnes. Id quod de eodem prædictum erat à Zacharia de illo dicente: *Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, praibis ante faciem Domini parare vias eius*, quia nimirum Chriſtum natiuitate, prædicatione, & morte præceſſit. Simile. Ioã. 1. 15 Luc. 1. 76.

Poſtremò, quia ſicut cõceptus loquentis, cùm in mente audientis creſcit & augetur, vox ipſius loquentis iam deficere, & minui incipit, quia breuiter & facilè tranſit; ita ſimiliter Verbum Domini Dei noſtri, nimirum Chriſtus, manet in æternum, Ioannes verò vox eiuſdem Dei, quò magis ipſe Chriſtus cognoſcebatur, & in opinione apud homines creſcebat, eò magis deficiebat, & minuebatur. Quamobrem Ioannes de ſe ipſo, & de Chriſto Domino verba faciens, dicebat: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Simile. Ioã. 3. 30.

Omitto hoc loco optimam aliam rationem, propter quam Ioannes dicitur vox, quam copioſè quiſpiam poterit explicare ex Commentario in verſ. Pſalmi: *Docebo iniquos vias tuas*, vbi expo- Pſ. 50. 15.

ſuimus concionatoribus docendum eſſe verbo, & exemplo, Ioannemque ideò vocem dici, quia totus ipſe vocem prædicationis ſuo exemplo emittebat. Erat enim, & faciebat id quod prædicabat, qualis debet eſſe quicunque diuini verbi

Rom. 1. 18. concionator. *Reuelatur enim ira Dei de cælo* (vt ait Paulus) *ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiã hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Quæ verba ſignificant, tantam eſſe iram Dei in cœlo cõtra eos qui in terra ſuo malo exẽplo veritatẽ Euangelicam, quã verbis prædicant, fructificare non ſinunt, imò fructum ex ea prouenturum eodem ſuo malo exemplo impediũt, & detinent, vt in ipſa terra quodammodo innoteſcat, & manifeſta fiat. Quapropter idem Apo-

Rom. 11. 13. ſtolus ait: *Quandiu ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meũ honorificabo, ſi quomodo ad æmulandum prouocem gentem meam*, hoc eſt, Iudæos (ex quibus ipſe erat) vbi ſignificat ſe munus prædicandi Apoſtolicum non inhonoraturum ſuo malo exemplo, nec facturum ſicut faciunt illi, qui prædicandi dignitatem pudore, opprobriis, & contumeliis afficiunt, (*Lo traten como vulgarmente ſe dize à vergueça*) imò ſibi faciendum eſſe vt ſuam doctrinã bonis operibus confirmet, & ad ſui imitationem eiuſdem auditores

Gregor. 19. Mor. ca 5. prouocet; quia (vt inquit Gregorius) loquendi tauthorias perditur, quando vox opere non adiuuatur. Quamobrem ipſa opera ad hoc ipſum

Exod. 7. 10. maximè neceſſaria ſunt. Vnde in Exodo refertur, quòd cùm Deus dederit prodigioſam illam virgam Moyſi ad miracula facienda, noluit ipſe coram Pharaone eam in terram proiicere, vt in

ſerpentem

ſerpentem conuerteretur, ſed eandem dedit ſacerdoti Aaron, qui coram ipſomet Pharaone loquuturus erat, vt eandemmet in terram proiiceret: quod fecit vt ſignificaret eum oportere miracula facere, qui tanquàm Propheta Dei loquuturus erat. In quo ſignificatū eſt, vnumquemque verbi Dei miniſtrū debere in operando miracula, vel ſaltem mira opera bona facere. Id quod inſinuatum eſt vbi dicitur de Apoſtolis: *Illi autē prædicauerunt Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Marc. 16. 20. Si igitur oportet vt verbi Dei miniſtri miracula faciant ad hoc, vt fructificent, quid erit, ſi nec miracula, nec bona opera, imò mala & flagitioſa faciant? Munus quidem, & dignitatem prædicandi opprobriis, imò & ſe ipſos pudore & cōtumeliis, vt diximus, afficient. Quapropter Paulus de ſe dicebat: *Non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiatur*, 1. Cor. 9. 26. 27. reprobus, inquam, in opinione hominum, quoniam ab illis parui æſtimatur, imò reprobatur eius doctrina, qui eandem operibus non confirmat, ſed ſuis vitiis efficit, vt ludibrio & deſpectui habeatur & contemnatur. Quamobrem ſapientiſſimus Salomon ait: *Sicut claudus habens pulchras tibias, ſic non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, Prou. 26. 7. Simile. vbi alia tranſlatio habet, *claudus habet inæquales tibias, ſic parabola in ore peccatoris*, Vbi inſinuatur, quòd licèt tibiæ claudi ſint pulchræ, quia tamen inæquales ſunt, claudicat, nec poteſt illis benè, rectéque per viam progredi: ſic etiam concionator in ſuo munere, quodammodò claudus, quia eius verba operibus ipſius admodùm

modùm inæqualia & diſſimilia ſunt, quantumcumq; bene, & ornatè loquatur, neceſſariò claudicabit, nec rectè in ſuo miniſterio procedet. *Dicant ergo labia* (vt ait Auguſtinus) *quod habet cor, habeat cor, quod dicunt labia, non ſit inter oſtium & cor tuum mala rixa.* Quapropter Dauid in eodem Pſalmo inquit: *Et legem tuam in medio cordis mei, labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti,* quaſi dicat, Quia tuam diuinam legem, quam prædico, habeo in intimis cordis viſceribus, non compeſco linguam, nec labia ab eius prædicatione, & annunciatione, id quod tibi Domine notum eſt. Non ſit igitur in concionatore vox iuſti Iacob, & manus peccatoris Eſaü, de quibus fit mentio in Geneſi: qui enim talem vocem, & manum habet, ſic ſe habet, ac ſe habebat ſubtilis ille noſtri temporis fur, qui ligneum brachium fictitium veſte, & chirotheca indutum ſecum portabat, ipſúmque, & eiuſdem manum ſimul cum alia ſua manu vera; ad cœlum flexis genibus in templis tendebat, corde autem, hoc eſt, intentione mentis, & alterius manus induſtriâ à circunſtantibus pecuniam conabatur ſurripere, id quod facillimo negotio exequebatur, quia habebat vocem iuſti Iacob, & manum peccatoris Eſaü. Sit igitur concionator talis, vt quidquid in ipſo ſit, ſit vox, hoc eſt, vocem prędicationis emittat, ſicut quidquid in Ioanne Baptiſta erat, nempè vita miraculoſa, quia erat nec manducans, nec bibens, veſtis, quia non erat mollibus veſtitus, imò induebatur zona pellicea, & cibus, quia ſi aliquid comedebat, erant locuſtæ, herbę, & alia eiuſmodi. Id, inquam, omne in ipſo prædicabat, ac proinde de eo dicitur,

Aug. ſup. Pſal. 39.

Pſal. 39. 9.

Geneſ. 27. 21.

tur, quòd *erat prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* *Luc.3.8.*
Quamobrē totus ipſe dicebatur vox *In deſerto*, in ſolitudinē ſeſe, tanquàm ad tutiſſimum portum, recepit, fugiens mundum, de quo dicitur: *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Quapropter Petrus dicit: *Per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eam, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* Quam etiam ob rem ab Eſaia ſimiliter dicebatur: *Egredimini à Babylone:* per quam mundus intelligitur, in quo multa ſunt, propter quæ ab illo ſummâ diligentiâ Sancti (quibus dignus non eſt mundus ipſe) fugere contendunt. *1. Ioan. 5. 19.* *2. Pet. 1. 4.* *Eſ. 48. 20.*

Eſt enim in primis mundus fugiendus, quia nihil aliud eſt quàm infinita quædam perditorum hominum multitudo, in qua eſt quoddam ſcelerum diluuium, iuxta illud: *Diluuium mundo impiorum inducens:* quia nempè in mūdo ipſo, tanquàm diluuium, inundant, id quod Oſeas ſignificat dicens: *Non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Iuſti ergo ne à tali vitiorum inundatione ſubmergantur, à mundo recedunt, faciúntque iuxta illud: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum.* Et ſicut qui ex terra conſpicit aliquem in mari naufragantē, & iamiam ſubmergendum, non ita illi appropinquare debet, vt pariter ſimul cum ipſo ſubmergatur, ſed eundem fune, tabulâ, vel aliquo alio iuuamine à tali periculo reuocare, & liberare procurat: ſic etiam, qui ex ſolitudine, vel deſerto (qui locus licèt aſperrimus ſit, tamen tutiſſimus eſt, quia, quemadmodum anguſtia, quâ homines in *2. Pet. 2. 5.* *Oſeæ 4. 1 2.* *Num. 16. 26.* *Simile.*

Noë premebantur, ipſos conſolabantur, exiſtimantes fore vt mediante eâ ſalui & incolumes euaderent, ita ſimiliter mediante ſolitudinis aſperitate in ea vitam degentes, ſperant ſe eodem modo à mundi periculis eſſe euaſuros)qui,inquã ex deſerto aliquem videt in inundanti huius mũdi vitiorum diluuio periclitantem, ſuâ doctrinâ, ſapientiâ, virtute, & exemplo:ita eum monere debet,vt eidem auxilium præſtet,ſine eo quod ſimili periculo ſe exponat,vel prolabatur:Id quod fecit Ioannes Baptiſta, qui in deſertum ſe contulit,vbi ſic eius eximia ſapientia,admirabilis pœnitentia, & ſingulare vitæ exemplum illuxit, vt

Marc.1.6. ſicut Marcus)*Omnis Iudææ regio,& Hieroſolymitæ vniuerſi ad ipſum egreſſi fuerint.* De quibus etiam refert Lucas, ipſos videntes eiuſdem doctrinam & pœnitentiam,dixiſſe ad inuicem, quaſi in ad-

Luc.3.10. mirationem raptos: *Quid faciemus*? Vnde conſtat, quod è deſerto homines etiam in mundo inter peccatores habitantes ſuo exemplo ex eodem mundo ad ſe trahebat,mouebat,& conuertebat, ita tamen ſe habens, vt cùm aliis prodeſſet, ſibi nõ nocuiſſet, ſed ſaluus & incolumis remaneret à tot & tantis periculis, quot & quanta in mundo reperiuntur.In maximo periculo quidem verſatur,qui cum vno malo homine conuerſatur:ait

Pſalm 17. 26 27. enim Dauid,*Cum Sancto Sanctus eris,& cum viro innocente,innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris*: quia non minùs poteſt in malum vnus peruerſus, quàm in bonum poſſint multi,quorum vnus ſit Sanctus, alius innocens,alius verò electus, imò vnus malus plus poteſt ad malum. Id quod ita ſe habere Chri-

ſtus

ſtus Dominus inſinuauit dicens peruerſo Iudæ: *Ioã.13.27.*
Quod facis fac citiùs: quaſi diceret, feſtina, vt id
quod facere procuras, celeriter exequaris, ne ſcilicet
cæteris diſcipulis noceret ſua mala ſocietate
vnus, quem omnes ipſi ſuâ bonâ reuocare ab
intentato ſcelere minùs poſſent. Sicut enim *modicum
fermentum*, vt ait Paulus, *totam conſperſionẽ* *Simile.* *1. Cor. 5.*
corrumpit, ſic vnus ſolus impius multos bonos in
corruptionem adducit. Quid ergo efficiet illa
impiorum multitudo, quæ in mundo inuenitur?
Dum Diuus Petrus in Domini collegio fuit, ingruenti
etiam magnâ periculorum multitudine
in horto Gethſemani fortem, & conſtantem ſe
exhibuit pro ipſo Domino, quem cùm Deum
verum eſſe anteà confeſſus fuiſſet, poſteà, nec
ſe hominem nouiſſe iureiurando aſſeruit, cùm
inter peccatores eſſet. Tantum poteſt ad malum
malorum ſocietas, & tantum mali propter vicinum
malum aduenire ſolet, vt eſt veteri prouerbio
vſurpatum, vnde factum eſt vt Angelus Iſraëlitici
populi inter Perſas idololatras commorantis
cuſtos, ſicut habetur apud Danielem explicat *Dan.10.5.*
D. Gregorius, tam inſtanter procurauerit, *Greg. 28. Moral.*
vt ipſe populus ab ipſorum Perſarum conſortio
liberatus in Iudæam rediret, ne eorundem
moribus contaminaretur. Quam etiam ob cauſam
alius Angelus, vt refertur in Geneſi, tantam *Gen.19.*
diligentiam adhibuit, vt Lot à Sodomis
eiiceret, ne ex tali etiam conſortio aliquod malum
culpæ, vel pœnę eidẽ proueniret. Ideò igitur
D. Ioannes in deſertum relicto mundo ſe contulit. *Pſal.1.1.*
Beatus vir, ait Pſalmiſta, *qui non abijt in concilium
impiorum, & in via peccatorum non ſtetit.*

Quapro-

Zelus tuus, &c. Quòd ſi in aliis Sanctis peccata contra Deum committi videntibus ſic accenditur zelus, quid eſſet in Ioanne Baptiſta, quo *nullus maior Sanctus ſurrexit inter natos mulierum*: Dicitur de ipſo quòd in deſerto exiſtens, cùm videret Phariſæos & Saducæos peccatores ad ſe venientes, dixit illis: *Progenies viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira*? Quòd ſi illis, qui eum in ſolitudine iam quodammodò de ſuis peccatis compuncti quærebant, hoc dicebat, & ſic in eoſdem inuehebatur, quid ſi eſſet in mundo, in ciuitate Ieruſalem, vbi tot flagitia à principibus Phariſæorum perpetrabãtur: Gemitus emittebat Hieremias zelo Domini ſuccenſus, quando peccata Iſraëlitici populi conſiderabat, & ſe ad illud coarguendum & increpandum teneri intelligebat, & ita dicebat. *Væ mihi, quare genuiſti me virum rixæ in vniuerſa terra*? hoc eſt, Cùm tot ac tanta vbique peccata cõmittantur, & ego ad peccatores coarguendos ſim obligatus, quare genitus ſum? In quibus verbis ſignificauit maximum laborem, quem patiebatur quocumque iret. Obligationem verò ad illum tolerandum ſignificauit etiam D. Paulus Timotheo, dicens illi: *Argue, obſecra, increpa, vt is, qui ex aduerſo eſt, vereatur*. Non poterat itaque Ioannes ferre mala culpæ, quæ in mundo committi videbat, imò acerrimè inuehebatur in quoſcunque peccatores illa committentes, ita vt etiam adultero Regi Herodi diceret, maximo zelo commotus, & non minori fortitudine munitus: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, &c.

Matt. 3. 7.

Hierem. 15. 10.

2. *Tim.* 4. 2.

Marc. 6. 18.

Quamuis autem hoc arguendi, & increpandi labore in deſerto careret, alio tamen maximo præ-

ter alia incredibilia pœnitentiæ opera, mirum in modum affligebatur. Cùm enim Verbum incarnatum, hoc eſt, Chriſtum Dominum optimè cognoſceret, & in mundo verſari nō ignoraret, eiuſdem nihilominùs conuerſatione, & ſocietate ſuauiſſimâ, quâ frui poſſet, carere voluit, vt nimirũ cùm de ipſo in mundo teſtimonium redderet dicens, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, teſtis ſuſpectus non haberetur, qualis tamen videretur eſſe, ſi cum eodem Chriſto Domino in mundo priùs eſſet conuerſatus, & poſteà de ipſomet teſtimonium ferret. Propterea igitur in deſerto vitam degebat, ibíque erat vox clamans, *Dirigite viam Domini, &c.*

Ioan.1.29.

Ibid.v.23.

Anima vniuſcuiuſque via Domini dici poteſt, iuxta illud Hieremiæ: *Quid interim bonam oſtendere viam tuam?* Et quia per animas Deus in mundum venire ſpiritualiter ſolet, iuxta illud Salomonis: *Et per nationes in animas ſanctas ſe transfert*, & eſt vnaquæque iuſti anima via Deo placita, vt ab eodem dicitur: *Placita enim erat anima illius.* Quamobrem idem eſt dicere, *Dirigite viam Domini*, ac dicere, *directam facite animam*, quæ eſt via Domini ad hoc, vt ad nos adueniat regnũ eius, quod ab eo quotidiè petimus, quando in oratione Dominica eidem dicimus, *Adueniat regnum tuum.* Cum verò admonetur vnuſquiſque, vt viam, hoc eſt, animã ſuam dirigat, eidem inſinuatur ipſa anima interdum eſſe curua & tortuoſa. Id quod in eadem efficit peccandi grauiter cõſuetudo. Eſt enim peccatum priuatio rectitudinis debitæ ineſſe. Vnde anima, eo ipſo quò peccat curua, & gibboſa remanet, nec poteſt rectè in itinere virtutis incedere. Nam

Hier.2.33

Sap.7.27.

Idem4.14.

Matth.6.10.

re. Nam cùm grauitas peccati tanta ſit, vt propter eam dixerit Dauid: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Vnde fit, quòd qui in maximo peccati onere deportãdo aſſuefactus eſt, curuus, gibboſus, & ſolùm in terram, hoc eſt, in res terrenas propenſus ſit. Quemadmodum enim quodcumque animal nimio pondere oneratum, ſic curuatur, vt nec liberè nec rectè progredi poſſit, ſic etiam peccator nimio peccati pondere ſæpe oppreſſus in anima, & eius potentiis, curuus, & obliquus ita exiſtit, vt quodammodò ſe à peccatis committẽdis cohibere minimè poſſit, nec à tanta miſeria reſurgere, niſi diuino gratiæ iuuamine ab ea reuocetur, & inde perditam rectitudinem reſtituatur. *Miſer factus ſum & curuatus ſum*, dicebat de ſe Dauid, *tota die contriſtatus ingrediebar.* Quod explicans Auguſtinus dicit, hanc curuitatem ex pondere peccatorũ prouenire. Et vnde ſibi hæc curuitas promanauerit, declarat ipſe Dauid, dicens de ſuis inimicis: *Laqueum parauerunt pedibus meis* (ex capillis nempe & pulchritudine Berſabææ ſe nudã ante ipſius oculos lauantis) *& incuruauerunt animam meam*, maximo nimirum peccati pondere, eam multoties onerando. Sicut enim, vt in eadem ſimilitudine progrediamur, homo oneribus deportandis aſſuefactus, ex aſſidua eorum conſuetudine curuus & gibboſus ita euadit, vt caput & oculos in terrã duntaxat inclinet: ſic etiã ex crebra, & nimia conſuetudine peccandi ſuſtinendique peccati onus prouenit, quòd mens ita incuruetur, & propendat in terrena, vt prçter illa nihil aliud cogitet, cupiat, aut exquirat;

Pſal. 37. 5 · *Simile.* · *Pſal. 37. 7.* · *Auguſtinus.* · *Pſal. 56. 7.* · *Simile.*

1. Metam. *Pronaq́, cùm ſpectent animalia cætera terram.*
vt ait Ouidius: Deus
Os homini ſublime dedit, cælumq́, tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Et tamen peccatores ita curui, & in terrenas res propenſi ſunt ſpretis, & contemptis cœleſtibus, vt
Pſal. 16. 11 de illis dicat Dauid: quòd *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, quam maximam miſeriam idem Dauid nonnullis hominibus imprecatur dicens;
Pſ. 68. 24 *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorũ ſemper incurua.* Quæ duo ſimul in peccatore reperiuntur, quia ex eo, quòd in terrena eſt tam propenſus & inclinatus, prouenit, quòd nec ad cœleſtia mentem erigat, nec de eiſdem aliquid cogitet.
Baruch. 2. 18. Quod omne ſignificatur per Baruch cùm dicit; *Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudinem mali, & incedit curua, & infirma, & cuius oculi deficientes, &c.*

Erat igitur illa Ioannis Baptiſtæ vox, nempe, *Dirigat vnuſquiſque viam Domini*, hoc eſt, animã ſuam, expellendo ab ea omnem curuitatem & obliquitatem, & dirigat mentem, & deſiderium ad cœleſtia. Quin etiam per viam Domini poteſt
Iob 8. 19. intelligi voluntas vniuſcuiuſque, iuxta illud Iob; *Hæc eſt enim lætitia viæ eius*, quia eiuſdem voluntatis conſenſus in homine requiritur, ad hoc vt ſuper ipſum Deus per gratiam veniat; vnde quando
Luc. 1. 35. Angelus dixit Deiparæ Virgini: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: ad hoc vt ſuper eam ſuperueniret,
Ibid. v. 38. opus fuit, quòd ipſa diceret: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, præſtãdo voluntatis conſenſum, imò etiam per vias reliquæ ſimiliter animæ potentiæ ſimul cum voluntate ſignificantur,

ficantur,vbi dicitur:*Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* Iuxta quem ſenſum dirigere viam Domini eſt, Dirigere & rectam facere voluntatem,quæ rectitudinem perfectam habet, quando non ſolùm vult & procurat beatitudinem,quę ſuprema fœlicitas eſt,ſed etiam media ad ipſam conſequendam neceſſaria. Sicut etiam illa voluntas maximè curua & obliqua exiſtit,quę nec beatitudinem, nec media ad illam adipiſcendam conducentia,nec ſalutem ſpiritualem,nec ſimiliter media ad ipſam conſequendam intendit, quam maximam curuitatem in ſe ſignificauit Dauid Pſalmo ſupra citato,dicẽs:*Miſer factus ſum,& curuatus ſum vſque in finem.* quaſi diceret, In tanta miſeria exiſto, & tantam curuitatem in voluntate habeo,vt non ſolùm ad media, ad finem ſupernaturalem, nempe beatitudinem & fœlicitatem æternam neceſſaria non pertingat volendo ipſa,ſed nec etiam vſque ad finem ipſum, qui per antonomaſiam dicitur ſuprema hominis fœlicitas, ſuo deſiderio perueniat, quæ miſeria maxima eſt, & maxima ſimiliter obliquitas. Ob quam accommodatè qui peccato aſſuefactus eſt,miſer & curuatus eſſe factus dici poteſt.

Pſal. 118. 5.

Pſal. 37. 7.

Ex quibus verbis colligere poſſumus duplicem in voluntate talis peccatoris eſſe curuitatem, ſeu obliquitatem, vnam, quæ maxima eſt, pertingentem vſque ad finem:alterã verò,quæ minor eſt,attingentem vſque ad media dumtaxat ad talem finem. Portò illa maxima obliquitas reperitur in peccatore,quando peccatum totum ipſum ita occupat,vt in eo omninò regnet. In quam calamitatẽ ne aliquis deueniat, ait Paulus:*Non ergo regnet*

Rom. 6. 12.

peccatum in veſtro mortali corpore vt obediatis concupiſcentiis eius. Æger quidem ille eſt, qui indiget medicaminibus quæ ad ſalutis conſecutionem ſumere vult, ſed magis æger ille eſt, & periculoſiùs ægrotat, qui indigens medicaminibus, ea ſibi adhibere non vult, ad ſalutem conſequendam, at verò ille præ cæteris in extremo periculo eſt conſtitutus, qui cùm omninò potionibus ſalutiferis ad ſanitatem comparandam indigeat, ſpretis & effuſis illis freneticus effectus vtitur aliis pernitioſis, & ad quemcunque ſalutis modum deperdendum maximè efficacibus, & in tali quidem ægroto regnat morbus, nec in eo aliqua ſalutis ſpes ſupereſſe videtur. Ad quem modum dicendum eſt, regnare in eo peccatum, qui mediis ad finẽ conſequendum neceſſariis non vtitur, imò eadem reſpuit, nec etiam de illo conſequenda cogitat, ſed potiùs reſpuit & contemnit, & ea diligit & quærit, quæ ad ipſum deperdendum, & penitùs obliuiſcendũ conducunt, cum tamen eius mens naturaliter ad eundem finem, nempe Deum, ſit valdè inclinata. Tanta eſt enim naturæ deordinatio in animam per peccatum inducta, vt non id, quod ſuâpte naturâ velle debebat, imò contrarium appetat & exquirat. Sicut enim pauperes vulnera inueterata habentes ſanari de eiſdem nolunt, quia de ipſis viuunt, ſicut qui diuturnio tempore in carcere incluſus vixit, quando ab eo demittitur, ab eodem exire non vult, ſed eiuſdem carceris hoſtiarius fieri procurat, & ſicut denique qui diu in aliquo hoſpitali ęgrotauit, quando ſanus euadit, ægrotorum cuſtos factus, ibi ſæpenumerò remanet, licèt vnus vulnerum, alius verò morbi ſanitatem, alius verò libertatem

Simile.

Similia.

libertatem tanquam finem propoſitum prætendere debeterſic etiam, qui ſpiritualium vulnerum, & ſpiritualis morbi ſanitatem, ſpiritualemque ſalutem, & libertatem, tanquàm finem velle debebat, nec illã, nec media ad ipſa conſequenda vult, quia nimirum regnat in eo peccatum, quod omnia hæc funditùs euertit, & habet ſe hic, qui ſpiritualem animæ ſuæ ſalutem reſpuit, & contemnit, ſicut ſe habebant illi, qui habentes puellam quandã malè à dæmonio vexatam, quæ tamen eis maximam pecuniæ copiam lucrabatur diuinando, & declarando plurima occulta, & incerta, qualia erãt furta, & ipſorum factores moleſtiſſimè tulerunt ipſam ſanatã fuiſſe à diuo Paulo, liberãtem ipſammet à dæmone, qui eã occupauerat, & eam diuinari fecerat, id quod refertur in Actibus Apoſtolorum, habet ſe, inquam hic, ſicut illi, quandoquidem, quia de ſuis peccatis viuit, & victum, & veſtitum quærit, vt meretrix de ſua turpitudine, fur de ſuis latrociniis, & vſurarius de ſuis iniuſtis lucris, ab eiſdẽ peccatis animam ſuam non vult liberari, nec proinde ſpiritualem ſalutem ſibi comparare. Vt autem hoc malum non fiat, faciat vnuſquiſque vt in ſe *gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam*, ſicut ait Paulus, quæ vita æterna finis eſt, verſùs quem non debet eſſe curua, ſed directa voluntas. *Simile.*

Illa verò minor voluntatis curuitas in eo reperitur, qui non eſt quidem curuatus vſque in finem, nempe Deum, ſeu vſque in ſalutem ſpiritualem, nimirum gratiam & iuſtitiam, ſed reperitur in eo, qui media ad tales fines conſequendos non adhibet. Vult enim finem, ſed nõ media ad finem, vult

ſaluus fieri,ſed nõ vult quæ ad hoc neceſſaria ſunt facere,vult quidem Deum, ſed non vult ipſi Deo inſeruire. Et iſte talis dicendus eſt reuerà non velle Deum, nec ſimiliter ſaluus fieri, ſiquidem quæ ad hoc requiruntur contemnit & prætermittit.

Pſ. 33 13. 14. & 15. Quamobrem eidem videtur dicere Dauid: *Quis eſt homo,qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Et addit infrà: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonũ, inquire pacem, & perſequere eam:* quaſi dicat, Non dicat aliquis ſe velle vitam æternam, quæ eſt vltimus finis, & dies bonos videre, ſi media ad hæc acquirenda non adhibeat, nempe prohibere linguam à malo,& ab eo declinare,& facere bonum, inquirere pacem,&c.quia iſte talis licèt quodammodò velit finem, non tamen illud ſimpliciter, ſed ſecundùm quid vult. Ad quem modũ explicat

Pſal. 14. 1. & 2. S. Baſilius illud Pſalmiſtæ: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?*&c. Et reſpondit: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.* quia ſcilicet hoc facere debet ad habitandum in tabernaculo Dei.

Simile. Ad quem modum prudens medicus ab eo qui periculosè ægrotat,quærit aliquando an ſanari velit, quod facit non quaſi dubitans ipſum ſalutem velle,ſed quodammodò ei ſignificans,debere illa,quę ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, facere, ac propterea ad eam voluntatem dirigere.

Erit igitur perfectè directa voluntas ea quæ non ſolùm in finem, nempe Deum, ſed in media ad talem finem, directa fuerit, vel volendo ipſa, vel ſaltem cupiendo ipſamet velle & deſiderare. Iuxta illud: *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* Id quod Chri-

Pſ. 118. 20.

ſtus

ſtus Dominus ſignificauit diſcipulis, dicens eis: *Si* Ioã.14.23.
quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: quaſi dicat, Ille me tanquàm finem diligit, qui media ad me conſequendum ſeruando, meam legem adhibuerit, & quando ita eius voluntas fuerit directa, via erit, per quam ad Deũ veniemus (vt ſtatim adiicit) per gratiam ſcilicet, *& manſionem apud eum faciemus*, per gloriam quam mihi & vobis, &c.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM LVC. 3. 5.

Omnis vallis adimplebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, erunt praua in directa, & aſpera in vias planas, & videbit omnis caro ſalutare Dei, &c.

ACCOMMODATE quidẽ per valles, & conualles, in diuinis literis humiles ſignificantur, ſiquidem profunda humilitas eorum inter ſuperbos mundi habitantium, valdè ſuperat quamcumque profunditatem vallium & conuallium inter altos
montes interiacentium. *Valles* (ait Dauid, loquens Pſ.64.14.
de humilibus) *abundabunt frumento*, hoc eſt, bono- 8.
rum operum tritico: id enim videtur frumentum ſignificare apud Zachariam, vbi dicitur: *Quid pul-*

Zachar. 9. 17. *chrum eius, niſi frumentum electorum*? Quòd ſi conuallis & vallis quemcumque humilem ſignificat quantò melius humillimam Virginem Mariam ſignificabit, quæ quando ab Archangelo Gabriele, vt refert Lucas, mater altiſſimi vocabatur, ſe ancil-
Luc. 1.38. lam eiuſdem reputabat & nominabat dicens: *Ecce Ancilla domini*, &c. Dicitur autem ipſa conuallis in Cantico Canticorum, de eiuſdem filio Chriſto
Cant. 2.1. Domino: *Ego flos campi, & lilium conuallium*, quia ipſe Chriſtus Dominus ab eâdem ſuperueniente Spiritu Sancto, genitus eſt, non aliter quàm flos, à Campo, & liliũ à conualle, quæ ſine aliqua cultura, aut artificio ab eiſdem ſolo cœlo deſuper concurrente generãtur: adimpleta etiam ante omnes, talis vallis, nempè humillima Virgo, fuit: ſiquidem idem Archangelus eandem appellauit ante omnes
Luc. 1.28. gratiâ plenam dicens: *Aue gratiâ, plena*, &c. Porrò, fuit vallis abundans frumento diuino, de quo di-
Pſ. 80.17. xit Dauid: *Cibauit illos ex adipe frumenti*. Et alibi:
Pſal. 147. 14. Adipe frumenti ſatiat te. D. Ioannes etiam dicit,
Ioã. 12. 24. granum frumenti cadens è cœlo, quòd in terra, talis ſcilicet vallis, multum fructum non ſolùm tulit, quando ipſum in ſe excepit & cõcepit, ſed ſemper gratiæ multum fructum affert, quando ipſummet pro hominibus deprecatur. Efflagitemus ergo ab ea, vt nunc ab eodem pro nobis id faciat, dicentes ei, *Aue Maria gratiâ plena*, &c.

Omnis vallis adimplebitur, &c.

Iſai. 40. 4. CONtinent hæc verba (quæ ex Eſaia deſumpta ſunt.) quandam eiuſdem Prophetiam, quæ fœlicem

fœlicem ſtatum, tempore Euangelicæ legis, inter fideles futurum, vel ſaltem fore debiturum depingit. Status verò erat ille, quem diuus Lucas deſcribit, dicens: *Multitudinis autem credentium erat cor* Act.4.32.
vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Et paulò inferiùs, *Quotquot enim poſſeſ-* Verſ. 34.
ſores agrorum, aut domorum erant, vendentes affere- 35.
bant pretia, & ponebant ante pedes diſcipulorum. diuidebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat. In quibus verbis perſpicuè refertur, quod eo naſcētis Eccleſię tēpore ita inter fideles vigebat charitas, vt ex diuitibus, id volentibus & conſentiētibus, quaſi ex mōtibus & collibus quibuſdā, tollerentur ea, quibus depreſſi pauperes, quaſi profundæ valles, ab inopia ſubleuati implebantur, vt inter omnes æquitas, & æqualitas, & quædam admirabilis viuendi ſine offendiculo ſuauitas maximè floreret, Quod omne prophetica verba ab Euangeliſta relata, & à nobis propoſita inſinuāt. Nam per montes ſæpiſſimè in diuinis literis, ſuperbi diuites, ſicut per vallis humiles pauperes ſignificantur. Et de montibus quidem id patet: dicit enim de ipſis Iob: *Subuertit à radicibus montes* Et Moyſes. *Mon-* Deut. 32.
tium fundamenta comburet Et Dauid: *fundamenta* 22.
montium conturbata ſunt, vbi per radices, & funda- Pſ.17.8.
menta montium, diuitiæ, quæ ſunt fundamenta & radices diuitum, intelliguntur. De vallibus verò quòd humiles pauperes deſignent, ſimiliter conſtat: nam dicitur apud Micheam: *Valles ſcindentur,* Mich. 1.4.
ſicut cera. Item & apud Iſaiam: *erunt electa valles* Iſai. 22.7
tua plena, &c. Iuxta quod ipſa Prophetica & Euangelica verba, quæ exponimus, illud inſinuant

conſi-

conſideratione dignum, nempe tollendum eſſe de plenitudine montium ad replendam vacuitatem vallium, hoc eſt, de abundantia temporali diuitū eſſe ſupplendam inopiam temporalem etiam pauperum, vt de bonis ſimiliter ſpiritualibus, quibus humiles pauperes abundant, & ad comparandam magnam occaſionem præbent in ſuperbis diuitibus, qui illis carent, fiat vice versâ indigentiæ ſupplementum, ac proinde inter eoſdem perfecta detur æqualitas, & praua in directa omninò conuertantur. Id quod Paulus planè inſinuat loquēs cum diuitibus, de pauperibus, dicens eis: *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementū, ſicut ſcriptum eſt.* Et vt hoc ita fieret, voluit Deus omnipotens, qui omnes homines poſſet tam in bonis temporalibus, quàm in ſpiritualibus diuites facere, vt qui his abundarent, illis carerent, & vice verſâ vt nempè inter omnes (ſicut ſentit Auguſtinus) ea eſſet communicatio, & ea efficeretur æqualitas. Quemadmodum enim nunquàm dantur, nec dari poſſunt montes ſine vallibus inter ipſos interiacentibus, quibus quodammodò nituntur & fundantur, quæ tamen valles, aquas, quibus irrigantur, & humorem, quo fœcundantur, ab eiſdem montibus inceſſanter accipiunt: ſic etiam noluit Deus, quòd diuites ſine pauperibus in mundo eſſent, ſed voluit, quòd ipſi ab eiſdem diuitibus importunè petentes, & inceſſanter recipientes tantum per indigentiam, quantum ipſimet diuites per patientiam mererentur & proficerent. Labor itaque & meritum pauperum in eo conſiſtit, quòd diuites ſibi ſuperiores habeant, ad eorúmque pedes,

2. Cor. 8. 14.

Auguſtin.

Simile.

des, quaſi valles ad pedes montium, ſint poſiti. Quamobrem Dauid ex parte ipſorum dicebat: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, qui vtique labor maximus eſt, ſed in eo non eſt minùs meritũ. Quapropter ait ipſe Dauid: *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper*. Et licèt propter hoc dicat etiam eodem in Pſalmo, quòd *non in finẽ obliuio erit pauperis*, addit tamen de patientia, qua diuites pauperum moleſtiam tolerant, *Patientia pauperum non peribit in finem*, vbi etiam merendi æqualitas inter vtroſque reperta ſignificatur. Pſ. 65.12. Pſal. 9.23. Verſ. 19.

Porrò propter vtilitatem, quæ diuitibus ex pauperum conſortio & cõmercio prouenit, illud eiſdem eſt pollicitus, quaſi maximum beneficium tam veteris, quàm nouæ legis tẽpore. Dicit enim Moyſes: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*. Et Dominus in Euangelio: *Semper pauperes habebitis vobiſcum*. Quamobrẽ fuit ſingulare Dei beneficium erga diuitem auarum, de quo Euangeliſta, Lazarum mendicum ad eiuſdem oſtium adducere, quod etiam erga ipſum Lazarum ſingulare ſimiliter beneficium extitit. *Eſt* enim, vt dicitur à Salomone, *quaſi diues, cùm nihil habeat, & eſt quaſi pauper, cùm in multis diuitiis ſit*. in quo ſignificatur tam pauperem, quàm diuitem, alterius bonis ad inuicem mûtuò indigere. Quamobrem ſemper Deus illos coniungit, eiſdem ſingulariter benefaciens. Vnde dictum eſt ab eodem Salomone: *Diues & pauper obuiauerunt ſibi, & vtriuſque operator eſt Dominus*. Vbi alia tranſlatio habet: *Diues & pauper inter ſe conueniunt, vtrorumque factor Dominus eſt*. Et alibi: *Pauper & creditor obuiauerunt ſibi, vtriuſq; illuminator eſt Dominus*. Quæ loca planè ſignificant, Deut. 15. 11. Io. 12.8. Luc. 16. Prou. 13.7. Prou. 22. 2. Prou. 29. 13.

ſignificant, quòd quando pauper occurrit diuiti, vel diues pauperi, vel quando ſimul habitant, illud à caſu nō contingit, ſed à diuina prouidentia ordinatur, vt nempe diues de ſua plenitudine pauperē, quaſi mons ex ſua ſuperfluitare, vallem adimpleat.

Pſ. 67.16. Ad imitationem igitur Chriſti Domini, qui *mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus* dicitur à
2. Cor. 8.9. Pſalmiſta, quique (vt ait Paulus loco ſuprà citato)
Ioan. 1.16. *propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt eius inopiâ vos diuites eſſetis: ſiquidem de eius plenitudine omnes accepimus*, vt inquit Ioannes, vnuſquiſque veſtrùm de ſua abundantia pauperum inopiam ſuppleat, non enim ſolùm naturæ authorem, ſed etiam ipſam imitabitur naturam, quæ in corpore humano membris magis ægris, infirmis, & affli-
Similia. ctis cæterorum quodammodò oblita ſuccurrit, ſicut experientiâ patet in partibus corporis vulneratis, & in venis ſciſſis, quibus ipſa natura totum ſanguinem elargitur, ſi non impediatur, Et ſicut etiam cernitur, quando grauia aſcendunt ſurſum, & leuia deſcendunt deorſum, cum aliquali ipſius naturæ diſpendio, ne vacuum in hac mundi machina aliqualiter detur. Imitabitur etiam, qui hoc fecerit cœlum ipſum, quod quaſi mons maximus,
Geneſ. 1.2. terraque de ſe, quaſi profunda vallis erat inanis, & vacua, vt dicitur in Geneſi, ſuis influentiis, rore, & pluuiâ fœcundat, à qua rurſus pulcherrimi flores quaſi terrenæ Stellæ verſùs ipſum cœlum pullulatur, quod in eiuſdem magnum honorem cedit, & exhalationes, & vapores inde aſcendunt, Ex
Pſ. 111.3. quibus ab ipſo plurima alia mirabilia conficiuntur. De bono diuite, de quo ait Dauid, *gloria & diuitiæ in domo eius*, dicit etiā, quod *diſperſit, & dedit* *pauperi-*

pauperibus,hoc eſt,quòd de ſua abundantia, quaſi mons de ſua plenitudine,dedit pauperibus, quaſi vallibus ea,quibus implerentur,& addit:*Et iuſtitia eius manet in ſeculũ ſeculi*. Vbi per iuſtitiam intelligitur eleemoſyna,non ſolùm quia ſæpenumero de iuſtitia,pauperibus debetur, ſed etiam quia ſicut iuſtitiã ſibi veſtem facit, qui ſcindit ex ea id quod ſupereſt:ita qui facit iuxta illud, *Quod ſupereſt,date eleemoſynam*,iuſtè & æquè facit, dando pauperibus id quod ei ſupereſt. Hæc autem iuſtitia eſt ea æquitas,quæ montes & valles, hoc eſt, diuites & pauperes æquales reddit, quales ipſi fuerunt, eo naſcentis Eccleſiæ tempore, de quo prædictum erat illud. *Omnis vallis adimplebitur, & omnis mõs & collis humiliabitur.*

Verſ.6

Simile.

Luc. 11. 41.

Iſa. 40.4.

Nec mirum illud erat, ſiquidem in ædificatione illius Sancta ciuitatis Hieruſalem, quæ nunc ædificabatur, omnia ad muſim fiebant, adimplebabatur illud Zachariæ:*Et perpendiculum extendetur ſuper Ieruſalem* : quibus verbis prædictum erat, quod praua in directa erant conuertenda,& quòd omnia per charitatis normam erant in eo diuino Eccleſiæ ædificio menſuranda. Eſt perpenſum,quo directo lapides menſuranda. Eſt perpendiculum, funiculis quidam,cui eſt plumbum appenſu, quo directo lapides menſurari ſolent, an in æquali peropportunè ſint in ædificio collocati, an ne alij aliis plus ęquo ſubſiliẽtes exiſtãt. Fiebat autẽ tunc pulchrũ, & minimè tortuosũ ædificium,quia omnia charitate quaſi perpẽdiculo, & regulâ mẽſurabantur. Nã qui inter alios erãt ſubſiliẽtes,quia poſſeſſores erant agrorũ,& domorũ,illa vendebãt,& pretium dabãt, quod ſingulis eorũ,qui præ inopiâ

Zach. 1. 16.

erant quodammodò abſcõditi diuidebatur, prout cuique opus erat, ſicut ex *Act.* 4. ſuprà relatum eſt, & ita quæ praua erant, directa efficiebantur. Ad quem modum, quia ſæpe contingit, vt qui diuitiis abundant, eas ad oſtentationem exire faciant, vt ditiores & potentiores, quàm ſunt, cæteris vi-
Iſa.16.6. deantur. De quibus dictum eſt: *Audiuimus ſuperbiam Moab, & ſuperbus eſt valdè: nam ſuperbia eius & arrogantia eius maior, quàm fortitudo eius.* Quam-
1.Tim.6.17. obrem Paulus circum illos dicit: *Præcipe diuitibus huius ſeculi non ſublimè ſapere*, quia, inquam, ſæpe contingit vt tales diuites ad oſtentationem ſuas diuitias exire faciant, eas vanè diſſipando extendant ipſi perpendiculum, & regulam charitatis, eaſdémque abſcondent, coaceruabunt, & ſumptibus parcent, conſiderantes ſe familiam habere, & multos pauperes eſſe, quibus prouidere tenentur.

Itémq; ſi inſtat grauis neceſſitas, quâ inopes, & egeni maximè laborant, extendant ſimiliter charitatis perpendiculum, & oſtendet eis ipſos debere eoſdem pauperes, quaſi ædificij vacuitates implere, & ad hoc ipſum pecunias ex theſaúris & loculis, aliáſque opes ex arcis foris educere. Ita enim erunt praua in directa, & omnis vallis adimplebitur, & omnis mons humiliabitur, & omnia in æqualitatem redigentur.

Cæterùm nihil minus fit, quàm hoc ipſum his calamitoſis temporibus, de quibus dictum eſt,
Matth.24. quòd in eis *refrigeſcet multorum charitas.* Nam in ea prima ædificatione militantis Eccleſiæ, ſeu ciuitatis ſanctæ Ieruſalem, quarum ciuibus dice-
Eph 2.20 bat Paulus: *Superædificati eſtis ſuper fundamentum*

Apoſto-

Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Erant lapides huius eiuſdem ædificij tam firmi, &, vt ait idem eâdem epiſtolâ *tam fundati & radicati in ipſa charitate.* Vt de illis, & de ſe dixerit ipſe Paulus alibi: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio?an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum?an perſecutio?an gladius?* &c. quaſi diceret, nihil profectò. Sed paulatim ab eo fœlici naſcentis Eccleſiæ tempore ita charitas refriguit vſque ad nos, *in quos fines ſeculi deuenerunt,* ſicut inquit Apoſtolus, à minimo vſq; ad maximum omnes auaritiam ſequantur. Sicut etiam inquit Hieremias nec aliquis egenorum inopiam ſubleuet, licèt fame omninò pereant, & ſub terram penitùs ſubmergantur. Sicut enim quando aliquod magnum ædificium erigitur, ita conſtruitur, vt in fundamentis eius firmiſſimi lapides iaciantur, & deinde paulatim minùs firmi, & poſteà multò minùs firmi adhibeantur alij, quouſque ipſum ædificium deueniat ad ea, quæ in ſummitate tecti quocunque vento à firmitate ſeparantur, mouentur, & circumferuntur: ita etiam tot ac tanti Sancti fuerunt prima Eccleſiæ fundamenta, quibus alij ſucceſſerunt minùs fortaſſe in charitate firmi, & his alij multò minùs in ea firmi, quouſque tractu temporis deuentum eſt ad nos infirmiſſimos, *in quos fines ſeculi deuenerunt,* vt ſuprà dictum eſt, quouſque parua res parui ponderis, & momenti à charitate ſeparat. Et hanc Eccleſiæ Catholicæ calamitatem & ruinam videtur Hieremias ſignificaſſe dicens de ipſius filiis. *Filij Sion inclyti & amicti auro puriſſimo, quomodo computati*

Cap. 3. 18.
Rom. 8. 34.
1. Cor. 10. 11.
Hierem. 8.
Simile.
1. Cor. 10. 11.
Thren. 4. 2.

ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Eademque videtur figuraſſe illa Statua, quam vt refertur Daniel, Nabuchodonoſor vidit in ſomnis, habebat enim caput aureum, pectora argentea, ventrem æneum, tibias ferreas, & pedes fictiles, & ita incipiebat ab auro, & terminabatur in luto, quod ſignificabat talem futuram eſſe Reipublicæ Chriſtianę inconſtantiam, vt cum primi eius inſtitutores cõmuniter in charitate Chriſti ardentes extiterint, eorum ſucceſſores paulatim frigidiores in illa facti fuerint, quouſque plurimi ex ipſis in frigidum vitiorum lucrum tandem deuenerint. Significat autem aurum charitatem in Apocalypſi, vbi dicitur: *Suadeo tibi emere à me aurum optimum, vt locuples fias.* Lutum verò, ſeu terra, ſignificat auaritiã, iuxta illud Exodi: *Deuorauit eos terra*, nimirum auaritia, quæ in cauſa fuit, vt Ægyptij ſub aquis maris ſubmergerentur. Quod etiam *Num. 16.* dicitur, & inſinuatur in Exodo, vbi dicitur: *Puluis terræ verſus eſt in cyniphes pungentes.*

Dan. 2. *Apoc. 3. 18.* *Cap. 15. 12.* *Exod. 8. 17.*

Quapropter hoc calamitoſo tempore hac in re tanta monſtruoſitas cernitur, vt non de montibus iam tollatur id, quo valles adimpleantur, ſed de ipſis vallibus educatur id, quo eidem montes quotidie magis cumulentur, & in ſublime altiùs efferantur: non enim tollitur de diuitibus id quod pauperum inopiam ſuppleat, & ſubleuet, ſed ex ipſis pauperibus miſerabiliter aufertur id quod, diuites in dies magis ditiores facti inſolenter tumefiant, & multò periores efficiantur. Sunt enim diuites huius ſæculi ſicut lien infirmum, vt tumefactum, quod omne alimentum ad ſubſtentanda & nutrienda cętera humani corporis membra neceſſari um

Simile.

ſarium ad ſe ſolùm attrahit,& ſibi ſoli aſſumit,eóque ſibi ſoli aſſumpto,& à reliquis membris ablato,quotidiè magis infirmum, & tumefactum redditur,quemadmodum,& membra ipſa indies magis eodem alimento orbata deficiunt, & infirma reddũtur. Quamobrem diuitum auaritia efficit,vt ipſi magis ſuperbi, inſolentes, & inflati euadant, pauperes verò magis debiles,magis egeni, & magis deficientes reddãtur. Quibus Deus maximum ſupplicium minitatur per Prophetã,dicens:*Multi morientur, & in omni loco proijcietur ſilentium. Audite hæc qui conteritis pauperes, & deficere facitis egenos terra,dicẽtes. Quando trãſibit meſſis*(vbi Rupertus transfert,*quando tranſibit menſis*)*venundabimus merces,& Sabbatum, & aperiemus frumentum, vt imminuemus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas,vt poſſideamus in argento egenos,& pauperes pro calceamentis.* Amos 8. 3.4.5.6.

Sunt prætereà, qui ipſis diuitibus munera ampla offerunt,& elargiũtur,cùm interim nihil omninò pauperibus, ſed ab eiſdem multa ſæpiſſimè ſurripiãt,veluti nonnulla, eadémque maxima flumina,qualia ſunt Tagus,& Durius,quæ per aridiſſimas terras tranſeuntia non illis ſua fluenta communicant, imò ex fontibus ipſorum paſſim recipiunt aquas,quibus ipſæmet terræ indigent, & in mare influendo, quidquid aquarum vndequaque collegerunt, eidem mari illis minime indigenti ſuperfluè,& ſuperuacaneè elargiuntur.Nam cùm hi inter eos viuant,qui ſunt in ſumma indigentia conſtituti, non eoſdem ab ea ſuo iuuamine ſubleuant, imò ab ipſis violenter, fraudulentérque munuſcula accipiũt.Ex quibus munera ampla & ma-

potentiores totius Regni cumulent, cùm tamen illis minimè indigeat, ac proinde nec coram eiſdē gratitudinem, nec coram Deo meritum conſequuntur. Diſſipatur quidem & deperditur oleum, & quiuis alius vtilis liquor, quando in vaſa alio, vel ſimili liquore plena effunditur, quod tamen non fit, ſi in ea, quæ vacua ſunt, iniciatur. Quapropter Propheta Eliſæus viduæ cuidam præcepit, vt ſi ex oleo viuere, & debita ſoluere vellet, illud in vaſa vacua effunderet. Quo etiam modo ſignis munera illis, qui muneribus abundant, & opibus circumfluunt, elargiatur, ea amittit, nec aliquid meretur, imò prodigioſam illam inæqualitatem cauſat: quæ tempore naſcentis Eccleſiæ ab ea fuit longè propulſata, quando valles fuerunt adimpletæ, montes verò humiliati & colles.

Simile.

4. Reg 4.

Erunt aſpera in vias planas. Erunt quidem abſq; dubio praua in directa, & aſpera in vias planas illis conuertenda, qui virtutem incipiūt amplecti, & opera eius conantur conſectari. Quemadmodum enim illi, qui induuntur nouis veſtibus, in quibus commiſſuræ adhuc ſunt elatæ & minimè complanatæ, aſperitatem quandam & anguſtiam in principio ſentiunt, quam tamen poſtquam ipſæ commiſſuræ ſunt ad æqualitatem, & planitiem quandam redactæ, non expediuntur, ſed ſuauitatem quandam & facilitatem, quæ eos valdè recreat: ſic etiam illi, qui per virtutem induunt nouum hominem, nempe Ieſum Chriſtum de quo ait Paulus: *Induimini Dominum Ieſum Christum*, & exuunt veterem, hoc eſt, vitia, quæ à veteri Adamo acceperunt, iuxta illud

Simile.

Rom. 13. 14.

illud eiuſdem Pauli : *Exuentes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum*, difficultatem quandam tolerant in initio, quia virtus, vt ait Philoſophus, verſatur circa difficile, quam tamen poſteà, quando iam promptè & delectabiliter operantur, in operibus ipſius virtutis non inueniunt, ſed miram dulcedinem & ſuauitatem, quæ quidem illi, qui virtute prædirus eſt, ſic promiſſa fuit: *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Quod idem de ſe inſinuat Dauid, dicens: *In via, teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis.* De qua via & de ſimilibus propterea dictum eſt, quòd erunt aſpera in vias planas conuertenda. Hoc etiam idem eſt, ac ſi dicatur, Montes & colles, qui communiter aſperi ſunt, plani reddentur, & planities quaſdam pulcherrimas habebunt, quaſi dicatur, Diuites, & potentes adeò eo tempore legis gratiæ erunt humilitatis amatores, vt planitiem quandam omnibus in rebus præſeferant, quæ in eiſdem virtus pulcherrima apparebit. Nam ſicut planities ſita in vallibus, vbi ſuâpte naturâ reperiri ſolet, non tanti æſtimatur, quanti ea, quæ in montibus reperitur, quia in ipſis venuſtatē quandam & pulchritudinem habent miram, ſic humilitas, quæ quaſi planities in montibus, in diuitibus & potentibus inuenitur, magni tum apud homines, tum vel maximè apud Deum fit & habetur. Nam ſicut ea peccata, quæ ſi-

Coloſ. 3. 10. *Prou. 4. 11.* *Pſ. 118. 14.* *Simile.* *Simile.*

ne occaſione committuntur, à Deo perfectò & magno odio habentur, iuxta illud: *Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valdè anima illorum, pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, & ſenem fatuum, & inſenſatum*, vbi innuitur quòd ſuperbiâ pauperũ, qui peculiariter humiles eſſe debebant, & mendatiis diuitum, qui habẽtes vnde facile ſoluere poſſint, debitum non ſoluunt, & turpitudine ſenum, quos opus carnis iam reliquit, mirum in modum Deus offenditur: ſic etiam illis peculiariter virtutibus maximè lætatur (quo ipſe modo lætari poteſt) quæ elucent in illis, qui ad eaſdem occaſione carent. Eam enim ob cauſam tanti ęſtimata fuit Angelorum humilitas, adeò vt propter ipſam eoſdem æternâ gloriâ cumulauerit, qui nẽpe ſublimis ipſorum natura, mira intellectus perfectio, & eximia gratiæ excellentia non ipſoſmet ad tantam humilitatem, imò ad oppoſitum prouocaret. Illa igitur cœleſtium Spirituum, ſeu collium & montium æternorum planities maximi à Deo æſtimata fuit, & ea, quæ ſimiliter in magnis legis gratiæ Sanctis reperta fuit, quando conuerſa ſunt aſpera in vias planas.

Eccleſ. 25. 3.4.

Dicebantur etiam futura aſpera in vias planas, quia erant tempore nouæ legis, leuia, facilia, & ſuauia facienda illa, quæ in tempore legis veteris aſpera, grauia, & admodùm difficilia exiſtebant, id quod in Euangelio Chriſtus Dominus ſignificauit, dicens: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Inſinuans ſimul multò alter legem veterem Moyſis ſe habuiſſe, de qua idcirco Diuus Petrus dixit eſſe iugum, *quod nec nos, nec*

Matth. 11. 30.

patres noſtri portare potuimus, & meritò: nam præter quam quòd complectebatur ipſa 613. præcepta, ad quorum difficillimam obſeruantiam, qui ſub illa viuebant, tenebantur (ſicut docet Galatinus) eadem lex potiùs faciebat vt iuſtum eſſet ſupplicium, quo tranſgreſſores ipſius afficiebantur, quàm faceret, vt homines ipſammet non tranſgrederentur: ſiquidem præſtando prohibitionem, quæ appetitum excitat, nec continebat, nec dabat gratiam, quæ illum placat, & ſedat, & ad legalium perfectam obſeruationem erat omninò neceſſaria. Quamobrem de illa dicebat Paulus: *Lex iram operatur*, imò ex ipſa ad preuaricandum occaſionem accipiebant. Quapropter ibidem ſtatim adiicit, *Vbi non eſt lex, nec præuaricatio.* Et alibi: *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* Et rurſus: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex mihi diceret.* Et hæc lex, quæ tam aſperum iugum iure optimo dicebatur, peruenit tantùm vſque ad Ioannem Baptiſtam Chriſti Domini præcurſorem, iuxta illud: *Lex & Propheta vſque ad Ioannem*, & inde incœpit lex gratiæ, de qua, & de eâdem lege veteri dicitur. *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, quaſi dicatur, Lex vetus, quam Moyſes tulit, vera non fuit, *ſed vmbram habens lex futurorum bonorum*, vt ait Paulus: lex verò noua, quâ Chriſtus appellauit præceptum ſuum, quia eiuſdem lator fuit, ita vera eſt, vt dicatur ipſa veritas, & tantam gratiam continet, vt ſimiliter gratia appellatur, & de ipſius præceptis dicatur. *Iu-*

Act.15.10. *Galatinus 4.de arcā. Cathol. fidei* Rom.4 15. Rom.5.20. Rom.7.7. *Matth.11, 13.* Ioan.1.17. *Hebr.10.1.* Pſ.18.10.

dicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum. In quibus verbis inſinuatur, quòd ipſa lex gratiam continet, quæ ipſius obſeruatores iuſtificat, & ſuauitatem ratione, cuius lex ipſa via plana, & iugum ſuaue, & onus leue meritò dicitur.

Simile. Non itaque dicitur iugũ, quia ſit aſpera & oneroſa, ſed quia ſicut iugum non ab vno ſolo, ſed à duobus animalibus ſimul deportatur: ſic nunquàm ex vna parte aliquis huius legis obſeruationem accipiet, quin ex alia Deus ſuâ diuinâ gratiâ

Oſeæ 11.4. eum adiuuet. Quod per Oſeam prædixit futurum eſſe dicens: *Ego ero eis ſicut qui eleuat iugum.* Quam

1. Cor. 3.9. etiam ob cauſam Paulus dixit: *Dei enim ſumus adiutores*, ſed debiles quidem, quorum figmentum Deus cognouit, ipſe autem talis adiutor, vt de ipſo

Pſal 70.7. dicat Dauid: *Et tu adiutor fortis.* Et quemadmodum

Simile ex Auguſtino. (ſicut ait Auguſtinus) quando duo animalia, quorum aliud debile, aliud verò forte eſt, deferunt iugum, ſiue viâ accliui, ſiue decliui iter faciant, multò plus facit in onere deportando & ſubſtinendo forte quàm debile, vt experientiâ patet: ſic etiam quando procedimus deferendo obſeruationem legis viâ accliui de virtute in virtutem, vt videa-

Pſal. 83. mus Deum in cœleſti Sion, ſicut dicitur à Pſalmiſta ita Deus nos adiuuat, vt quod præcipuum eſt in noſtris bonis operibus, ferè totum illud effi-

Eph. 2.10. ciat. Quapropter dicimur à D. Paulo *creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*, quando verò graue noſtrarum paſſionum pondus ſuſtinemus, ne decliui noſtræ corruptæ naturæ viâ in profundam peccati foueam ſeu vallem illo deiiciamur, feramurque,

murque,Deus eſt etiam, qui hac in re multò plùs quàm nos ipſi gratiæ iuuamine operatur. Ideò ergo dicitur lex gratiæ iugum, quia quando illi ex vna parte nos ſubiicimus, ex alia Deus, tanquàm adiutor fortis,taliter nos adiuuat, & nõ quia onerosa & aſpera exiſtat ipſa lex,quę iugum ſuaue veriùs dicitur,&c.

Quòd verò lex vetus aſperum, & oneroſum iugum eſſe dicatur,patet ex Iſaia,in tractatu de Emanuele, de quo ibi habetur: *Principatus eius ſuper humerum eius*,vbi tranſlatio Chaldaïca habet:*Lex eius ſuper humerum eius*, ſignificans legem illam eſſe illi iugum graue,quandoquidem ſuper humerum erat eidem portanda, ſicut reuerà deportata fuit:ſiquidem adeò ſe illi ſubiecit, vt veriſsimè de ſe dixerit:*Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Si verò aliquis quęrat,quare Deus legem tam duram & aſperam (qualis erat circuncisionis, & aliæ huiuſmodi) Iudæis ſeruandam propoſuerit, reſpondendum eſt,hoc propterea feciſſe, qui,cùm Iudæi ipſi nec à peccatis & malis faciendis eo liberentur,niſi malorum, & ſuppliciorum eiſdem infligendorum metu tumefacti, nec virtutes amplectérentur,niſi promiſſione bonorũ terræ adducti, vt ex multis locis diuinarum literarum colligitur. Inde fuit, quòd aſperam illam circunciſſionis legem condiderit, vt nimirum ipſis ſignificaret, quòd ſi ad medicamen originalis peccati, quod in Adamo antiquiſſimo parente commiſſerant, erat neceſſàriò adhibendum tam durum & aſperum ne medium, multò aſperius & durius debebat eſſe illud, quo actualia vniuſcuiuſque ipſorum peccata curarentur. Erant igitur aſpera in vias

Iſa. 9.6.

Matt. 5. 17.

planas conuertenda, quando dura Circunciſionis lex (& ſic de cæteris legalibus) conuertenda erat in legem ſacroſancti Baptiſmatis, in quo non eſt neceſſarium quòd vnuſquiſque proprio ſanguine conſpergatur, ſed ſatis quòd aquâ abluatur. Quod diſcrimen inter vtrumque vtriuſque legis ſacramentum interiectum, & conuerſionem ab vno in aliud factam innuit Paulus, dicens: *Circunciſi*
Coloſſ. 2. 11. 12. *eſtis non circunciſione manu factâ, in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſione Chriſti conſepulti ei in baptiſmo.* Qua in re non ſe habuit Deus ſicut homines: hi enim ſolent emere paruo pretio, vt vendant magno, ille verò ſui ſanguinis in circunciſione effuſi pretio magno emit, quod nobis paruo pretio, nimirum aquæ ablutione, in baptiſmo, vendit, conuertens aſpera in vias planas.

Erunt etiam aſpera in vias planas conuertenda, quia lex Chriſti tẽpore ipſius promulganda oſtenſura erat vias rectas, planas, & faciles, per quas in cœlis ire homines facillimè poſſunt, id quod prædictum erat à Propheta dicente, *Venite, aſcendamus*
Iſa. 2. 3. *mus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Vbi inſinuatur, quòd lex illa gratiæ à Chriſto Domino prædicata, erat demonſtratura vias adeò rectas & planas, vt per illas ambulare ſit facile. Sacris literis proditum eſt, quòd cùm Iſ-
Exod. 13. 17. raëlitæ ex Ægypto exeuntes ad patriam ſuam reuertebantur, difficultates itineris cogitantes (quoniam ſolitudo illa montuoſa erat ad hoſtium inſidias admodùm parata) ſummis à Deo preci-

precibus efflagitabant, vt in ipſo itinere eos præcederet, & manu duceret, cúmque ad hoc ipſum miniſtrum quendam Angelicum ipſis offerret inquiens, vt ibidem habetur, *Angelus meus præcedet vos*, eidem dixerunt: *Si tu ipſe non præcedas nos, ne educas nos de loco iſto.* Quare ipſe Deus illos comitabatur, & manu ducebat in columna ignis per noctem, & in columna nubis per diem, dux vtroque tempore ipſiſmet exiſtens, Et illa quidem columna non remota per modum nubium cæterarum, ſed propinqua valdè præcedebat, eáque totus exercitus, quocumque iret, ita ſequebatur, vt cùm ipſa moueretur, vel quieſceret, idem omninò faceret ipſe exercitus. Exod. 13. 14. & 15.

Præcedebat itaque Dominus filios Iſraël per diem in Columna nubis, per noctem verò in columna ignis, vt eiſdem vias rectas & planas, per quas in patriam redirent, oſtenderet. Ad quem modum cùm Deus hominibus ex mundi Ægypto in cœleſtem patriam tendentibus *multiſq; modis loquens in Prophetis, quaſi in Angelis vt dicitur à D. Paulo*, eiſdem vias in ipſam cœleſtem patriam oſtendere vellent, videbatur eccleſia ex illis conſtituta ſub nomine ſponſæ ſignificata hoc renuere: aiebat enim, vt habetur in Cantico Canticorum, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, quaſi diceret, Ore ſuo ad os meum iam loquatur, Et non per Moyſem legis veteris latorẽ, qui mortem eiuſdẽ legis tranſgreſſoribus minabatur, obſeruatoribus verò nõ vitam æternam, ſed ſola fluxa, caduca & breuiter interitura bona promittebat, nec etiã per alium ex Prophetis, qui omnibus ænigmatibus, tropis, & figuris valdè obſcuris vtebantur Heb. 1. 1. D. Paulo. Cant. 1. 1.

bantur, atque ideò non bene intelligebatur, quod docebant. Moyſes erat balbutiens, Iſaias labia habebat contaminata, & non omninò munda, Hieremias inſtar pueri voces emittebat, dicens: *A, a, a,*
Hiere.1.6. *Domine Deus, neſcio loqui.* Veniat ergo, inquiebat Eccleſia, ſeu Sponſa, deſideratus cunctis gentibus, & palàm perſpicuéque loquatur, & doctrinâ ab eius ore promanante, tanquàm oſculo declaret mihi figuras, tropos, & quæcunque alia mihi abſcondita & difficilia doceátque vias ſuas, non ſo-
Pſal. 118. 105. lùm verbo, (de quo habetur in Pſalmo: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*) ſed etiam opere, & exemplo, & ad hoc ipſum præ-
Iſa.30.21. cedat me. Quod etiam ab Iſaia ſic prædictũ erat: *Erunt oculi tui videntes, & aures tuæ audientes vocẽ poſt tergum monentis,* &c.

Vt ergo Deus huic Eccleſiæ deſideria ſatisfaceret, non ſolùm venit factus homo, vt homines doceret vias ſuas ſuis operibus, ſed legem gratiæ verbis tulit, quâ illis iter oſtendens, eoſdem ipſâ gratiâ protegeret, & defenderet in die quidem proſperitatis contra concupiſcentiæ ardores, in nocte verò aduerſitatis ipſos illuminaret, ne laberentur & interirent. Quod quidem efflagitabat à
Pſal.16.5. Deo Dauid, dicens ei: *Perfice greſſus meos in ſemitis*
Pſal.24.4. *tuis, vt non moueantur veſtigia mea.* Et alibi: *vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Quod petebat Dauid, quia intelligebat id quod
Pſa.36.7. alio loco dicebat, *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Dirigentur autem greſſus hominis in via Domini, quia, vt ait Iſaias,
Iſa. 26.7. *ſemita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum.* Hæc autẽ rectitudo, & planities viæ Dei,

ratione

ratione cuius dicitur plana, prouenit à diuina gratia, omnes difficultates, quæ in eandem occurrere poſſunt, facillimè ſuperante. quod ideò dico, quia, vt ait D. Gregorius quandiu hîc viuimus, in via ſumus, quâ ad patriam tendimus, maligni autem Spiritus, quaſi quidam latrunculi iter noſtrum cuſtodiunt, & operi noſtro inſidiantes deceptionis laqueos tendunt. Quam ſententiam colligere etiã poſſumus ex Dauide dicente ſic de dæmonibus: *Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, & funes extenderunt, in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*: Et alibi: *Laqueum parauerunt pedibus meis*. Eſſe verò infinitos laqueos à dæmonibus paratos hominibus, dum viuunt, comprobatum fuit quâdã D. Antonij primi eremitæ viſione. De eo enim refertur, quòd cùm mundum vidiſſet laqueis plenum, quos dæmones ad homines capiendos tendebant, alios quidem luxuriæ, alios verò auaritiæ, alios denique ſuperbiæ, tam horribili viſione perterritus in hæc verba prorupit: *O Domine, quis tot, tantos, & tam varios laqueos poterit effugere & ſuperare*? Et ſtatim talem vocem de cœlo audiuit, *Sola humilitas Antonij*, Et veriſſima fuit reſponſio hæc, quia (vt dicitur à D. Iacobo) *humilibus autem dat gratiam Deus, qui ſuperbis reſiſtit*, gratia autem omnes difficultates noſtri itineris ſuperat, & non obſtantibus quibuſcunque, vias in cœlum planas reddit.

D. Greg.

Pſ. 139.6.

Pſa. 56.7.

Iacob. 4.6.

Porrò lex gratiæ, & non lex vetus, iter in cœlum reddit planum, quia quemadmodum non redditur iter planum quando ſiluæ & ſpinæ in eo exiſtentes amputantur, quia iterum atque iterum pullulantur, & renaſcuntur, impediúntque tranſeun-

Simile.

tranſeuntes per ipſum, ſed quando ipſæ ſyluæ &
ſpinæ ex eodem radicantur: ſic etiam lex vetuſta
vt antiqui Iudæi arbitrabantur, non prohibebat
quidem deſiderium & cupiditatem, intentionem,
& alios actus interiores, ex quibus exteriores qua-
ſi è radicibus emanant, ſed ipſos ſolos exteriores,
ac proinde latiorem viam iter facientibus demon-
ſtrabat: lex verò Euangelica, cuiuis lator Chriſtus
Dominus extitit, tam exteriores, quàm interiores
actus peccati prohibuit, ac proinde anguſtiorem
& ſtrictiorem viam oſtendit. Id quod colligitur
ex eo loco vbi dicitur: *Audiſtis, quia dictum eſt an-
tiquis, Non occides, ego autem dico vobis, quicunque
iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Audiſtis, quia di-
ctum eſt antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico*
Matth. 5. *vobis, quicunque viderit mulierem ad concupiſcendã*
21.21.43. *eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Audiſtis, quia
dictum eſt antiquis, Diliges amicum tuum: ego autem
dico vobis, diligite inimicos veſtros, & benefacite iis,
qui oderunt vos.* Ex quibus verbis conſtat, quòd
Chriſtus Dominus legis Euangelicæ lator, vt pla-
niorem reddat viam cœli, ex eadem non ſolùm
conatur amputare exteriores peccati actus, quia
etſi amputantur, & prohibeantur, iterum ex inte-
rioribus pullulabunt, ſed conatur eoſdẽ actus fun-
ditùs eradicare, prohibẽdo etiam ipſos interiores,
ex quibus emanare conſueſcunt. Ac proinde lex
ipſa gratiæ planiores reddit vias in cœlum, eradi-
cando ex illis id, ex quo impedimenta oriri poſ-
ſunt, ſcilicèt ſimul eaſdem vias ſtrictiores & angu-
ſtiores efficiat, reducendo eas ad actuum etiam,
interiorum prohibitionem. Quapropter vbi de iis
viis agitur in diuinis literis, vocantur ſimul viæ &

ſemitæ

ſemitę, quæ ſtrictiores viæ appellãtur. Et ideò dicebat Iſaias. *Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Et Dauid: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, Et rurſus: *Deduc me in ſemitam mandatorũ tuorum.* Vbi etiam cernitur, quòd licèt ſit plana, eſt tamen anguſta, de qua idcircò dicitur: *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam.* Et ideò oportet, vt qui per eam eſt iter facturus, rebus temporalibus nõ multùm oneratus progrediatur, & crebros veniẽtium ex aduerſo incurſus patiẽter toleret. Eſt enim tam anguſtia via ad vitam, vt per eam altero pede ſuper alium Chriſtus Dominus in cruce iter fecerit ad cœlum. Quapropter diſcipulis ſuis in Emaus dicit, quòd *oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, ita, inquam, vno ſcilicet pede ſuper alium. Quapropter multi ſancti excoriati fuerunt, ex quibus fuit D. Bartholomæus, cui pellis fuit ad hoc etiam detracta. *Iſa.2.3.* *Pſ. 118. 32. & 35.* *Matth. 7. 14.* *Luc. 24. 26.*

Viæ verò, ſeu via in inferorum regionem tendens non plana, ſed aſpera, & difficilis eſt, licèt ſimul ſit lata, iuxta illud Euangeliſtæ: *Spatioſa via eſt illa, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui ingrediuntur per illam.* De his autẽ viis ait Dauid: *Fiant via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Quæ verba imprecationem quandam continent contra peccatores, quos dæmon per mundi vias lubricas & tenebroſas perſequi non deſiſtit, quouſque in infernum miſerabiliter præcipitentur, quarum viarum, ſeu viæ, labore m & difficultatem fatentur damnati, qui apud inferos æternis ſuppliciis cruciantur, dicentes: *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis,* *Matth. 7. 13.* *Pſal.34.6.* *Sap.5.6.7.*

laſſati

laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Ex quibus patet, non planam, ſed difficilẽ eſſe viam inferni, viam verò cœli eſſe planam, quã ex aſpera in talem diuina gratia conuertit.

Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Et magna quidem illius temporis fœlicitas fuit, quòd in eo poſſent homines carnis oculis cernere eum, *in quẽ*
1.Pet.1.12 *deſiderant Angeli proſpicere*, vt ait Petrus, cùm ſint beati, quique *cunctis gentibus erat deſideratus*, & deſiderium collium æternorum (hoc eſt, ſanctorum) dicebatur, vt etiam ait Propheta, cui etiam
Aggaus 2.8. Dauid dicebat. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigi-*
Pſ.62.2. *lo. Sitiuit in te anima mea quàm multipliter tibi caro mea*, Et paulò inferiùs addit: *Vt viderem virtutem*
Verſic.3. *tuam & gloriam tuam*, quaſi diceret, in matutinis medibor in te, quia anima mea mirâ te videndi ſiti tenetur, & caro mea ſe multiplicem voluptatẽ fore accepturam ex tua in carne etiam præſentia ſimiliter ſperat, Et ego vehemẽter cupio videre in hac terra miſerrima inuia, & inaquoſa tuam vir-
Luc.6 19. tutem in curãdis morbis (quia *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*, vt dicitur in Euangelio) & gloriã tuam (quia eius gloria ſimiliter maximè elucebat in operatione miraculorum, quamobrem cæcum ſanauit, & Lazarum mortuum ſuſcitauit, pro gloria Dei) Et meritò dicebat hoc Dauid, ſiquidem ipſe Chriſtus Dominus dixit etiam ſuis diſcipulis:
Luc. 10. 23. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*, quia nimirũ eâ videndi ipſum beatitudine potiebantur.

Hæc ergo fœlicitas futura erat in terris, quando omnis caro, hoc eſt, omnis homo viſurus erat oculis carneis Dei in carne Filium, noſtræ ſalutis authorem,

authorem, quæ fœlicitas licèt non eſſet ea beatitudo, de qua dicit Auguſtinus, quòd beatus eſt, qui habet omnia quæ vult, & nihil mali vult, & in viſione & in fruitione Dei conſiſtit. Erat tamen illa, quam habent ij, qui oculis fidei Deũ contemplantur, & contemplantes vnicè diligunt, & diligentes mandata eius, diligenter cuſtodiunt. Et hanc habuerunt aliqui fœlicis illius temporis homines, & quia etiam ſunt. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, vt dicitur à D. Ioanne, hanc etiam nos modò poſſumus habere per gratiam, quâ faciemus opera, quæ nos poſteà beatos efficiant per gloriam, &c.

Lib. 3. de ciuit. Dei, cap. 1. & 8.

Ioan. 20. 29.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM LVC. 2. 33.

Erant Ioſeph & Maria mater Ieſu mirantes ſuper iis quæ dicebantur de illo, &c.

MAXIME oportet nos ſcire admirari res magnas, vt conſequenter ſciamus ipſas maximi æſtimare, ex eo enim quòd maxima natiuitatis Domini myſteria neſcimus admirari, prouenit quòd eadem parui pendamus, valdè igitur oportet nos ſcire eadem Dominicæ natiuitatis myſteria admirari. Sed quis meliùs nos ipſa admirari docebit, quàm deipara virgo Maria, quæ adeò mirans erat ſuper iis quæ de puero nato dicebantur, tantúque illa conſequenter faciebat, vt de ea paulò ſuprà dixerit idem Euangeliſta Lucas hoc ipſo capite: *Maria autē cōſeruabat omnia ver-* Luc. 2. 19. *ba hæc conferens in corde ſuo*, quia nempe nullam aliam ſui partem, quàm cor, talium rerum & verborum dignius receptaculum reputabat. Vt ergo modò nos doceat tot tāta, ac talia præſentis temporis myſteria admirari, impetrando nobiſmetipſis à Deo eam gratiam, quæ in ipſa, & in ſancto Ioſeph hoc ipſum operabatur, dicamus ei ſolitam ſalutationem, nempe, *Aue Maria, &c.*

Erant Ioſeph & Maria, &c.

DVplex admirandi modus in ſancto Ioſeph & beatiſſimâ Mariâ inuenitur & oſtenditur: vel enim

enim procedit admiratio ex ignorantia rerum, qualis fuit in ſancto Ioſeph, vel ex ſcientia, & cognitione ipſarum, qualis etiam fuit in ipſa beatiſſima Virgine, & vtraque admiratio laudabilis, & vtilis extitit. Admiratio quidem, quæ procedit ex defectu cognitionis, ſeu ex ignorantia, illa eſt & fuit, quæ fuit inuenta in Philoſophis, qui ex admirari cæperunt Philoſophari, quando ex intuitu effectuum admirabilium, qualis apud ipſos erat ecclipſis Solaris, deuenerunt in cognitionem cauſarum, à quibus ipſi effectus promanabant. Et talis admiratio, quæ quidem valde vtilis eſt, reperta fuit in ſancto Ioſeph, qui ex eo, quòd tot, ac tanta, tamque mirabilia vidit, in multorum, quæ ignorabat, & in maiorem aliorum, quæ ſciebat cognitionem deuenit, eadémque pluris poſteà; quàm anteà, æſtimauit. Vnde in laudem Virginis Mariæ explicans Beatus Ioannes Chryſoſtomus, homiliâ 1. operis imperfecti, illa verba Matthæi, *Et non cognouit eam Ioſeph, donec peperit*; ait: *Verè enim non cognouit eam antè, cuius fuerat dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat mater: ſed poſtquàm peperit, tunc cognouit eam, hoc eſt, pretioſiorem, & dig niorem factam fuiſſe nouit, quam eſſet totus mundus*. Nam quod totus mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, quaſi in anguſtum cubiculum vteri ſui ſola ſuſcepit: vidit enim Ioſeph Virginẽ permanere poſt partum, vidit myſteriũ ſtellę, quomodo ſtans ſuper caput pueri, venientibus magis, puerũ demonſtrabat, ſtans teſtimoniũ dabat, quia loqui nõ poterat, ipſos denique Magos vidit adorantes, & diuina dona eorum præſentantes, audiuit ſermones ipſorum, quomodo ab Oriente

Matt. 1. 25.

monachos arma geſtare conſpicimus, bellum ardère intelligimus, quando verò armis depoſitis milites, citharas pulſare per vias, & cantilenas pacis perſonare videmus, bellum omninò finitum eſſe, & pacem maximè vigere pro certo habemus, ſic etiam qui milites cæleſtis exercitus canentes cantica pacis intuentur, meritò admirabuntur, ſed ſi perinde philoſophentur, intelligent ſempiterna pacis fœdera Deum cum hominibus iam iniiſſe, ſiquidem cœleſtes ipſius milites canentes vident, *Et in terra pax hominibus.*

Qui etiam ad præſepe Bethlehem cœleſtes cantores muſicam dare mediâ nocte hyemali tempore aſpexerint, & admirati fuerint, proculdubiò intelligent, ſi diligenter conſiderauerint, eſſe ibi aliquem maximum amatorem, quem amor ſuæ ſponſæ compellat tali horâ & tempore talem muſicam eidem dare, Verbum nempe diuinum, cœlorum principem, *quem* Pater æternus *cõſtituit hæredẽ vniuerſorum*, vt ait Paulus, qui naturæ humanę Heb.1.2. ſuę ſponſæ eum honorẽ, & feſtiuitatẽ per ſuos cœleſtes adminiſtratorios Spiritus tunc exhibebat.

Inauditum & penè incredibile eſt, Deum, quem Iſaias, *vidit ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum* ſummâ maieſtate & gloriâ redundantẽ, & in- Iſa.6.1. ter duos Seraphicos Spiritus exiſtẽtem, qui ipſum ſuis alis velabant & operiebant, eſſe poſitũ in præſepio (quia non erat ei alibi locus, nec in diuerſorio) inter duo abiecta animalia, quæ eundem non operiebant & velabant, ſed fortaſſe contrariũ faciebant, tollendo & comedendo fœnũ & paleas, in quibus poſitus & reclinatus exiſtebat. Sed qui hoc merito admirans eius cauſam inueſtigauerit, eam

fuiſſe perditi hominis peccatum inueniet: vt enim Deus quæreret & inueniret quod perierat, omnia quodammodò tranſuertit & reuoluit in mundo, ad modum eius qui in domo ſua aliquid pretioſum, quod amiſit, omnia reuoluens & tranſuertens requirit. Quemadmodũ enim mulier illa, quã refert Lucas, perdens dragmã accendit Lucernã & euertit domũ, & quæſiuit diligẽter donec inueniret: ſic etiã, hac præſertim nocte, adhibitã cœleſti luce & claritate, quæ paſtores & præſepe circufulſit, quærens Deus perditũ hominẽ, adeò euertit ſeu reuoluit omnia, vt Filiũ ſuum vnigenitũ tam extra proprium, & debitũ locum in præſepio collocaret, in quo etiã ipſum reclinari voluit, vt homo, qui (ſicut ait Dauid) *cùm in honore eſſet*, non intellexit *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, quantũcunque ipſis ſimilis ſit, ipſum nihilominùs quærat, nam ſicut per Iſaiã ait Dominus: *Bos cognouit poſſeſſorẽ ſuum, & aſinus præſepe domini ſui.* Quis ergo homo tã irrationalis erit, vt præſepe talis Domini non cognoſcat, & ad illud, hoc præſertim tẽpore, ſaltem per conſiderationẽ non veniat, licèt ſimilis exiſtat, nõ ſolùm animalibus aliqualẽ prudentiã habentibus, quales ſunt apes, formicę, & eiuſmodi alia, ſed animalibus inſipientibus, qualis eſt bos, & aſinus, qui præſepe domini ſui cognoſcunt & quærũt. Qui igitur admiratus fuerit Deũ poſitum in præſepio, has talis poſitionis, in tam abiecto & vili loco, cauſas piè philoſophando & recogitando, fuiſſe inueniet.

Simile. Cap. 15. 8.

Pſ. 48. 13.

Iſa. 1. 3.

Inuſitatum, nouum & inauditum, ac propterea admiratione digniſſimũ eſt, quòd creaturæ contra creatorẽ, & ſerui contra dominũ inſurgant, ipſúmque

que iniuriis & moleſtiis afficiát,quod tamen hoc natiuitatis tēpore apertè conſtat euenisse.Nā quod de primo homine in peccatū elapſo quaſi ludēs,& per ironiam dixit Deus,vt refertur in Geneſi:*Ecce Adā quaſi vnus ex nobis factus eſt*,Quia ſcilicet maximis miſeriis & calamitatibus expoſitus & circundatus,& creaturarū cæterarum iniuriis obnoxius iam erat,à quibus ante peccatū fuerat omninò alienus,idipſum verè,& non per illuſionē, potuit quicūque homo de Deo dicere, nempe , *Ecce Deus quaſi vnus ex nobis factus eſt* , ita nimirū pauper,ita afflictus,ita à creaturis moleſtiis affectus & offenſus,quaſi ipſe rerum omnium creator, & rex regū,& Dominus dominantiū nō eſſet.Cæterùm illi,quos hęc omnia in admirationē meritò rapiūt, ex ea per ratiocinationem in tantorum myſteriorū cognitionē facilè deuenire poſſunt : nam comperient quòd quemadmodū quando rex aliquis , vel dominus cū famulis & ſeruis ſuis nō diſſimili veſte indutus,ſe etiā famulum ſimulās iter facit,quaſi vnus ſeruus vel famulus in diuerſoriis ab aliis hominibus tractatur:ſic Deus quaſi vnus ex nobis,*in ſimilitudinem hominum factus,& habitu inuentus vt homo* , vt homo etiam, licèt creator ſit, à creaturis tractatur , hoc præcipuè natiuitatis ſuæ tempore, de quo videtur Apoſtolus dixiſſe , quòd *quandiu hæres paruulus eſt,nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium*, quia nimirum ipſe creator omnium, de quo dicitur : *paruulus natus eſt nobis , & filius datus eſt nobis , quem conſtitu t hæredem vniuerſorum Deus* , ſicut ait Paulus , dum ita paruulus eſt maximè à creaturis, nempe à temporis aſperitate,à ſolarium radiorum abſentia, ab animalium

Gen.3.22.

Simile.

Phil.2.7.

Galat.4.1.

Iſa.9.6.

Hebr.1.2.

voracitate, & à lapidum duritie offenſus eſt, & quamplurimis iniuriis & moleſtiis affectus. Imò
Simil. quemadmodũ quando dominus aliquis ſe nocturno tempore alium per veſtem ſimulans, ſæpe à famulis, & ſeruis ſuis, antequàm ab ipſis cognoſcatur, impetitur, & percutitur, quod tamen non fit poſtquàm ipſe ſe eiſdem manifeſtauit: ſic etiam
Iſa.45.15. Filius Dei, de quo ita ſe habente ait Iſaias, *Verè tu es Deus abſcõditus*, antequàm regnaret à ligno, vbi ſe Deum eſſe manifeſtauit. Quapropter Centurio
Matt. 27. 54. de eo dixit: *Verè Filius Dei erat iſte*, à creaturis, Sole nempe & lapide, quo eiuſdẽ caro in circuncisione ſeipſa fuit, & ab aliis offenſus & afflictus fuit, ſed poſtquàm ſe in cruce Deum eſſe ſignificauit, & manifeſtauit, Sol ipſe obſcuratus eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & non ſciderunt, & ſic de aliis creaturis, quæ inſenſibiles exiſtentes, peculiarem tamẽ ſentiendi modum in morte ſui creatoris præbuerunt. Ecce qualiter ex eo, quod homines admirentur, quomodo creator & Dominus à creaturis & ſeruis ſuis offendatur, intelligent ipſum ſe ideò abſcondiſſe, & quodammodo ſimulaſſe, vt offenſas ipſas, moleſtias & iniurias pro eiſdem hominibus ſubire poſſet.

Admiretur ergo vnuſquiſque ea, quæ tantâ admiratione ſunt digna, & eadẽ conſideret & recogitet, nec tantâ luce exortâ dormiat, imò illâ excitatus diligenter reſurgat, id ad quod mouebat
Iſa.60.1. Iſaias Hieruſalem, quando eidem dicebat: *Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt*, quaſi diceret, Quare tanto ſomno es conſopita Hieruſalem, quando tibi exortus eſt Sol, & eius radij per ianuas tuas ingrediun

grediuntur?Surge,ſurge,ne ſis pigra: & eſt metaphora iſta deſumpta ex eo, qui orto iam Sole, & omnia ſuis radiis colluſtrãte,tamẽ profundo ſomno conſopitu dormit, nec vult oculos ad vidẽdam lucem aperire, & multò minùs à tecto reſurgere. Quod idem nos cuicumque pigro, & in tantorũ myſteriorum conſideratione negligenter ſe habenti dicere meritò atque optimo iure poſſumus: Surge(inquiemus)illuminare Hieruſalem, hoc eſt anima Chriſtiana,& vide tantam lucem exortam, & admirare,& exindé myſteria natiuitatis Dominicæ, vt par eſt,conſidera, & bene ea cognoſces, & magni ea æſtimabis,& hæc admiratio eſt ſancti Ioſeph, ex qua vtilis rei admirandæ conſideratio & cognitio procedere ſolet.

Admiratio autem, quæ ex rei admirabilis conſideratione & cognitione procedit, ea eſt, quæ in beatiſſima Virgine Maria fuit,non conſiderauit & cognouit,quia admirata fuit, ſed potiùs admirata fuit,quia conſiderauit,& cognouit. Ad quem modum ait Abacuc, iuxta Septuaginta interpretum translationem,*conſiderani opera tua,& expani*,quaſi diceret, Quia opera tua conſideraui expaui. Sicut enim ſe habet oculorũ viſio quando de longè, & procul aliqua magna arx,vel turris aſpicitur, & quò magis ad eã acceditur,eò maior apparet,& altior ſumptuoſiorq; videtur:ſic ſe habet intellectus cognitio, & mentis conſideratio in rebus diuinis, ad quas quantò magis per cognitionem accedimus,tantò magis ipſas admiramur & æſtimamus: imò hoc inter cætera, diſcrimen reperitur inter ipſas res humanas & diuinas, quòd humanæ,quãuis à principio maximæ videantur, quantò plus

Cap.3.
Simile.

tractantur, tantò minores vidētur & minoris æſtimantur:diuinæ verò quantò plus cognoſcuntur & conſiderantur tantò maiores reputantur, & pluris fiunt:vnde etiam naſcitur,vt illæ conſuetudine vileſcant, & in tædium conuertantur, hæ verò in dies magis ac magis placeant, & in maiori pretio quotidiè magis habeantur. Quantò magis in
Simile. domo cuiuſlibet regis,vel domini terreni, famuli vel ſerui eiuſdem ab eo diſtant, tantò maiorem reſpectum,& reuerentiam illi exhibent:& quantò magis ipſi in edem domo ſeu palatio regio appropinquant, tantò minùs ipſummet venerantur & reuerentur,quia nimirum eiuſdem miſerias & defectus magis cognoſcunt, ſicut patet in famulis hoſtiariis & camerariis, quorum hi cum dominis familiariter,& cum minori reſpectu & reuerentia, illi verò cum maiori, ſecundùm maiorem vel minorem diſtantiam,ad ipſum,tractare ſolēt: in Deo verò rege regum, & Domino dominantium multò aliter ſe res habet: nam quantò magis eius ſerui & famuli eidem per cognitionem appropinquant, tantò magis ipſum venerantur & reuerentur,iuxta illud: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Vnde etiam ſancta Eccleſia diuino
Pſal.63.7. Spiritu afflata ait,loquens de Deo & de Spiritibus Angelicis, *Quem laudant Angeli, adorant dominationes,tremunt poteſtates*: ſignificans ſcilicet, quòd Angeli, qui remotiùs ſe habent reſpectu Dei, ipſum laudant, dominationes verò, quæ proximiùs,ipſum adorant:poteſtates autem, quæ adhuc Deo proximiores ſunt, eandē tremunt:vnde conſequitur, quòd qui ipſum magis cognoſcunt & tractant,magis etiam admirantur & reuerentur.Id quod

quod Deus ſignificare voluit in illis Cherubinibus, quos iuſſit ita eſſe poſitos iuxta propitiatoriū, vbi ipſe Deus repræſentabatur, vt mutuò ſe ad inuicem verſis vultibus, quaſi ſtupefacti conſpicerent, quod admirantium proprium eſt vt patet Ad quem ſimiliter modum obſtupefacti Angeli interrogant: *Quis eſt iſte, qui venit de Edon tinctis veſtibus?* Quam interrogationem Diuus Dionyſius dicit eſſe cæleſtium omnium Spirituum, qui ſibi inuicem reſpondent, *Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Eodem ferè modo beatiſſima Maria erat admirans ſuper iis quæ optimè cognoſcebat, ſicut aduertit D. Fulgentius, & iam diu cōſiderauerat. Ad quem etiam modum Sanctus Dauid, ſapientiā plenus, Dei magnitudinem conſiderans, exclamando dixit: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!* Et D. Paulus, quem magnitudo reuelationum, quam à Deo habebat, extollere poſſet, Deum ipſum conſiderans & admirans, exclamauit, dicens: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Conſtat igitur ex dictis, ex cognitione & conſideratione Dei, tum in Angelis, tum etiam in ſapientiſſimis hominibus, admirationem aliquando prouenire, ſicut in Deipara Virgine eueniſſe oſtenſum eſt.

Iſa 63.1. *D. Dionyſius.* *Ibidem.* S. Fulgentius. *Pſal. 8.1.* *Rom. 11. 33.*

Maximè ergo oportet quòd res diuinas & Deū ipſum diligēter conſideremus & contemplemur, vt conſequenter eū cognoſcamus, admiremur, & & veneremur, & nos ipſos deſpiciamus, & parui pendamus. *Domine tu mihi lauas pedes*, aiebat D. Petrus, ſicut refert Ioannes, admirans maieſtatem *Ioan. 13.6.*

Dei,

Dei,& conſiderās ante ipſam vtilitatem ſuam: & quodā loco aiebat etiā Dauid: *Humiliabo me, & vilior fiam in cōſpectu Domini*. Et alibi: *Subſtātia mea tanquàm nihilum ante te*: quia reuerà hominis humilitas (vt docet Auguſtinus) procedit ex intuitu propriæ conditis,& ſui cōditoris,in cuius admirabilis magnitudinis cōſpectu ipſa humanæ naturæ vilitas magis apparet. Nam ſicut vir in aliquo oppido nobilis,qui nunquàm regem, neque regalem curiam & aulam vidit,nullum eſſe in toto terrarum orbe ſe ditiorem vel nobiliorem exiſtimat, vbi primùm autem in ipſa curia vel aula regia verſatur,regémque & eiuſdem apparatum, & copioſiſſimam,nobiliſſimámque familiam cernit,in admirationem raptus, iam ſe nobilem & ditē minimè arbitratur, nec ſe tanti facit, ſed humiliter de ſe iudicat:ſic etiam qui conſiderationis oculis Regem regum, & Dominum dominantium Deum reſpicit,Angelóſque,Archangelos, Principatus,Dominationes, & omnem aliam Sanctorū omnium familiam intuetur, tantarum rerum admiratione obſtupefactus, cum Dauide eidē dicit: *Confitebor tibi Domine, quoniam terribiliter magnificatus es,mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis*. Quæ verba explicans D.Chryſoſtomus, dicit Dauidem in aduerbio illo,*terribiliter*, alludere ad id,quod illis euenire ſolet, qui in cacumine rupium,turrium, vel locorum ſublimium ſtant,& inde in ingentem profunditatis abyſſum oculos proni deorſum coniiciunt,quibus idcirco contingit, vt ipſorum oculorum lumen quodammodò amittant,capilli in altum erigantur, caput euaneſcat,carnes tremefiant,& maximā admiratione & ſtupore

2.Reg.6. 22. *Pſal.38.6.* *Auguſtin.* *Simile* *Pſal. 138. 14.* *Chryſoſto. hom. 7. de incompre. henſ. nat. Dei.*

ſtupore affecti, intra ſe ipſos quodámmodò ſe recipiant. Ad quẽ modum ſi vnuſquiſq; noſtrùm ſummoperè Deũ conſideret, quantò magis ipſum cognouerit, tãto magis ipſum etiã admirabitur, & pluris faciet, ſeq; minoris æſtimabit, & perfectus Chriſtianus ſic euadet. En igitur qualiter beatiſſima Virgo, quámque optimè Deum cognoſcebat, ſuper iis nihilominùs, quæ de ipſo dicebantur, mirans erat.

Dicebantur etiam Ioſeph & Maria mirantes ſuper iis quæ dicebantur de Chriſto Domino, non quia dicebantur de illo, ſed quia à ruſticis paſtoribus, & à Gentilibus magis ea myſteria dicebantur, quæ ſecreta & ignota omnibus eſſe exiſtimabant, ſed quod magis admirabantur erat, quòd à ruſticis & ab idololatris dicerentur ea, quæ à ſapientibus & prudentibus, & doctis Iudæorum nec dicebantur, nec credebantur, Quæ quidem admiratio fuit tacita quędam ſapientium Iudæorum (qui verum Deum aliàs colebant) reprehenſio. Refertur in Euangelio, de muliere quadam Chananæa, quæ Gentilis, & Syraphæniſſa erat, quòd cùm canis appellaretur à Chriſto Domino dicente, *Non eſſe bonum panem filiorum dare canibus*, tantum de ipſius potentia credidit, vt micam eius, quod facere poterat, diceret eſſe, filiam ſuam malè à dęmone vexatam ab eodem dęmone liberare, cùm hoc ipſum excellentiſſimum, & ſummæ potentiæ opus eſſet: Dixit enim eidem Chriſto Domino, cùm ipſam quodammodò à ſe repuliſſet, *etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Quam mulieris Gentilis fidẽ Chriſtus quodãmodò admirãs dixit: *O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis*, quã etiã admiratione diſcipu-

Matth. 15. 27. *Marc.* 7. 28. *Luc.* 7. *Matt.* 8. 8

ſcipulorum ſuorum incredulitatē quodammodò reprehendit. Quod item clariùs cõſtat ex eo quod
Luc.7. de Centurione Lucas refert: nã cùm ſeruus ipſius eſſet iamiam moriturus, venienti domino Ieſu Chriſto in ipſiuſmet Centurionis domum, vt eum
Matt 8.8. curaret, dixit, ſicut narrat Matthæus: *Domine, non ſum dig us vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus, quod audiens Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit, Non inueni tantam fidem in Iſraël, Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occid nte venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filij au-*
Simile. *tem regni eiicietur in tenebras exteriores*: Quæ hiſtoria cum his quæ dicimus maximè congruit, nam ſicut Chriſtus admiratus eſt fidē Cēturionis Gentilis, & ſequētibus ſe Iſraëlitis exprobrauit dicens, quòd non inuenerat tantã fidem in Iſraël, & quòd venientes ab Oriente, & Occidente Gentiles erãt cum ſanctis patribus in regno cœlorum manſuri, reiectis ab eo Iudæis, qui filij regni appellabantur: ſic etiam beatiſſima Virgo, & ſanctus Ioſeph admirabantur, quòd quæ dicebantur de puero Ieſu, dicerentur à ruſticis paſtoribus, & à magis Gentilibus, & non à fidelibus Iudæis, nec à doctis corũ, qui, vt de Philoſophis quibuſdam ait Paulus, exi-
Rom.1.22. ſtimantes, & *d cente ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, ac proptereà in tenebras exteriores ſunt reiecti.

Ad quē modum, vt aliquid ad mores conducens dicamus, mirandũ valdè eſt, & maximè ſimul reprehenſione dignũ, quòd homines ſeculares, per Gentiles repræſentati, ſint caſti, ſobrij, orationi dediti, charitati ſeruētes, Eccleſiaſtici verò tales non exiſtant, cùm tamē de hoc maximè confundi debeãt,

ſicut

ſicut etiam debẽt pudefieri, quod ſeculares ipſi, his natiuitatis diebus, myſteriorum eiuſdem natiuitatis contẽplationi diligenter valent, cùm tamẽ ipſi Eccleſiaſtici nihil minus, quàm ipſa myſteria cogitent & conſiderent, Attenta igitur mente vnuſquiſq;, & maximè qui Eccleſiaſticus fuerit, ea perpendat, vt eadem admiretur & magni æſtimet, & pro tot ac tantis beneficiis, gratum animum Deo oſtendat: hoc enim faciens, ab eo alia magna beneficia conſequetur, in hac quidem vita gratiæ, in alia verò, gloriæ, quam, &c.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM LVC. 2. 42.

Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſſendentibus illis Hieroſolimam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſumatisquè diebus cùm redirent, remanſit puer in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius, &c.

PERDIMVS quidẽ Deũ, ſi nos ipſos priùs perdimus, & Deus perditus reſpectu noſtri dici poteſt, quia nos ipſi ſine eo perditi ſumus, ſicut enim nulla in immobili colũna factâ mutatione, ipſa nihilominùs, quia aliquis homo iuxta eã exiſtens, per conuerſionẽ vel auerſionẽ mutatur reſpectu eiuſdẽ, modò dextera, modò verò ſiniſtra dicitur: Sic nulla in Deo, ſed in nobiſmetipſis ſuperueniẽte perditione, poteſt ipſe Deus, qui quoad ſe nũquàm perditur, dici perditus. Sicut puer Ieſus remanẽs in Hieruſalẽ, cùm ab ea rediiſſent parentes eius, per reſpectũ ad ipſos, puer

perditus,vulgò dicitur.Perdimur autẽ nos ipſi per peccatum,quãdo inſcij & ignorantes ſumus, quia
Ariſtotel. (vt ait Ariſtoteles)omnis peccans eſt ignorãs.Qua
Pſal. 118. propter Dauid,poſtquàm *errauit ſicut ouis,quæ pe-*
176. *riit*,vt dixit,potuit de ſe dicere illud etiam, *Ad ni-*
*Pſ.*72.72. *hilum redactus ſum, & neſciui*: Quaſidiceret, Inſcius ego, quaſi ignorans ouis gregis perditi, me perdidi,quãdo Deum optimum paſtorem meum,
*Pſ.*77.72. qui pauit homines innocentia cordis ſui,*& in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos*, vt etiam ab eodem dicitur,inſcienter&ignoranter perdidi.Ad quem ferè modum (licèt abſque vlla ſua culpa) Maria mater pueri Ieſu,& Sanctus Ioſeph,quia nõ cognouerunt eum remanſiſſe in Hieruſalem,ab ea ſine ipſo diſceſſerunt, atque ideò nullâ in eundem puerum ſuperueniente perditione ſeu mutatione, ipſummet perdiderunt. Cæterùm nos, qui ex eo quod ipſis euenit perdiſcere poſſumus modum, quo Deus amitti poteſt, vt ipſum modum fugiamus;ex ipſis etiam & præſertim ex piiſſima matre
*Luc.*2.48. eidem dicente, *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te*,perdiſcere poſſumus,quomodo,ſi illũ amittamus,ipſum inuenire poſſimus,nempe ſi per pœnitentiam & dolorem ipſummet quæramus. Qui ergo ignorantes & non cognoſcentes per peccatũ Deum amiſimus,ab eadem ſanctiſſima matre, & Virgine poſtulemus, vt nos doceat modum, quo ipſum inueniamus, quod ipſa faciet impetrando
Beda in Commẽtar. nobis diuinam gratiam, ſi eidem dicamus de more, *Aue Maria*, &c.

Cùm

Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, &c.

VIdetur Chriſtus, vt ſentit venerabilis Beda, *Beda in Cōmentar.* ſpecimen aliquod diuinitatis ſuæ in ſua pueritia præbere voluiſſe, ne ſi poſteà annos natus triginta, nullo dato antè ſuæ ſapientiæ documento, de improuiſo ad docendum prodiiſſet, homines magis admirarentur, quàm crederent: nam cùm & hunc ſapientiæ ſuæ guſtum dediſſet puer, nihilominùs tamen poſteà dicebant Iudæi: *Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes?* *Matt. 13. 54.* & alibi: *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* *Ioan. 7. 15.* Id autem duodecimo anno facere conueniebat, quia eo potiſſimùm tempore incipit puerorum ingenium apparere, & capeſſendis litteris aptum eſſe, ex quo nos meritò colligere poſſumus, voluiſſe ipſum nos ipſos docere, quòd nō omiſſis mediis, ſed adhibitis contendendum, & tranſeundū eſt ad aſſequutionem finis, & quòd à minoribus ad maiora eſt progrediendum. Si quis *Simile.* enim ex tenebris maximis, in maximam etiam lucem Solis, & non per aliam minorem, ſed immediatè in eandem maximam prodeat, potiùs cæcus, quàm videns euadet, qualis tamen nō remanebit, ſi ex iiſdem tenebris per minorē lucem ad maximam progrediatur. Eundū eſt igitur de virtute in virtutē, vt *videatur Deus Deorum in Sion*, *Pſ. 83. 8.* & qui beatus futurus eſt, vt ex Dauide deſumi poteſt, aſcenſiones in corde ſuo debet diſponere, & opera efficere, quibus in altum aſcendat, & eleuetur: in Geneſi refertur, quòd Iacob vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terrā, & cacumen illius tangens *Gen. 28. 12.*

cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam: vbi ponderandum eſt, Angelos, qui ſine ſcala in cælum poterant aſcendere, eâ tamen ad has aſcenſiones deſcenſionéſque vſos fuiſſe, vt omnibus ſignificarent, quomodo ſuos fines ſint conſequuturi. *Contriti ſunt montes ſæculi, & incuruati ſunt colles mundi*, inquit Habacuc, *ab itineribus æternitatis eius*, quod intelligendum eſſe de Angelis malis docet D. Bernardus, explicans hæc verba: *Qui habitat in adiutorio altiſſimi*, &c. Ideò enim ipſi præcipitati & contriti fuerunt, quia in gloriæ altitudinem ire contenderunt, & non per eas meritorum vias & aſcēſiones, quibus in ipſam aſcendendum erat. Meritò ergo cum hominibus loquens Dauid dicit illis: *Vanum eſt vobis ante lucē ſurgere, ſurgite poſtquā ſederitis, qui manducatis panē doloris*, quaſi dicat, qui præ labore, & dolore iacetis, non contendatis vnico conatu immediatè ſurgere, ſed ita vos paulatim erigite, vt priùs ſedeatis, & deinde ſurgatis. Quæ quidem vtilis doctrina in multis locum habet: nam, *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*, vt habetur in Apocalypſi, *& qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*, & non temerariè conetur ex peccatore iuſtiſſimus ſtatim & ſanctiſſimus immediatè euadere, ne in extremum aliquod vitioſum deueniat. Qui etiam ad ſummum aliquem dignitatis gradū vult aſcendere, non ipſum procuret niſi per meritorū ſcalam aſcendēdo de minore ad maiorem honorem, quouſque ad ipſummet ſummum pertingat: nā qui aliter in altum euecti excelſum aliquem locū occupant, ſunt quales illi, quos meritò admiratur Hieremias, dicens: *Onagri ſteterunt in rupibus, & attraxerunt ventum, quaſi dracones*, de

Habacuc. 3. 6.
Bernardus in Pſal. 99.
Pſ. 126. 2.
Apo. 22. 11.
Hier. 14. 6.

de quibus draconibus minimè mirum erat, quòd in rupibus altis ſtarent, ſiquidem alas habebant, quibus volare, & aſcendere poſſent, vt inde ventũ captarent, quo ſe nimiùm ſitientes, & æſtuantes refrigerarent: ſed de onagris non habentibus alas, & carentibus ſcalis, quibus poſſent aſcendere, hoc maximè mirandum fuit. Iuxta quod quando ſine alis, & ſine ſcalis homines ſcientiarum ignari, & ignorantes, & ingenio rudes, in ſummum aliquod honoris faſtigium ſunt euecti, in maximam admirationem rapiunt eos, qui ipſos intuentur, cùm præſertim videant ipſoſmet adhuc altioribus honoribus, & officiis inhiare, & ventum vanitatis aperto ambitionis ore adhuc captare, imò quãdo eoſdem in tam ſublimibus locis ſtantes aſpiciunt, nec quomodo, aut per quid aſcenderint, intelligunt, dicunt dæmonẽ, & non aliquid aliud, ipſos illuc deduxiſſe: quo etiam modo dicere ſolemus, *Simile.* quando aliquem puerũ ſuper aliquod tectum alicuius altiſſimæ turris ſtantem aſpicimus, dæmonẽ in eam ipſum deduxiſſe, ſi quomodo, aut per quid aſcenderit in eandem non videmus, nec intelligimus. Quia igitur, *quæ à Deo ſunt ordinata ſunt*, vt *Rom 13.1.* ait D. Paulus, debet vnuſquiſque in rebus eum ordinem ſeruare, vt à minoribus ad maiora interdũ, interdum verò à maioribus ad minora per media procedat, ne in vitioſum aliquod, vel minùs vtile extremum deueniat, id quod euitãdum nobis eſſe docuit Chriſtus, quando maximum ſuæ ſapientiæ ſpecimen trigeſimo ſuæ ætatis anno oſtenſurus, aliquod etiam eiuſdem ſapientiæ documentum, & guſtum duodecimo anno priùs præbuit hominibus, ne ſi poſteà de improuiſo ad docendum eos

prodiſſet, magis talem doctrinam admirarentur, quàm crederent & eadem ædificarentur.

Aſcendentibus illis Hieroſolimam, &c.

DVodennē puerum Ieſum parentes eius in tēplum ſecū deduxerunt, vt parentes quorumcumque filiorū perdiſcant, à quo potiſſimùm tempore eoſdē filios ſecū in templa, & ad conciones deferre debeant: ſicut enim incōueniens eſt, filios adhuc puerulos deducere in tēpla, vbi partim ploratibus, partim riſibus, partim aliis puerilibus operibus eos, qui ſacra faciūt, impediunt (quia nec de illis in ea ætate bene ſentire ſciūt) ſic etiā qui duodecim annos nat. ſunt, domi nō ſunt à parentibus relinquendi, ſed ab eiſdē in templum deferendi, quia cùm ab eo præſertim tempore eorum ingenium, & iudicium apparere ſoleat, ipſorumq; oculi ad bene videndū aperiri incipiant, æquum eſt, vt nihil priùs videāt quàm Deū, & quòd ipſe Deus ſit id, quod primum videant & intelligāt. Qui iter facere incipiunt ſi ex duabus viis, quæ eiſdē vltrò ſeſe offerunt, de ea per quā progredi debēt, ſtatim non admoneantur, quantò magis iter faciendo laborauerint, tantò magis à recta via ſeparabuntur & tantò difficiliùs in eam reducentur, ad quē modum ſi is, qui rationis oculos aperire incipit, non dirigatur ſtatim per viā, quæ ad cælum ducit, ſed per eam quæ ad inferorū regionem tendit, progrediatur, difficillimè quidē in cœleſtē viam, viâ perditionis relictà, reuertetur, quia paruus error in principio, maximus in fine eſſe ſolet, vt Philoſophus

Simile.

Simile.

phus ſapiẽter docet. Quapropter, Dauid Deo ſup- Pſ. 5. 9.
pliciter dicebat: *Dirige in conſpectu tuo viã meam.* Pſal. 118.
Itemq;: *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in* 59.
teſtimonia tua: quaſi diceret, Conſideraui quã via
progrediebar, poſtquã in peccatũ incidi, & me à
recta via teſtimoniorũ & mãdatorũ tuorum valdè
aberraſſe intellexi, & ideò in eam conuerti pedes
meos. Sed priuſquã ipſe in eandẽ reuerteretur, quã
plurimas difficultates tum tẽporales, tum etiã ſpi-
rituales ſubiuit, quas ne neceſſe ſit vt homines ſu-
beant, à pueritia conari debent ſe ipſos in cœlũ
dirigere, & ea quærere, quæ ad hoc ipſum cõducãt,
nimirũ diuinis officiis, & ſacris cõcionibus, & eiuſ
modi aliis rebus in templis intereſſe. *A pueritia,* Eccl. 51.
dicebat Eccleſiaſticus, *quæſiui ſapientiã & poſſedi cũ* 20.
illa cor meũ, propter quod nõ derelinquar: & rurſus, Ibid. v. 18.
*Cùm adhuc iunior ſum, priuſquã aberrarẽ, quæſiui ſa-
pientiam.* Vnde patet quãtùm conducat ab ea præ-
cipuè duodecim annorũ ætate pueros in templũ à
parentibus adduci, & quantũ incõueniens ſit eoſ-
dem domi relinquere, quando ipſi parentes ſacris
officiis, & concionibus interſunt, illud ex ipſa ex-
perientia cõſtat: Nam ſicut quãdo Moyſes erat in Simile.
mõte Sinai agens cũ Deo, & ab eo legem accipiẽs,
Iſraëlitæ, quorum ipſe erat veluti pater, ad radices Exod. 32.
mõtis idololatriæ operã impudenter dabant, vt ſa-
cris literis proditũ eſt: ſic etiã nullũ tempus habet
dæmõ faciendis ſuis rebus accõmodatiùs, quàm id
quo parentes ſacris in templo interſunt, & eorum
filij domi remanentes, ad libitũ ſine vllo impedi-
mento, quidquid volunt facere poſſunt: nam tunc
temporis ipſe dæmon quidquid mali vult, in eo-
rundem perniciem operatur.

Conſummatiſque diebus, cùm redirent, &c.

CONtextus Græcus habet, καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, quod ideſt eſt ac, *cùm peregiſſent dies* Maria & Ioſeph, ſeu ritè ſeptem azymorum
Leuit.23. dies celebraſſent, ſicut lege ſtatutum erat: id enim
Deut.16. quod perfectè eſt factum, conſummatum dicitur, & tales dicuntur, & dici debent dies iuſtorum, in quibus perfectè legem Dei adimplent, quod vt omnes homines faciant, vult Paulus eos eſſe *aſpi-*
Heb.12.2. *cientes in fidei authorem, & conſummatorem Ieſum*, qui non ceſſauit pati pro nobis, quouſque de opere redemptionis noſtræ potuit dicere, *conſummatum eſt*. Et quidem Galatis, qui ipſum Chriſtum in hoc non imitabantur, dicebat ipſe Paulus in epi-
Gal.3.1.3. ſtola quam ad ipſos ſcripſit, *Quis vos faſcinauit, Galatæ, non obedire veritati, vt cùm ſpiritu cœperitis, carne conſumamini*: & cuicunque bene incipienti ait Dauid ſimiliter, vt ad incœpti conſummatio-
Pſ.26.14. nem perueniat, *viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum*, hoc eſt, ne ſis quaſi puer, quem aliquis alius faſcinare poſſit, ſed tanquàm vir, qui, quod bene cœpit, perficere ſolet: qui enim ab incœpto opere bono deſiſtit, dignus eſt, qui ab aliis ludibrio habeatur. Sicut Chriſtus Dominus ſub parabola illius, qui turrim ædificare cœpit, quam
Luc.14.30. non perfecit, ſignificare videtur dicens: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Id quod etiam inſinuatum eſt, *27 cap. ſecundi libri Regum*, vbi quamuis referatur Goliath ſaxo à Dauide percuſſus fuiſſe præcipitatus, non tamen refertur ſaxũ ipſum,

ipſum, ſed ſolus gladius fuiſſe in templo ſeruatus, quia nimirum victoria ſaxo incœpta, gladio fuit terminata & conſummata, quando eodem gladio fuit Goliath iugulatus. Dicuntur ergo iuſtorũ dies, dies cõſummati, qui in ipſis id ad quod tenentur, perficiunt, ſicut impiorum dies conſummati minimè dicuntur, quia in eiſdem nec dimidium eius, ad quod tenentur, faciunt: quapropter de ipſis dicit Pſalmiſta: *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Iuxta quod de peccatore ait etiam Iob. *Quid enim ad eum pertinet de domo ſua poſt ſe, ſi numerus menſium eius dimidietur?* Quemadmodũ & de ipſis iuſtis dicitur: *Et dies pleni inuenientur in eis*, vbi etiam notare poſſumus, propterea quoque impios peccatores dies ſuos non dimidiare, quia eorum peccata in cauſa ſæpe ſunt, vt in medio & ante medium curſus vitæ, quam, ſi non eſſent peccatores, erant habituri, eandem vitam amittant, & poſt mortem in inferni ignem miſerabiliter præcipitentur. Quemadmodum enim in olìueto, oliuarũ putredo in cauſa eſt, vt putridæ oliuæ priuſquàm ſcindendæ ſint, ad ignẽ de facto ſcindatus, quod & in aliis arboribus fieri ſemper conſueuit: ſic etiam in hominibus, qui arbores ſunt inuerſæ, illi priùs per mortem ad inferni ignem præſcinduntur, in quibus vitiorũ putredo reperitur. Quapropter rectè de ipſis dicitur, quòd dies ſuos non dimidiabunt, quia *ſiunt pauci eorum dies*, vt deſumitur ex Pſalmiſta, & quòd in bonis & iuſtis dies pleni inuenientur, quia tempus ſuæ vitæ perfectè adimplebunt, imò, ſi ita dici poteſt, bonis eorum operibus aliquid ad illud adiicietur, iuxta illa: *Dies ſuper dies regis adiicies*, &c.

Pſ. 54. 24.
Iob 21. 21.
Pſ. 72. 10.
Simile.
Pſ. 108. 8.
Pſa. 60. 7

Aſcendentibus illis ſecundum conſuetudinem diei feſti, remanſit puer in Ieruſalem, &c.

Exod. 23. 17. PRæcipiebat lex, vt ter in anno appareret omne maſculinum coram Domino, & cùm vt Chriſtus Dominus adhuc puer legem hanc adimpleturus Hieruſalem cum parentibus ſuis veniſſet, nō dicit Euāgeliſta de ipſo, ſicut de parentibus, quòd aſcendit, ſed quòd remanſit in Hieruſalem, ſupponens quòd ad eam venit: nec enim in Hieruſalē remanere poſſet, qui ad ipſam non veniſſet. Ac quem modum, cùm hoc eodem capite idem Euāgeliſta de circūciſione ageret, dixit, *Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circunciderctur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus*, & non dixit, *circūciſus eſt*, ſupponens illud tanquàm certum, ſed dixit, *vocatum eſt nomen eius Ieſus*, quæ nominis impoſitio circunciſionē ſupponebat: quod Euangeliſta ideò fecit, vt eo loquendi, & referēdi modo ſignificaret Chriſtū Dominum, qui de ſe ipſo dixit: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*, tam promptū fuiſſe in obediētia legis Dei, & tam exactè ipſam adimpleuiſſe, vt ſufficeret dicere aliquid diuina lege fuiſſe ſtatutum & præceptum, vt pro certo haberetur id ipſum à Chriſto Domino fuiſſe ſeruatū, ipſamque diuinam legē eſſe chronicam certam & verā vitæ eiuſdē Chriſti enarrationē. Et talis quidem debet eſſe vniuſcuiuſq; Chriſtiani vita, vt lex ipſa Chriſti vera ipſius Chriſtiani ſit chronica & enarratio.

Luc. 2. 21.

Matth. 5. 17.

D. Bern. Agēs D. Bernardus de vita Sancti patris Benedicti dict

dicit chronicam certam ipſius eſſe eiuſdem regulam, quam qui ſciret, ſciret etiam ipſiuſmet vitam. Contrarium huius eſt, quod vani homines de ſe dici volũt, nam ſicut de Deo dicitur, quòd *omnia, quæcunque volu t, fecit*, Sic vnuſquiſque eorum de ſe dicere præſumit illud, *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*, conatúrque vt de ipſo dicatur, quòd quidquid vult, per fas & per nefas ita facit, vt nullis legibus ſubiacere videatur. Pſ. 113. 10

Remanſit puer in Hieruſalem, &c.

VT nullus labor eſſet, quem Chriſtus Dominus non pateretur, ſed omne genus acerbitatis ſimul cum piiſſima matre ſubiret, voluit etiam eam anguſtiam pati, laboribus aliis acerbiorem erga pueros, quàm ipſi patiuntur, quando à parentibus amiſſi, ipſos etiã parentes amittunt, ac proinde pueri perditi appellantur. Voluit itaque eſſe puer deperditus, quem piiſſima mater, vehementer dolens, ſumma cum anxietate quæreret, vt nec hunc laborem vterque non toleraret, ſed omnem eiuſdem laboris modum experiretur, & voluit prætereà, vt quemadmodũ ſe exhibiturus erat talẽ patrẽ, qui omnibus afflictis miſereretur, expertũ labores noſtros, & per omnia probatũ, iuxta illud, *Non habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, probatum per omnia*, Sic ſimiliter nobis in piiſſima Virgine daret matrẽ omni dolore probatã, vt quibuſcunq; afflictis cõpati poſſet. Heb. 4. 15.

Vt quidẽ quod attinet ad illũ, ſi diſcurſum vitæ ipſius cogitatione perluſtremus, inueniemus omnia ferè, quæ in humana vita, & in quocunq; eius ſtatu grauia & acerba ſunt, & multa alia multò ad-

huc grauiora,& acerbiora eundẽ ſubiiſſe & toleraſſe:nam nullus vnquàm fuit,qui in matris viſceribus incluſus (qui primus vitæ ſtatus eſt) ventris horrorẽ,anguſtiam & obſcuritatẽ ita ſentiret,ſicut Chriſtus Dominus,qui ſolus in primo inſtanti cõceptionis,perfectũ viri iudiciũ & ſenſum habuit, quapropter de ipſo,& de eiuſdem ſanctiſſima

Hiere. 31. 22. matre præditum erat:*Fœmina circundabit virum*,atque ideò vtero circundatus moleſtiſſimè ferebat horrorem & anguſtiã,quã in ipſo experiebatur, cuius tolerantię mentionẽ facit ſancta Eccleſia cũ eodẽ

In Hymno, Te Deum. loquens,& eidẽ dicens:*Tu ad liberandũ ſuſcepturus hominẽ,non horruiſti Virginis vterũ*,& quoniam indecorum,& moleſtũ eſt,naſci ex obſcuris & abiectis parẽtibus,ex iis creditus eſt eſſe filius,qui obſcuri ab hominibus habebantur:nam ſanctus Ioſeph,qui ipſius pater ſecũdùm hominum opinionẽ reputabatur,faber lignarius extitit.Et quia penè intolerabile eſt, in tenera adhuc ætate à patria exulare,& in longinquas & alienas regiones relegari; hoc etiã grauiter tulit & moleſtiſſimè ſimul ſenſit, ſe eſſe occaſionem, vt parentes ſui in exilium ſimul cum eo eiecti & profugi eſſent: & vt non prætermitteret anguſtiam, quam puerorum ſenſus magis ſentit, quando amiſſi ſunt à parentibus,quos ipſi amiſerunt, voluit eſſe, & de facto

Pſ. 39.18. 1.Cor.8 fuit,ſicut dictum eſt,puer perditus & amiſſus.*Ego autem mendicus ſum & pauper*,dicebat Dauid perſonã eius gerẽs & quia *cùm diues eſſet,pro nobis egenus factus eſt*,vt ait Paulus,fuit eiuſdem paupertas multò cæteris acerbior, cùm præſertim ex illuſtriſſima ſanctorum patrum progenie, & nobiliſſima regum ſtirpe natus eſſet, id quod paupertatem

pertatem ipſam intolerabiliorem reddit. Quamobrem dicebat Iob: *Ille ego, qui quondàm opulentus fui, repentè contritus ſum.* Et Hieremias: *Qui veſcebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Fuit autem tam pauper, vt, cùm in domo patris eius manſiones multæ ſint, ei tamen naſcenti non eſſet locus in diuerſorio, & viuenti non eſſet domus vbi habitaret, nec vbi reclinaret caput ſuum. Quapropter dicebat: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput ſuũ.* Et quod Iudæorũ de ipſo conceptam opinionem, adeò ignobilis erat reputatus, vt de eo dicerent, ſicut refertur alio in loco: *Nonne hic eſt faber & filius fabri?* Iob 16.12. Thren.4.5. Matt. 8. 20. Luc 9.58. Marc.6.3.

Præterea non ſe habebat vt Dominus, ſed vt miniſter: *non enim venit miniſtrare, ſed miniſtrari.* nec fuit vt quicunque miniſter, ſed vt miniſter, qui ſimul eſſet ſeruus: formã enim ſerui accepit, & fuit ſeruus venditus, & non conuentione factâ de certo pretio, ſed venditus pro eo, quod emptores dare pro ipſo vellent; venditor enim Iudas ipſis Iudæis emptoribus dixit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* quaſi emptorum voluntati & arbitrio pretiũ ipſum relinqueret: Quando autem re ipſâ ſuis inimicis tradendus erat, ex ſuis maioribus amicis tres ſibi ſocios elegit, vt in tribulatione illa ipſum conſolarentur, & permiſit illos ſomno conſopiri, quando cum ipſo erant vigilaturi, vt magis ipſius pœna & anguſtia creſceret, permiſit etiam ipſiuſmet ſenſum id deſiderare quod nolebat ſibi concedi, vt etiam illam pœnam ſubiret, quam patiuntur ij, qui, quod cupiunt & petunt, non conſequuntur. Matth.26.

Vt quaſi non ſufficeret ei horridum tam vicinæ, & talis mortis tormentum, quandam veluti vigiliam illius voluit facere, voluitque mori antequàm moreretur, ſeu, quod idem eſt, voluit bis mori, ſemel effectiuè, ſemel imaginariè, quæ quidem mors in imaginatione cõſiſtens tam efficax fuit, vt ſanguinis effuſionẽ, quam ſine clauis, verberibus, cruce, & lancea, realis mors nõ potuit efficere, ipſa imaginaria per ſe ſola ſine talibus inſtrumentis per inauditum ipſius ſanguinis ſudorem efficere poſſet.

Porrò fuit traditus ab eo, qui eidem amicitiam debebat, illis, qui ipſum infeſtiſſimo odio proſequebantur, quod ipſimet acerbiſſimum fuit, quapropter per os Dauid dixit. *Quoniam ſi inimicus meus malè dixiſſet mihi, ſubſtinuiſſem vtique*, &c. inſinuans intollerabile penè ſibi eſſe, ab eo, qui verus amicus eiuſdẽ debebat eſſe odio haberi. Quin etiam quãdo accuſatus à perfidis inimicis erat coràm Pontio Pilato, eius cauſa ſępe proſperum ſucceſſum iamiam habitura viſa fuit, vt infœliciter ſuccedens vehementius ipſum affligeret: nam cùm ipſe Pilatus Iudæorum calumniã, de quibus ſciebat, quòd per inuidiam tradidiſſent eum, quodammodò contemneret, & cum eodẽ priuatim acturus domum ingreſſus fuiſſet, quis bonũ ſucceſſum à tali iudice non ſperaret? Quis etiã cùm ipſe Pilatus optionẽ populo dedit, an ipſum, an verò Barabbam latronem, & homicidam maximũ in Paſchate vellet dimitti liberum, quis non pro certo haberet populũ tot beneficiis deuinctũ pro eo nõ eſſe clamaturũ, à quo tãta bona receperat? Quis deniq; quando vxor eiuſdẽ Pilati in ſomnis ad hoc excitata,

Pſ. 54. 13.

tata,ad ipſum miſit dicere: *Nihil tibi, & iuſto illi*, nõ expectaret felicẽ eius cauſæ concluſionem? Quæ omnia,& eiuſmodi alia, ipſum maximè afflixerũt, quando tam bona ſpes ab ipſis proueniens in fumum fuit penitùs conuerſa. *Matt. 27. 19.*

Quãdo quoq; lata fuit ſuper eũ ſentẽtia mortis, non fuit illa ſicut cęterorũ ſanctorũ Martyrũ,quorum alij ad ſuſpendiũ, alij ad hæc, alij ad illud,omnia tamẽ certa & determinata, Ieſum autẽ tradidit voluntati eorũ ipſe Pilatus,quaſi condẽnatus eſſet ad id,quod circa ipſum Iudęi infeſtiſſimi ipſiuſmet hoſtes vellẽt facere,quæ ſentẽtia crudeliſſima omnium fuit,& omni genere impietatis pleniſſima.

Denique quãdo paſſurus crucis acerbitatẽ ipſam, quæ grauiſſima erat, propriis humeris deportauit, nec vaſa quę habuit cum ardẽtiſſima ſiti flagraret, ſed loco eius acetũ cũ felle permixtũ ſumpſit , nec tunicam, quã omnes ad patibulũ ducti induuntur, quę nulli quantũcunque deſtituto vnquã defuerũt. Quæ omnia breuiter perſtrinximus,vt oſtenderemus Chriſtũ Dñm ea paſſum pro nobis fuiſſe,quę in quocũque vitæ ſtatu humanæ naturæ acerbiora videntur, acceptâ ex eo occaſione , quod cùm puer eſſet duodecim annorum,puer perditus & amiſſus fuit,id quod in ea ætate pueris acerbiſſimũ exiſtit.

Quod verò attinet ad Virginem beatiſſimã eius matrem , vt etiã piiſſima eſſet mater erga omnes quocunque dolore afflictos , voluit ſimiliter ipſe eam per omnia acerbitatũ & dolorum genera tentari,cùm eandem ad omnes ferè,quos tulit , labores ſibi ſociam adhibuit,& ita quando ipſemet in puerili ætate amiſſus hanc maximã amiſſi pœnam ſubiit,ipſa etiã talis amiſſionis anguſtiã ſuſtinuit,

quæ

quæ quidẽ vt intelligatur quanta fuerit, neceſſariũ eſt intelligere quãto amore talẽ filiũ dilexerit: nec enim poteſt bene intelligi quantus ſit dolor propter rem amiſſam, quin priùs intelligatur quantum fuerit ipſa dilecta, & è contrà tantùm dolet vnuſquiſque de pretioſa margarita, annulo aureo, vel quâcunque aliâ re, quam perdidit, quantùm eandem rem amabat, atque ideò qui iacturam ſuarum diuitiarum fecerunt, maximo dolore afficiuntur, quia maximè eaſdem diuitias amabãt. Vehementiſſimum in ſuos filios manifeſtauit amo-
Iob 1.20. rem Iob, quando vt in eius libro refertur, vbi primùm eos eſſe mortuos audiuit, ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite in terram ſe proiecit, id quod nec aliud ſimile fecerat, cùm ei de minùs dilectarum ſuarum rerum perditione renunciatum fuit.
1 Reg. 4. 18. Quo etiam modo dicitur Heli diem obiiſſe, vbi primùm filios ſuos occubuiſſe in bello auribus percepit. Iacob ſimiliter, licèt maximos labores toleraret, vnquàm tamen ploraſſe legitur, niſi quando eidem renunciatum fuit de perditione ſeu amiſſione ſui dilectiſſimi filij Ioſeph: enarratur enim in
Geneſ. 37. 34. Geneſi, quod cùm ex cognita filij tunica intellexiſſet feram peſſimam eum deuoraſſe, ſciſis veſtibus indutus fuit cilicio, lugens ipſum multo tempore. Eſt autem adhuc amor matris erga filium maior, quàm patris, & quicunque alius amor. vnde cùm Dauid vellet ſuum maximũ erga Ionathã amorem declarare, nullum alium inuenit, cui illum conferret, quàm amorem matris in filium, cùm dixit, *Si-*
2. Reg. 1. 26. *cut mater amat vnicũ filium ſuum, ſic ego te diligebã.* Imò & ipſe Deus apud Iſaiã, vt ſuum in hominem, infinitũ amorẽ ſignificaret, nulli alteri ipſum cõ-

ferre

ferre voluit;quàm amori,quo mater filiũ ſuũ diligit:*Nunquid*,ait, *obliuiſci poteſt mulier infantis, quẽ peperit? Et ipſa obliuiſcatur,ego nũquàm obliuiſcar tui.* Iſa.49.15.
Magnus ergo eſt matris cuiuſcunq; in filium amor & maximus,ne dicam infinitus,fuit is quo Deipara virgo filium diligebat,id quod non paucis, nec minimis, ſed maximis rationibus oſtendi poteſt. Nã cùm(vt docet Anſelmus) Chriſtus patrem in terra non haberet, ſicut etiã matrem in cælo non habuit, quapropter accommodatè figuratus per Melchiſedec,qui ſine patre & ſine matre fuiſſe dicitur,hinc factũ eſt,quòd ipſa ea fuit mater,ex qua omnis maternitas nominari poteſt,reſpectu ſui filij,ſicut reſpectu eiuſdem pater æternus eſt,*ex quo omnis paternitas nominatur in cœlis*, vt dicitur ab Apoſtolo, atque ideò erat ipſa eidẽ quaſi pater & mater,& ita in ea amor patris & matris ſimul cõcurrebat, imò & amor filiæ erga patrẽ in ipſa etiã reperiebatur:ab eo enim,cui eſſe per conceptionẽ dederat,per productionem priùs eſſe etiã acceperat.Quapropter dicitur filia principis,quẽ ipſa ita concepit ac peperit,vt eiuſdem filij partus,ipſiuſmet Virginis integritatem nõ minuerit,ſed ſacrauerit (ſicut Catholica Ecclesia canit)quod tamen in nullo alterius filij partu vnquàm contigit.

D.*Anſel.* Hebr.7.3. Eph.3.15. Cant.7.1.

Pręterea quãdo filius eſt primogenitus & vnigenitus,& multorũ bonorũ hæres, quando eſt pulcherrimus,ſapientiſſimus,optimus, & matri ſimillimus, quando his accedit continua conuerſatio & aſſiduus conuictus quæ ſunt veluti ligna & oleum,quibus amor mirum in modum incenditur mirabiliter creſcit matris in filiũ dilectio , & omnem aliam dilectionem exuperat. Quis igitur ſufficienter

ficienter referet, quanta Deiparæ virginis in filium ſuum fuerit dilectio? Fuit ille quidem ipſius & æterni patris primogenitus & vnigenitus, & ille
Hebr. 1.2. *quem Pater conſtituit hæredẽ vniuerſorũ*, vt dicitur
Pſal.44.3. fuit ipſa ſapientia Patris, & in bonitate matri ſimillimus, & *ſpecioſus formâ præ filijs hominum*, vt dicitur à Dauide, & adeò quoad omnia deſiderabilis, vt de eo dicat Petrus: *In quẽ deſiderant An-*
1.Pet.1 12 *geli proſpicere*, quia ex quo ille conceptus fuit, additus eſt Angelis beatis ſingularis gloriæ cumulus, ab eiuſdem aſpectu proueniẽs. Ex quibus omnibus liquidò conſtat, qualis & quantus amoris ignis in Deiparæ Mariæ corde exarſerit, & quamto dolore affecta fuerit, quãdo dilectiſsimũ filium adhuc puerum in Hieruſalem remanentem amiſſit, & quantum timuerit & metuerit, ne ſicut anteà inter innocentes infantes, adhuc inter pueros ad occiſionem quæreretur. De Anna matre Tobię, vt in eiuſdem libro refertur, quòd pro eo, quem reputabat eſſe amiſſum ſeu perditũ, flebat irreme-
Tob.10.4. diabilibus lacrymis dicẽs: *Heu me, fili mi, vt quid te miſimus peregrinari lumẽ oculorũ noſtrorum, baculũ ſenectutis noſtræ, ſolatiũ vitæ noſtræ, &c.* Quantò maiori cum ratione piſsima huius diuini pueri mater hæc & ſimilia, quando ipſum amiſit, diceret, quorum illa ſola nobis refert Euangeliſta cæteris, quæ ſimul diceret, prætermiſsis, nempe: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ego & pater tuus dolẽtes quærebamus te*, vt ex eo perdiſcamus, quòd quando Deum per peccatum amiſimus per contritionem, & dolorem ipſum quærere debemus, vt ipſummet inueniamus in hac vita per gratiam, & in alia per gloriam, quam mihi, &c.

HOMI-

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. 2. I.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ & erat mater Ieſu ibi : vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias, & deficiẽte vino, dixit Mater Ieſu ad eum: vinũ non habent &c.

NON mirum fuit ſi vinum defecit, ſiquidem quidquid eſt in mundo deficiẽs eſt: defecit enim etiam aqua habitantibus Bethuliam, quia in ea defecerunt ciſternæ, defecit manna filiis Iſraël, defecit pecunia de theſauris di- *Iudith. 7.*
tiſſimo regi Antiocho, defecit gaudiũ cordis no- *12.*
ſtri, defecit caro mea, defecit ſpiritus meus, defecit *Ioſ. 5. 12. 1. Mach. 3.*
in dolore vita mea, denique, vt loquamur cum Ec- *Thren. 5.*
cleſiaſtico, Quid lucidius Sole? & hic deficiet. Ita- *15.*
que omnia, quæ in mundo continentur, ſiue ſint *Pſ. 71. 26.*
vinum, ſiue ſint aqua, ſiue manna, ſiue pecunia, ſi- *Pſa. 76. 3.* *Pſ. 30. 11.*
ue gaudium, ſiue caro, ſiue ſpiritus, ſiue vita ipſa, *Eccleſ. 17.*
ſiue luciditſſimi Solis lux, tandem deficient ſolus *30.*
autem Deus in æternum ſine eo, quod deficiat permanet. Id quod Dauid de omnibus ſignificat, ſic cum Deo loquẽs: *Initio tu domine terrã fundaſti, &* *Pſal. 101.*
opera manuũ tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt, tu autem *26.*
permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcẽt, &

H

ſicut opertorium mutabis eos,& mutabũtur, tu autem idẽ ipſe es,& anni tui non deficient. Vnde fit quòd licèt homini omnia deficiant, Deus tamen, in quo ſunt omnes theſauri,eidẽ non deficiat,ſuâ præſertim gratiâ,de qua per Iſaiam dicit: *Salus autẽ mea in ſempiternũ erit.& iuſtitia mea non deficiet.* Quam etiã ob rẽ Paulus dicit: *Ne quis deſit gratiæ Dei*, qua ipſe ſuâ gratiâ nobis non deſit, nec deficiat,ſi nos ex parte noſtra in ea petenda non deficiamus. Petamus igitur ipſam (quã modo maximè indigemus) à Deo,qui non deficit in neceſſariis,imò ſtat ad hoſtium & pulſat, per interceſſionem ſuæ ſanctiſſimæ Matris, quæ pro nobis eidem dicat, *Gratiam non habent*; & ad hoc ipſum ipſimet Matri ſanctiſſimæ etiam dicamus, *Aue Maria, &c.*

Iſa. 51. 8 *Hebr. 12. 15.*

Nuptiæ factæ ſunt, &c.

AVguſtinus, Euthymius, & Cyrillus, Beda, Epiphanius, Theodorus, & Ammonius in Græcorum catena relatus, & plerique alij authores,dicũt his nuptiis ideò Christum interfuiſſe, vt nuptias tanquàm ſanctas approbaret, doceretque ſtatum coniugum eſſe *honorabile cõnubium,& thorum immaculatum*, vt dicit Paulus, quem propterea ſtatum duplici miraculo decorauit, In generatione quidẽ mundi, ædificans & conuertens Adami coſtam in mulierẽ,ſicut refertur in Geneſi,2.in regeneratione verò,quando in nuptiis Cana Galileæ aquã in vinum conuertit, & myſterioſè ſignificauit labores coniugum,per aquã ſignificatos,in in vinũ lætitiæ eſſe in eorundẽ coniugũ ſtatu conertendos

Auguſtin. Serm. 4 de temp. Euthym. & Cyril. in hunc locum. Beda hom. 2. Epiphanius Theodor. lib. 5. diu. decret. Ammon. Heb. 13 4. Gen. 2 21.

uertendos per ſanctũ matrimonij ſacramentũ. Et hãc ob cauſam ipſe D. Paulus hunc eundẽ ſtatum magnum ſacramentum appellat, dum dicit: *Sacramentum hoc magnũ eſt, ego autẽ dico in Christo, & in Eccleſia*, quia nempe eius diuinæ coniunctionis ſignificatiuũ fuit, quia Chriſtus Dominus cum Eccleſia ſua, quaſi cum ſponſa fuit copulatus, id quod maximũ matrimonij encomium eſt. Quapropter idem Apoſtolus, qui eodem capite latè deſcribit, quomodo Chriſtus erga Eccleſiam ſuã, quam ſibi in ſponſam elegit, ſe habuerit, latè etiam exponit quomodo coniuges ad inuicẽ ſe habere debeãt, vt in honorabili matrimonij ſtatu decenter viuãt. Ait enim: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut domino, quoniã vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe Saluator corporis eius, ſed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illã ſanctificaret*, &c. Ex quibus omnibus nos aliqua colligemus quæ ad matrimonium, matrimonialémque vitam rectè inſtituendam, & degendã valdè conducunt.

Eph. 5. 32.

Ibid. 22. &c.

Et in primis cùm ex parte præſertim mulieris requiratur ſubiectio erga virum, ſicut ex parte viri erga mulierem requiritur dilectio, manifeſtum eſt ex parte vtriuſque electionem ſimiliter requiri, vt cum ſuauitate ſe ſubiiciant, & cum facilitate ſe diligant. De Eccleſia nánque dicit Dauid: *Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem ſibi*, & alibi: *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationẽ ſibi*, & infrà: *Hîc habitabo, quoniã elegi eam*. Cùm verò ad actum voluntatis, qualis eſt electio, notitia, & cognitio obiecti neceſſaria ſit

Pſ. 131. 13.

Pſ. 32. 12.

Verſic. 14.

oporter vt homines,qui valdè ignorantes ſunt, ad hoc vt bene eligant,diligenter conſiderent. Vnde D. Chryſoſtomus dicit:*Omnia fac,& ſatage vt cõmodã,modeſtam,& obſequentem vxorem ducas. Nam ſi domos, atque ſeruos empturi, diligenter & curioſè ſciſcitamur & perſcrutamur vendentes pariter, atque priores poſſeſſores,de illarum quidem fabrica, de horũ autem corporis habitudine,& omni ſtudio inquirentes, multò magis vxores ducturos, tantam ac longè maiorem etiam prouidentiam gerere oportet; domum enim vitioſam, & ſeruum ſi emptos videatur reddere venditori,licet, vxorem verò ductam reddere his, qui dederunt,non licet.* Hucuſquè Chryſoſtomus, & magna cum ratione ea dixit, nam ſi quis ſit in aliqua religione profeſſus, & prælatum in ea habet imprudentem,ſeu fatuum,ſeuvice verſa prelatus ipſe ſubditum habet parum,vel nihil ei obſequentem (quod idem de monialibus,& abbatiſſis,de dominis & famulis dici poteſt) hoc quod per trienniũ vel annum durare ſolet, facile remedium,per mutationem quorundam & expulſionem aliorum, habere poteſt: Cæterùm coniuges nec mutari,nec expelli poſſunt, nec eorum vinculum ad certum & limitatum tempus,ſed ad perpetuum & infinitũ durat,& in omni illo in eadem domo habitare,ad eandem menſam & eundem cibum comedere, & in eodem,lecto iacere tenentur.

Chryſoſt. orat. de pulchritud. & vxore, tom. 5.

Diligenter igitur conſiderandum eſt vnicuique, quem ſtatum vitæ ſibi oporteat eligere,& quam in eo ſibi ſociam conueniat aſſumere. Nam quia hoc maximè expediens eſt, ſicut contrarium eſt valdè perniciosum,conatur dæmon, vt qui ad matrimonialem vitam aptus eſt,religionem aliquam ingrediatur

diatur

diatur,& vice versâ, qui aptas ad religionem partes habet, matrimonij ſtatum ſuſcipiat. Ad quem etiam modum procurauit,vt propheta Ionas, qui verbi Dei prædicationi poterat ſufficientem operam dare,nauigandi munus & exercitium inſufficiẽter,& cum magno ſui periculo ſubiret. Id quod cauſa eſſe ſolet magnæ monſtruoſitatis & diſformitatis, cum qua res diu durare minimè poſſunt. Sicut enim monſtra,quæ naſcuntur, differentium, *Simile.* & diſsimilium animaliũ membris compacta, nec multùm durant,nec diu cõſeruãtur: ſic etiam qui cùm eſſent ad vitam matrimonialem inclinati, in religionem tamen ſunt ingreſsi, & è contrà qui, cùm eſſent in religioſam vitã propenſi, matrimonij ſtatum ſuſceperunt quaſdam veluti monſtruoſitates habent, quæ diu durare & conſeruari non poſſunt.Mulier enim nupta, quæ domus ſuæ curã non haberet, vt quaſi religioſa quoad omnia viueret,& religioſus,qui temporalibus rebus ita ſtuderet,vt diuinarum penitùs obliuiſceretur, mõſtra quammodò dici poſſunt, inutilia quidem & breui temporis ſpatio interitura. Sunt ergo ſtatus vitæ ſingulis quibuſque eligendi ſecundùm id, in quod ſe propenſos & inclinatos eſſe cognoſcunt: quòd ſi non ſatis cognoſcant, quiſnam ſtatus vitæ ſibi magis expediat, huius cognitionẽ à Deo, qui omnia nouit,ſuppliciter poſcant.Ille enim, qui Ioannem ex his nuptiis, ſecundùm D. Hieronimum in eius vita,& Bedam in præfationem ad eius Euangelium,& Rupertum *lib.2.*in ipſum, & ſecundùm quamplurimos alios authores, in virginitatis ſtatum vocauit.Iuſsit ipſi Oſeæ Prophetæ,vt vxorem *Oſee 3.1.* duceret, quia vnicuique eorũ hæc magis cõuenire

intelligebat,& ipſe etiam quid, & quæ vxor vnicuique magis conducet, inſpirabit: Ille enim eſt
Prou.19. de quo dicit Sapiens: *Diuitiæ dantur à parentibus,*
14. *à Domino autem vxor prudens.* Et alibi: *Sciui quoniã*
Sap.8.21. *alıter non poſſem eſſe continens, niſi tu Deus dederis.*

Eſt autem in hac coniugum electione diligenter quærenda ſimilitudo & æqualitas: cùm enim omne animal diligat ſibi ſimile deficiente ſimilitudine, dilectio etiam & amor abſque dubio deficiet. Si enim alter cõiugum ſit difformis, alterius pulchritudinem non quærat, quia vel non diu diliget, vel, quod certius eſt, nunquàm diligetur, quod etiam & peius aliquid veniet, ſi inter ſe inæquales extiterint, quia inde omnes rixæ & diſſentiones naſcuntur, ſicut ex æqualitate inter eoſdem reperta omnis pax, tranquillitáſque emanat. Ideò
Luc.1.6. enim *Zacharias & Elizabeth erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela*, quia ille erat de vice Abia, illa autem de filiabus Aaro, ſicut Lucas enarrat. Quærenda eſt igitur à coniugibus in electione æqualitas & ſimilitudo, & lux diuina ad eandem electionem faciendam eſt à Deo ſuppliciter ipſis poſtulanda, ne id eligatur quod ſic noceat, vt nullum eidem remedium adhiberi poſſit.

Deinde requiritur ex parte mulierum maxima
Ephes.5. ſubiectio; dicit enim Paulus: *Mulieres viris ſuis ſub-*
22. *ditæ ſint ſicut Domino, quoniã vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Si enim mulieres viris, ſicut dominis non ſubiiciantur, ſed eiſdem dominentur, multa ex eo mala proueniẽt: cùm enim
Iſa.3.12. Iſaias mala populi commemoraret, illud tanquàm maximũ retulit, nempe, *Mulieres dominatæ ſunt eis.*

Ex

Ex eo enim,quòd mulieres viris ſuis dominentur, prouenit,quòd ipſi ſæpe iniurias aliis inferant, & nunquàm parcant,& ſemper vlciſcantur,& quod lites proſequantur,& inimicitias augeãt, & nunquàm cum aliis fœdus ineãt,licèt propterea diuitias omnes, omnem ſupellectilem, & totam rem familiarem,& ſiquid aliud pretioſum habent, penitùs amittant,diſſipent,ac profundant.Sunt enim adeò vindictæ appetantes,& in quodcunque aliud malum,ſeu ſui guſtus & vanitatis idôlum tam procliues,vt propter illud libenter omnia effundãt.Id quod patet ex Exodo vbi diuinæ literæ referunt Exod.32. mulieres inaures aureas dediſſe, vt ex eiſdem vitu- 3. lus aureus,ſeu idolũ conflaretur,cùm tamen ipſas inaures,& quæcunque aurea ornamẽta vehementer diligerent.Oportet igitur,vt,ſiquidem ſunt appetitus mulierum adeò effrænati,ipſæ viris nõ dominentur, ſed eiſdem tanquàm dominis ſeruiant, & venerationem exhibeant.Sara enimvxor Abrahami ipſum dominum appellauit,ſicut refertur in Geneſi,vbi de eo dixit,*Dominus meus vetulus eſt*:& Geneſ.18, quãdo Deus,vt refertur eodem libro,Euam, vt eſ- 12. ſet Adami vxor,creauit, dixit:*faciamus homini ad-* Gen.2.18. *iutorium ſimile ſibi*, ſignificans mulierem potiùs vt hominem adiuuaret & eidẽ ſeruiret, quàm vt ipſi dominaretur,fuiſſe productam.Quamobrem mulier quæuis ſubdita ſit viro ſuo,ſicut Eccleſia Chriſto ſubdita eſt.

Cæterùm ita vir debet mulieri dominari, quaſi ipſius caput ſit, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, & nõ debet exiſtimare,ipſam eſſe pedem, hoc eſt, ancillam,ſed latus,hoc eſt,ſociam,in cuius ſignificationem de latere primi Adami ſumpta eſt prima

mulier eiuſdem vxor, & de latere ſecundi Adami, Chriſti ſcilicet, formata fuit Eccleſia eiuſdẽ ſponſa, vt Sancti Patres affirmãt, ex quibus Cyprianus

Cyp. lib. de montib. Sina & Siõ, in fine. ait: *Percuſſus in latere lanceâ ſanguis & aqua mixtus profuſus fluebat, vnde ſibi Eccleſiam ſanctam fabricauit*, vnde quemadmodum Chriſtus *ſe ipſum tra-*

Eph. 5. 26. *didit*, inquit Apoſtolus, *vt Eccleſiam ſanctificaret; mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugã, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit Sancta*

Iſa. 58. 7. *& immaculata*: Sic etiam vir, cui Iſaia ait, *Et carnem tuam ne deſpexeris*, non debet eam contẽnere, quaſi dominus ancillam, ſed ipſam quaſi carnẽ de latere ſuo ſumptam debet magni facere, & non ſolùm ſanctam, ſed immaculatam reddere, quod quidem faciet, ſi quãdo opus fuerit, bonis & non iniurioſis verbis eã reprehenderit, ſicut faciebat Iob, qui (vt refertur in eius libro) quando ipſius vxor peruerſa conſilia eidẽ dabat, & ad multa mala ipſum-

Iob 2. 10. met blaſphemis verbis impellebat, illi dixit: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus loquuta es*, quaſi diceret, non eſt rationi conſentaneum, ô vxor, vt verbis & conſiliis ſtultas mulieres imiteris, ſed religioſas &

Greg. lib. 3. Mora. cap. 6. & 7. prudentes: ſicut Gregorius eo loco aduertit, ipſum feciſſe ne vxorem blaſphemam fatuam & ſtultam appellaret. Itaque debet vir ſe erga vxorẽ ſuam habere, ſicut Chriſtus erga Eccleſiam ſuam ſponſam ſe habuit, admonendo, exhortando, & obſecrando illam, ſi id opus aliquando fuerit. Vocabat Abrahã Saram ſororem, & ſponſus paſſim in Cãticis, Sponſam ſororẽ, amicam, pulchram, liliũ, columbam, vel immaculatam appellat, cùm tamen ipſa ſe nigram eſſe dixerit, vt inde perdiſcant viri,

quòd

quòd vxores tanquàm ſorores habere debent,nec aliter ab ipſis eſſe tractandas & venerandas,quantumcunque ipſi earundem domini exiſtant.

Sũt etiã mulieres fragiliores & infirmiores viris, ac proinde ab ipſis ſuauiori & blandiori ſermone ſunt tractãdæ,& alloquẽdæ:vnde D. Petrus 1.c.3. poſtquàm dixerat:*mulieres ſubditæ ſint viris ſuis,ſicut Sara obediuit Abrahæ,dominũ eum vocãs*,adiicit paulò pòſt:*Viri ſimiliter cohabitãtes ſecundùm ſcientiam quaſi infirmiori vaſculo mulieri impertientes honorem,tanquàm cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes veſtræ,* Vbi ſanctus Apoſtolus ſignificat,quòd ſi in ſtatu matrimonij vir,& vxor, ſicut decet, vixerint, cœleſtis gloriæ cohæredes euadent, quod autem ipſe Apoſtolus valdè commendat, eſt vt viri vxoribus quaſi infirmioribus vaſibus maiorem honorem exhibeant, licèt ipſi multò maiorẽ adhuc eum promereantur.Quemadmodum enim maior honor vitreo vaſculo exhiberi ſolet,quàm aureo,quod tamen eſt maiori æſtimatione dignum,quàm vitreum,quia hoc facilè,illud verò difficilè frangitur: ita etiam licèt vir pluris faciendus ſit quàm mulier,illa tamen maiori honore eſt afficienda, quàm ipſe,Sicut nánque vitreũ cum maxima cautione pertingimus, aureũ verò ſine ea manibus tractamus: ſic ſimiliter non tot cautiones requiruntur ad cõuerſandum & loquendũ cum viris,quot ad loquendũ & tractandũ cum mulieribus ſunt neceſſariȩ.Suauibus igitur & honorificis verbis viri erga vxores vti debẽt,quãuis ſint ipſarum veluti domini,vt ipſæmet,quæ infirmiores & fragiliores ſunt,nõ frangãtur, & maculatæ,ſi iniurioſis vſi fuerint,non habeantur.

1. Pet. 3. 1.6.7.

Simile.

Simile.

Requiritur denique ex parte virorum erga vxores dilectio, & talis, qualem erga ſuam ſponſam habuit Chriſtus: ait enim Apoſtolus: *Viri, diligite vxores: ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea*, ita enim ipſam amauit, vt, cùm caput ipſius eſſet, ſe ipſum pro ſuis membris cuicunque periculo expoſuerit, cùm tamen membra ipſa vice versã pro capite quibuſcunque periculis ſoleant ſe opponere, ſicut patet quando manus in ſe recipiũt ictus, quibus caput ipſum impetitur: nam quando in horto Gethſemani oblatus eſt, quia ipſe voluit, tradens ſe ipſum Iudæis pro ſua Eccleſia, quæ eo tempore ex diſcipulis præſertim conſtabat, dixit eiſdem Iudæis, loquens ſimul de ſua Eccleſia, ſicut refertur à D. Ioãne: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*, quaſi diceret, Me me, adſum, milites in me conuertite ferrum, me licèt caput ſim, percutite, capite, & ligate, hos autẽ dilectos diſcipulos, qui mea ſunt Eccleſia, ſeu mea ſponſa, dimittite. Ipſe etiam qui tempore paſſionis, quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcebat, nec in tantis tribulationibus loquebatur verbum, quando tamen Paulus, ſicut refertur alibi, acerrimè & immaniter Eccleſiam ſuam perſequebatur, vocem quodammodo continere non potuit, quin diceret ipſi: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Ex quibus omnibus colligi poteſt, quòd ſi viri diligere debent vxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, non ſolùm pro ipſis ſe debent quibuſcunque periculis exponere, ſed etiam debent ipſarum labores & iniurias magis quàm ſuas proprias ſentire.

Epheſ. 5. 25.

Ioan. 18. 8.

Act. 26. 14.

Veruntamen hunc virorum amorem debent promereri

promereri mulieres nuptæ, ſi (vt inquit Paulus) *Tit.2.5.*
ſint domus curam habentes, non ſolùm poſtquàm in vxores ab ipſis ducuntur, ſed etiam quando innuptæ exiſtebant: maximum enim mulieris encomium eſt, ſi in domo ſua ſemper ſit, & illius curam ita habeat, vt nec alterius rei recordetur, nec in alienis domibus cognoſcat, nec cognoſcatur. Cùm interrogaretur quidam Philoſophus, quódnam eſſet mulieris bonę nomē, quænam bona fama, fertur reſpondiſſe, præſtantius nomen & clariorem famam mulieris eſſe, nullum nomen, nullámque omninò famam habere, & illam meliorem ab omnibus eſſe iudicandam, quæ à paucioribus cognoſcatur, excellentiorémque eiuſdem notitiam eſſe, ſi ab omnibus ignoretur, quia melius eſt, ſi ab ea nihil ſciatur, quàm ſi per muſicam, per ingenium, per pulchritudinem, imò & per bonam virtutis eius famam innoteſcat. Dicitur mulier meretricio ornatu induta, eſſe *garrula, & vaga, & quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidiãs*: à quibus omnibus mulier verecũda, pudica, & bona valdè abhorret. Et ſicut de ſancta Iudith (vt in eius libro refertur) dicitur, quòd in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, ſic ipſa in interioribus domus ſuæ clauditur & illius curã gerit. In Canticis dicebat ſponſus: *Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* Significans diem diſpenſationis ſororis ſuæ, eſſe diem, quâ primò erat alloquenda, nec priùs aliquem ipſam fuiſſe alloquutum, quia maxima fuerat illius clauſura & reclusio, antequàm ſponſum habitura

Prou.7.11.
Cap.8.5.
Cant.8.8.

tricibus dant alendos,vt ſe ipſas citiùs,& liberiùs voluptatibus,iterum tradant,nihil profectò ad ſaluationẽ conducens in eo operatur: Debent igitur filios educare,& rectè inſtituere, & præter hoc in fide & dilectione,& ſanctitate,tùm erga Deũ,tùm etiam erga viros ſuos permanere & perſeuerare:ſi enim hoc non fecerint, & diuiſio inter eaſdem & viros ſuos interceſſerit, adimplebitur quidem in illis quod habetur in Euangelio: *Duo erunt in lecto, & vnus aſſumetur,& alius relinquetur.* *Luc. 17. 34.*

Quapropter, vt virorum ſuorum dilectionem promereantur, eandẽ mediante ſuâ dilectione & ſanctitate comparare & conſeruare debent: mulieribus enim nuptis conſulit D. Chryſoſtomus,vt ſi viros ſuos per totum ſuæ vitæ curriculum in ſui amore & dilectione cõſeruare velint,id ſanctitate & virtute,pudicitiâ,verecundiâ, & ſobrietate potiùs,quã impudicitiâ, intemperantiâ & fictâ pulchritudine efficere procurent. nam ſi viri dilectio tali pulchritudine ſolùm nitatur, ipſa per morbũ, ſenectutẽ, paupertatẽ,vel aliam ſimilẽ cauſam trãſacta,eadẽ dilectio non permanebit,imò tædiũ,atque odiũ abſq; dubio ſuperueniet. Vt ergo mulieres nuptæ viros ſuos ad ſe per amorẽ poſſint allicere,& in eorũ dilectione per totũ vitæ ſuæ tẽpus permanere,id procurare debẽt recluſione,verecũdiâ,ſobrietate,filiorũ educatione, familiæ ſuæ adminiſtratione,taciturnitate,modeſtiâ,& aliis eiuſmodi rebus,quæ etiã ad ſalutem æternã valdè cõducũt, & quãdo ex parte ipſarũ hæc cũ ſubiectione nõ defuerint & ex parte virorũ permanẽs dilectio ſuperuenerit,tunc ſpõſo Chriſto Domino,& ſpõſæEccleſię aſſimilabũtur,& inter ipſos interce *Chryſ. hom. ſuper hunc locum.*

det

det magnũ matrimonij Sacramẽtũ, cuius nuptias vt ſanctificaret iis, quæ in Cana Galileæ factæ ſunt, ipſe Chriſtus cum piiſsima ſua matre, ſuiſq; dilectis diſcipulis voluit aſsiſtere.

Nec tamen aliquis hoc exemplo abutatur cum Iouiniano, qui, vt author eſt Hieronymus, eo motus virginitati nuptias impiè exæquabat: nam ipſe Chriſtus Dominus, qui eiſdem aſtitit, virgo voluit eſſe, & non ex alia quàm ex Virgine naſci, imò & ex ipſis Ioannem Euangeliſtam, qui ſponſus in eiſdem erat, vt ſuprà ex grauiſsimorum authorum ſententia diximus, ad virginitatis ſtatum, & Euangelicæ perfectionis ſectationem reuocauit, & ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, primus volatus, quem hunc docuit fuit ille, quo ex nuptiali thalamo euectus eſt ad ſtatum ſublimem virginum, de quibus accommodatè dici poteſt illud Dauidis: *Hæc eſt generatio quærentium dominum*, &c.

Hieron. l. b. 1. & in apol. contra Iouinianũ.

Pſ. 23. 6.

Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias; & deficiente vino, &c.

DIcit Rupertus (idquod vero ſimile eſt) Chriſtum & diſcipulos in cauſa fortaſſe fuiſſe, vt vinum deficeret, vocatoſque eſſe prçter opinionẽ, prætérque numerũ conuiuarum, cùm cognitum eſſet, ipſos longè abeſſe, atque ita iam aliis conuiuis recumbentibus ſuperueniſſe, quia non plus vini paratum fuerat, quàm quantum eorum, qui priùs vocati fuerant, numero ſufficiebat, eo aucto numero defeciſſe, ægrè ergo ferebat Virgo ſanctiſſima,

ctiſſima, vt cauſa filij ſui ſuorumque diſcipulorum deficeret vinum, æquúmque iudicabat, vt per quẽ deficeret, per eundem abundaret, & ipſe quidem non ſolùm hoc voluit, ſed, vt ſuperabundaret effecit, & vt qui parum vinum ſibi, & diſcipulis pauperibus per miſericordiam dederunt, magnã ipſius copiam & quãtitatem per retributionem, & quodammodò per vſuram acciperent. Quod quidem quemcunque iuſtum facere, & propterea ſimilem retributionem recipere ſignificauit Dauid dicens: *tota die miſeretur & commodat, & ſemen illius in benedictione erit*, hoc eſt, totã vita, ſeu toto vitæ tempore miſericordẽ ſe exhibet pauperibus, eorúmque inopiam ſua eleemoſynã ſubleuat, & hoc miſereri potiùs eſt commodare, quam dare: miſeretur enim & commodat, quia id, quod per miſericordiam dat, per retributionem magno fœnore (quaſi daret ad vſuram) amplificatum recipit: nã abſque dubio, *Domino fœnerabitur*, vt dicit Salomon, *qui miſeretur pauperis*, & ideò addit de viro miſericorde Dauid, *& ſemen illius in benedictione erit*, cadet enim in terram bonam, hoc eſt, in Deum, qui de pauperibus dixit: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, & ortum faciet fructum centuplũ*, ſicut ipſe Deus alibi docuit. Quapropter dicit ipſe Dauid: *Iucundus homo, qui miſeretur & commodat*, quaſi diceret, Hilaris & iucundus debet eſſe ille, qui per miſericordiam elargitur, ſiquidem centuplũ ex Deo in hac vita accipiet per ſolutionem, & vitã æternã poſt mortẽ per retributionem poſſidebit. Dederũt fratres ſancti Ioſeph pecuniã pro tritico, cũ quo iterũ pecuniã receperunt. Ad quẽ modum dat iuſtus pro ſpiritualibus rebus res temporales,

Pſal. 36. 26.
Prou. 19. 17.
Matt. 25. 40.
Luc. 8. 8.
Pſ 111. 5.
Gen. 42. 25.

porales,panem,vinum,oleum, pecuniam, & alia eiuſmodi, quæ omnia valdè amplificata cum ipſis ſpiritualibus rebus abſque dubio à diuino Ioſeph,
Seneca. nempe Deo,eſt accepturus. Qui accipit beneficiũ (aiebat Seneca)ſimilis eſſe debet terræ optimæ, & prædio pingui,quod centum dat vno accepto, & talis quidem eſt Deus,vt oſtenſum eſt,& tales debent eſſe ipſimet pauperes beneficia accipientes: nam pro benefactoribus, præterquàm eiſdem pares grátias referant, debent ad Deum ita inceſſan-
2. Cor. 9. 6 ter orare, vt verè de vnoquoque benefactore dici poſſit illuc Pauli: *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, & hoc eſt, ſemen eius in benedictione erit. Quod dixerim, vt intelligatur quantum lucrentur & fœnerentur ij, qui Deo & eius pauperibus miſericordes ſe exhibẽt, & quàm grati ipſi pauperes eſſe debeãt, ſiquidem pro pauco vino Chriſto Domino, & eius pauperibus diſcipulis dato,tantum vini ab ipſo Chriſto Domino illi,qui nuptias faciebant,receperunt, vt ex eo variæ hydriæ adimplerentur.

Eſt autem hoc loco ſimul ponderandum, in nuptiis & aliis feſtiuitatibus,licitum eſſe conuiuia cum moderatione, ſaturitate & lætitia ce-
Pſal. 67. 4. lebrare: non enim culpa diuitis erat, quia interdum epulabatur, ſed quia epulabatur quotidiè ſplendidè, quod quotidiè fieri ſine vitio non poteſt. *Iuſti epulentur*, ait Pſalmiſta, *& exultent in conſpectu Dei, & delectentur in iuſtitia*, ſed non quotidiè,ſed in diebus feſtiuis, in quibus conuiuia celebrantes, viros graues, & Eccleſiaſticos adhibebunt,vt ipſorum præſentiâ & bono exemplo conuiuia ab intemperantia,ebrietate, garrulitate,à laſciuis

ſciuis

ſciuis verbis & inhoneſtis rebus ſe cõtineant. Nã Sapientia,quæ in talibus viris reperiri debet, dicit de ſe: *In plateis ſicut ſinnamonũ, & balſamum aromatizans odorem dedi*, Significans eos, qui eam habent in illis locis, vbi plurimæ eſſe ſolent peccandi occaſiones (qualia ſunt ea etiam in quibus conuiuia dantur)ſuauiſſimum ex ſe boni exempli odorẽ emittere,& præbere, ſicut Chriſtus Dominus,non ſolùm in his nuptiis,ſed in multis Phariſæorũ & Publicanorũ conuiuiis feciſſe abEuangeliſtis enarratur.*Comedes*, habetur in Deuter. *coram domino Deo tuo & epulaberis tu & domus tua,& leuita,qui intra portas tuas eſt, caue ne derelinquas eũ,* Et alibi:*epulaberis coram Domino Deo tuo,tu, & filius tuus,& diuites,qui eſt intra portas tuas, & aduena,& pupillus,& vidua*,&c.In quibus locis, & in illo priori, *Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei*,ſignificatur,quòd iuſti in cõuiuiis eam modeſtiam,compoſitionem,& temperantiam exhibere debent,ac ſi ante conſpectum,& in præſentia Dei epularentur. Ad hunc enim modum intelligit D. Auguſtinus id quod ſacræ literæ referunt, nimirũ Conueniſſe Aaron & ſeniores Iſraël, vt comederent panẽ cum Ietro ſocero Moſis coràm Domino:nam cùm nondum tabernaculũ,in quo Dominus repræſentabatur,fuiſſet fabricatum,comedere panem corã Domino, erat in læta illa occaſione tanta cum modeſtia,compoſitione,& temperantia epulari,ac ſi in oculis & præſentia Dei illud fieret.

Ecclеſ. 24. 20.

Deut. 14. 26.

Ibid.16.11.

D. Aug.

Aduertitur etiam in illis Deuteronomij locis, quòd ad conuiuia vocandi ſunt Eccleſiaſtici viri ſancti & graues,per leuitas ſignificati,qui ſuo exẽplo cogant ſeculares ab intemperantia & laſciuia

contineri,id quod ipſi ſeculares maximè fugiunt, quia in ipſorum præſentia detrahendi, ludendi,& ſe ingurgitandi libertatem, & licentiam non habent. Aduertitur denique in eiſdem Deuteronomij locis quod aduenæ,pupilli, & viduæ ſunt etiã ad conuiuia admittendi,quia cibo, & potu egent, & in egeſtate conſtituti,vt plurimùm exiſtunt, & quando cum talibus conuiuis, & circunſtantiis cõuiuia fiunt,in illis iuſti epulari poſſunt, in conſpectuque Dei,& in lætitia delectari. Quibus pro-
1. Cor. 10. 31. pterea Paulus dicit: *Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis,omnia in gloriam Dei facite*,ſignificans non ſolùm epulas, ſed etiam honeſtas ſaltationes,& moderatas cantilenas, quæ in conuiuiis reperiri ſolent,poſſe in gloriam Dei dirigi, & ad gratiam diuinam conſequẽdam adiuuare. Cæterùm his miſeris temporibus multò aliter ſe res habet in nuptiis, & in quibuſcunque aliis conuiuiis:nam loco virorum ſanctorum, & grauium,illi ſoli adhibentur & vocantur qui & ſcurræ ſunt, & adulatores,& otioſa garrulitate confabulantur.
Eccl. 12. 5. Id quod à Salomone inſinuatur, dum dicit: *Florebit amygdalus,impinguabitur locuſta,& diſſipabitur capparis*,vbi per amygdalum ſignificatur ille, qui admodum amygdali in principio ſtatim anni floreſcentis,ſtatim in principio vitæ, cuius ſtatum ſibi ſequendum elegit, vanitatis floribus, hoc eſt, variis veſtium inuentionibus induitur,& ſplendidè quotidiè epulatur:locuſta autem,inutile admodùm & valdè pernicioſum animal, quod diu in eodem loco non conquieſcit, ſed hinc illuc tranſiliens diuagatur, & hoc animal deſignat adulatores,& ſcurras,& garrulatores,qui amygdali,hoc

eſt, vani hominis floribus impinguatur, & ſuſtentantur, & conſumptis illis aliò tranſiliunt: circa quos dicebat Demoſthenes, vt author eſt Stobæus, quòd ligna, dum augent ignem, ab ipſo cõſumuntur, & opes, dum augent adulatores, ab ipſis pereunt: & ſicut ignis, vbi primùm ligna combuſſit, ſtatim abit & euaneſcit, ſic adulatores & ſcurræ, vbi primùm opes conſumpſerunt, ſtatim abſunt, & citò quaſi ex oculis euaneſcunt. Capparis denique, per quam ſubditi, & abiecti agricolæ, ſeu vnuſquiſq; famulus, & ſeruus de familia inſinuantur, omninò à vanis dominis deſtruitur, vt ſuarum vanitatum flores non marceſcant, quibus ſcurras, garrulos, & perditos homines ſuſtentent. Hi igitur procul à nuptiis & epulis expellendi ſunt, vocandique ad eadem viri ſancti, ſapientes, & graues, quorum exemplum conuiuas ad modeſtiam & temperantiam cogat, qualis erat Chriſtus Dominus, & illi qui in egeſtate & neceſſitate ſunt conſtituti, quales etiam eiuſdem Chriſti diſcipuli exiſtebant. *Simile.*

Et deficiente vino, &c.

AVguſtinus ait, nõ expectaſſe matrem Chriſti vt vinum omninò nullum eſſet, ſed ſimul vt vidit non eſſe ſatis, filio ſuggeſſit, vt prouideret (id enim ſignificat, *deficiente vino*, cùm ſcilicet nondũ adhuc defeciſſet; ne qui nuptias faciebant, verecundiam paterẽtur. Ex quo quidem exemplo colligere vnuſquiſque poteſt, non eſſe pauperes ſine leuamine relinquendos quouſque deficiant, nec *Serm. 41. de tempor.*

diuites ſine iuuamine, quãdo in neceſſitatem vergunt, quouſque rubore affecti verecundiã patiantur, ſed antequàm hæc eueniant, eſſe vtrique opitulandum. Et quidem quod attinet ad pauperes, illud docuit Chriſtus Dominus, quando de iis qui
Marc. 8. 3. in egeſtate cõſtituti eum ſequebantur dixit: *Si demiſero eos ieiunos, deficiẽt in via in illa die, dicit Do-*
Amos 8. 3. 4. 5. *minus*, ſicut habetur alibi, *multi morientur, in omni loco proÿcietur ſilentium. Audite hæc, qui conteritis pauperes, & deficere facitis egenos terræ, dicẽtes: quãdo tranſibit menſis, vel meſſis* (vt legit Rupertus) *venundabimus merces.* In quibus verbis maximè minitatur Deus illis hominibus, qui merces ſuas ad id tempus vendendas relinquunt, vt cariùs eaſdem vendant, quando ſcilicet pauperes ad tantam paupertatem ſunt redacti, vt præ neceſſitate penitùs deficiant: ſubueniendum eſt ergo pauperibus, antequàm omninò deficiant, ne in indignationem Dei eorundem patris, vnuſquiſque incurrat. Si verò de diuitibus in neceſſitatem vergentibus loquamur, illis ſimiliter opitulandum eſt, antequàm verecundiâ afficiantur: eſt enim verecundia tormentum adeò durum, vt de eo dixerit Chriſtus Dominus, qui ipſum in cruce nudus paſſurus erat,
Pſ. 43. 16. *Totâ die verecundia mea contra me eſt* pro qua dicitur à Paulo in eadem cruce exauditus eſſe à Patre, cùm hoc de cæteris aliis infinitis laboribus, quos
Hebr. 5. 7. paſſus eſt minimè dicat, ait enim, *cum clamore valido & lacrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia*, vbi, *reuerentia*, paſſiuè ſumitur, & pro verecundia, ſi-
Pſ. 68. 20. cut à Pſalmiſta, vbi dicitur: *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam & reuerentiam meam.* Quapropter vehementer vnuſquiſque procurare debet,

debet, ne ſuus proximus quomodolił et pudore afficiatur, non ſolùm circa temporalia, in quibus erubeſcentia tolerabilior eſt, ſed multò magis circa ſpiritualia, nempe circa peccata, quorum verecundia intolerabilior exiſtit: qui in peccatum incidit in extremam neceſsitatem abſque dubio deuenit. Quemadmodũ enim ſi ſeruus & filius alicuius domini in neceſſitate aliqua eſſent conſtituti, neceſsitatem ſerui intelligeremus eſſe extremã, ſi filio ad eum clamante derelicto ſeruo occurreret: ſic etiam neceſsitatem cuiuſlibet peccatoris, quantumlibet ſeruus Dei fuerit, extremã eſſe iudicare debemus, ſiquidem, vt eidem ſubueniret Deus, Filium ſuum in cruce poſitũ ita dereliquit, vt ipſe dixerit: ſicut referunt, *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Procurare ergo maximè debemus, vt noſter proximus in peccatũ mortale non incidat, ne in extremam neceſsitatẽ conſequenter deueniat, & pudore verecundiaque ex peccato proueniente afficiatur, & hoc facere debemus, quando in via virtutis incipit deficere, & antequã deficiat, ſeu, quod idẽ eſt, deficiẽte ipſo. Sed quod maximè dolẽdũ eſt, quã plurimi nõ deſunt, qui nõ ſolũ homines iamiã peccaturos à peccato non reuocãt, & à verecundia ex eo proueniẽte liberant, ſed eoſdẽ ad peccatũ inuitãt & prouocãt, & in ipſum dilapſos diffamãt, vt maximũ ipſum verecũdiæ & infamiæ torrẽtũ ſubeãt, & multò aliter quidẽ facerẽt, ſi quãcunque ſubeũdi pudoris occaſionẽ impedirẽt, & mentibus ſubuenirẽt, antequã laberẽtur, & pauperibus antequã deficerẽt: ita enim Chriſtũ, & matrẽ eius imitantes, gratiã in hac vita cõſequerẽtur, cõſecuturi in alia gloriã, quam, &c.

Simile.

Matt. 27. 46.
Marc. 15. 34.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM MATTH. 8. 2.

Et ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicẽs: Volo, *mundare: Et confeſtim mundata eſt lepra illius.*

MERITÒ atque optimo iure, Eccleſia Catholica cum hoc leproſo dicente, *Domine, ſi vis, potes me mundare*, Deum omnipotentem dicit, & fatetur, quia Deus ipſe reuerà omnia poteſt, & non immeritò eos etiam qui diuini ipſius eſſe, ſunt per gratiã participes, omnia
Philipp 4. 13. quoque poſſe dicere ſimiliter poſſumus, ſicut de ſe dixit diuus Paulus ad Philippenſes ſcribẽs: *Omnia poſſum*, inquit, *in eo qui me confortat.* Inde fit, quòd ſi eandem gratiam habuerimus, vtilem admodùm & fructuoſam doctrinam quâ verba eiuſdem leproſi maximè abundant, ex eiſdem poterimus facilè depromere. Ab eo igitur, qui debiles ſuâ gratiâ confortare, & corroborare poteſt, eam per interceſſionem piiſſimæ Virginis nunc poſtulemus, dicentes ei, *Aue Maria*, &c.

Ecce

Ecce leproſus veniens, &c.

PArticula, *Ecce*, in ſacris literis ad admirationẽ excitat, quia aliquid valdè admirandum, quaſi ante oculos proponit, ſicut conſtat ex hoc loco, & ex alio eiuſdem Euangeliſtæ, vbi ipſe ſimiliter ait, *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam*, &c. In quibus duobus locis conſideratione dignũ eſt, quòd eadem particula, *Ecce*, ad admiratione commouens, & aliquid mirandum proponens, prætermiſſis admirabilioribus rebus, quam in eis referuntur, illis apponitur, quæ minùs vel nihil in admirationem rapiunt: cùm enim nihil maius ſit, quàm ꝙ Deus homo factus, & natus ſit Damaſc. lib. 3. vt ait nihil tã nouũ, quàm quòd ipſe Deus in terrã Iudeę per incarnationẽ, & natiuitatem venerit, quo tẽpore in ea impio Herode lege iniquitas graſſabatur, cúmq; multò minùs mirabile ſit, quòd ab vna regione in aliam ad quærendum, & inuiſendum Deum recente natum Magi ipſum adoraturi venerint, non tamen dicitur ab Euangeliſta, *ecce natus eſt Ieſus in diebus Herodis regis in Bethleẽ Iudæ*, ſed, *ecce Magi ab Oriente venerũt Hieroſolymã adorare eũ*, quaſi hoc mirabilius quàm illud exiſtat, itemq;, cùm deſcẽdiſſe Ieſum dè mõte ſumma admiratione dignũ ſit, ſi per montem intelligatur id, quod intellexit Haymo, qui, ſicut D.Th. refert, dixit, quòd poſtquàm Chriſtus de monte ſuæ diuinitatis deſcendit, & humanitatis noſtræ fragilitatẽ aſſumpſit, magna turba nationum ſecuta eſt eum, vel ſi per montem intelligatur cœlum, ſicut intellexit Chryſoſtomus, dicẽs quòd Dominus de

Matt. 2.1.

Damac. lib. 3.

D. Tho. in Catena.

Chryſ. ſuper Matth.

altitudine cœli,quaſi de excelſo monte deſcendit, vt lepram peccatorũ noſtrorum mundaret,eúmq; leproſum tetigiſſe, & confeſtimà lepra ſolo verbo (*mundare*)mundaſſe,ſit tam admirandum, nihilominùs non dicit Euãgeliſta,ecce Chriſtus deſcendit de monte ſuæ diuinitatis,& de altitudine cœli & venit in terram, curaturus leproſum,nec dicit, ecce tetigit manu ſuâ leproſum , ecce mundauit ipſum ſolo verbo,ſed dicit,*ecce leproſus veniẽs adorauit eum,dicens, Domine,ſi vis, potes me mundare*, cùm hoc non mirabilius imò nec mirabile videatur.Ad quam dubitationẽ,& difficultatem diluendam reſpondendum eſt, quòd licèt ſimpliciter & abſolutè multò maius ſit,Deum factum,& natum fuiſſe hominem , & à cœlo in terram veniſſe ad homines, quã Magos ad ipſum veniſſe ab vna legione in aliam ; & rurſus quòd licèt ſimpliciter etiam & abſolutè multò minus ſit, leproſum ad Deum veniſſe, & ſimpliciter ſanitatem ab eo poſtulaſſe quàm Deũ ipſum eundẽ manu tetigiſſe,& ſolo verbo ſtatim ſanaſſe,tamẽ quia ſuppoſitâ hominũ imperfectione & fragilitate, & ſuppoſitâ itẽ infinitâ Dei bonitate,pietate,& potentiâ,admirabilius eſt,homines ipſos ad Deum , quæſituros ab eo remedium, veniſſe, idemq; remedium ab eodẽ poſtulaſſe , quàm ipſummet Deum propter eoſdẽ homines,& propter eorũ ſalutem de cœlis deſcẽdiſſe,illóſque ſpiritualiter, & corporaliter per inMat.2.8.1 audita miracula ſanaſſe,reſpondendum eſt,in quã, ideò particulam,*Ecce*,in prædictis locis,non fuiſſe ab Euangeliſta appoſitam & coniunctam cum aliis, quæ ſimpliciter ſunt admirabiliora,ſed cum illis quæ ex ſuppoſitione talia dicũtur, ac propterea

reà neque hîc dictum eſſe, ecce deſcendit Ieſus de monte & tetigit leproſum, & ſolo verbo eum mũdauit, ſed de ictum eſſe, *ecce leproſus veniens adorauit eum, dicens Domine, ſi vis, potes me mundare,* nec illìc dictũ eſſe, ecce natus eſt Ieſus in Bethlehem in diebus Herodis regis, ſed dictum eſſe, *ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam,* &c. Cùm hæc multò minùs mirabilia quàm illa eſſe cognoſcantur. Vnde & nos cognoſcere & colligere poterimus quanta ſit noſtra miſeria, quanta imperfectio, & fragilitas, & impotentia, & quanta item ſit Dei bonitas, quanta pietas, potentia & miſericordia, vt nos ipſos deſpiciamus, & parui æſtimemus, Deum auté magni faciamus, & maximâ dilectione amemus, & ſummâ ſubiectione veneremur.

Leproſus veniens adorauit eum, dicens, &c.

HOmo iſte venit ad Chriſtum, quia lepra à Deo eidem immiſſa ipſum inuenit: morbi enim & cuiuſcunque laboris tribulatio & anguſtia homines, per peccatum perditos ſeu amiſſos inueniunt, quando eiſdem adeò ad hoc ipſum immittuntur, iuxta quod de ſe dicebat Dauid: *Tribulatio & anguſtia inuenerũt me,* quia ſcilicet, per peccatum perditus erat, & à tribulatione ipſi à Deo immiſsâ fuit inuentus. Accommodatè Deus ipſe rhinoceroti comparatur, dum dicitur: *Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis.* Et non minùs accommodatè confertur vnicorni à Pſalmiſta, his verbis: dilectus

Pſal. 118. 143.

Num. 24. 8.

quemadmodum filius Vnicornium, quia vnumquodque horum animalium habet ſuum aliàs contra venenum valdè ſalutiferum cornu infra oculos, & ſuper nares, ſeu, quod idem eſt, ita inter nares & oculos poſitum, vt bene videat ipſis oculis quid & quomodo, & vbi quodlibet animal percutiat, id quod non reperitur in tauris, qui præterquàm quòd cornua venenoſa ſuper oculos poſita habent, eoſdem oculos claudunt priuſquàm cornibus impetant, ac proinde quid, vbi, & quomodo percutiant minimè intuentur, quapropter mundo, dæmoni, & carni conferri poſſunt, ſi quidem à malitia quodammodò obcæcati, ſuis venenoſis tentationibus, dolis & fraudibus quaſi cornibus vnumquemque iuſtum impetunt & circundant. Quod in perſona iuſti videtur ſignificaſſe Dauid,

Pſ. 21. 13. dicens: *Circundederunt me vituli multi, & tauri pingues obſederunt me.* Ideò ergo, vt ad rem redeamus, DeusRhinoceroti & Vnicornũ comparatur & cõfertur, quia optimè videt cornu (hoc eſt, ſalutiferam tribulationem) quo hominem percutere decernit, & quia optimè cõſiderat quomodo, quẽ, & vbi ſit percuſſurus, cùm fidelis ſit, & non patiatur aliquem tentari vltra id quod poſſit, ſequitur quòd ſalutiferè ipſum hominem eàdem tribula-

Iob 5. 18. tione percutiat, iuxta illud: *Ipſe vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius ſanabunt*, quia nimirum ſicut cornu Vnicornis, ſeu Rhinocerotis ſalutiferũ eſt: ſic Dei percuſſio ſalutifera exiſtit. Quam-

Pſ. 9. 35. obrem eidem Deo dixit Dauid: *Vides quoniam tu laborem & dolorem conſideras, vt tradas eos in manus tuas,* quaſi dicat; Tu ſolus es qui vides & conſideras, quænam tribulatio hominibus

bus ad ſalutem ſit profutura,& cum qua tentatione ipſi facient prouentum, & quis dolor & anguſtia eoſdem in manus tuas reducet, & in viam veritatis reuocabit, & hanc eandem tribulationem, tentationem,dolorem, & anguſtiam ipſiſmet immittis. Tribulatio itaque illa,quæ à Deo prouenit, vtilis admodùm & ſalutifera eſt,de qua propterea dicit Paulus:*Tribulatio patientiam operatur,patientia autem probationem,probatio verò ſpem.* Id quod in hoc leproſo perſpicere, ſi aduertamus, facilè poſſumus:nam lepra illa,quam ipſi Deus immiſit, vt mediante ipſa eundem ad ſe adduceret, ſua acerbitate & labore in ipſomet extitit cauſa ſingularis patientiæ, in *cuius* quaſi igne probatus, opem concepit, cum qua ad Deum ipſum venit,ipſúmque adorauit dicens:*Domine, ſi vis, potes me mundare.* Et vice verſâ tribulatio, quæ à mundo,carne,vel dæmone,quaſi à tauris, homini prouenit,operatur impatientiam,& impatientia deſperationem, quâ ipſe homo à Deo omninò recedit.Quarũ quidem tribulationũ à tam diuerſis cauſis emanantium aliqualis inſinuatio fieri videtur à Hieremia,qui ſic ait: *ventus vrens in viis, quæ ſunt in deſerto via filia populi mei,non aduentilandum, & ad purgandum, ſpiritus plenus ex his veniet mihi:* quaſi dicatur populo Iſraëlitico, & ciuitati Hieruſalem, ſeu vnicuique animæ peccatrici,ſuperueniet in te ventus vrens, qui quaſi in deſerto, vbi non eſt humiditas, quæ reſiſtat, te ipſam vret, & te omninò ſterilem reddet, nec te admodum tritici purgabit, ſed penitùs diſſipabit, in me autem ſuperueniet ventus ſeu ſpiritus bonus, plenus & perfectus, qui me adiuuet, & purget.

Rom.5.3.

Hierem.4.

purget. Quemadmodum enim eſt aliquando talis ventus qui paleas & grana ſimul procul pellat & omninò diſſipet & deſtruat, & eſt alius etiam talis, qui paleas ſolùm lógè euellere faciat, grana autem veniilet & purget: ſic etiam eſt tribulationis ventus, qui omnia areſacit & comburit & immunda reddit (qualis eſt tribulatio à mundo & dæmone exorta) & eſt ventus ſeu ſpiritus tribulationis à Deo nempe prouenientis, qui vtiliſſimus eſt ad munditiam, & ad puritatem valdè conducit, & ad Deum vnumquenque trahit, de quo ait Dauid:
Pſal. 142. 10. *Spiritus tuus bonus deducit me in terram rectam*, & talis quidem fuit bonus ille lepræ ventus, qui hunc leproſum ad Deum, tanquàm ad tutiſſimum portum deduxit, quando ad Deum veniens, *eundem adorauit, & dixit: Domine*, &c.

Adorauit eum dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare.

Chryſ. ſup. Matthæu. Origenes. CHryſoſtomus dicit, non illum petebat quaſi artificem, ſed adorabat eum quaſi Deum, & hoc argumentum faciebat erga ipſum, vt ait Origines, Domine, per te omnia facta ſunt, tu ergo, ſi vis, potes me mundare, voluntas tua opus eſt, & opera voluntati obediunt. Et addit Chryſoſtomus, non dixit, ſi rogaueris Deum, neque ſi adoraueris, ſed, ſi volueris, potes me mun-
D. Thom. in catena. dare. D. Thomas, neque dixit, Domine munda, ſed ei totum concedit, & Dominum eum facit, & poteſtatem vniuerſorum ei attribuit, ex quibus rectè circa hæc verba animaduerſis, colligitur

colligitur perfecta admodùm in fide fuiſſe huius leproſi oratio, quippe qua omnes perfectæ orationis conditiones & partes complectitur, cùm in ea reſplendeat magna fides, & ſingularis orandi ratio, & nihil petat, ſed neceſſitatem oſtendat, & fidem pretendat: eſt enim humilis, & *oratio humiliantis ſe nubes penetrat*, vt dicitur à Salomone. *Eſt in fide nihil hæſitans*, ſicut dicitur, quia poſtulat credens ſe à Chriſto Domino poſſe adiuuari, & reiiciens propriam voluntatem, in voluntatem Dei, iuxta illud: *Fiat voluntas tua*. De quibus omnibus huius orationis conditionibus nonnulla ſigillatim, ſed breuiter, dicemus. *Eccleſi.35.21.* *Iacob 1.6.* *Matt.6.10.*

Oratio humiliantis ſe nubes penetrat, Eccleſiaſtici cap.31.citato, & donec propinquet, non conſolabitur & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat: eſt enim oratio, vt docet Anſelmus, aſcenſio mentis in Deum, id quod D. Dionyſius hac ſimilitudine declarat: *Quemadmodum*, inquit, *ſi de cœlo aurea catena penderet, & aliquis homo eiuſdem cupiditate incitatus, in eaſdem partes manus alternatim iniiceret, & illas ſurſum versùs alternatis apprehenderet manibus, putans ſe cœlum ipſum per ſuas partes, & res ad ſe attrahere, in idem cœlum potiùs deduceretur & attraheretur; ita ſimiliter ſæpiſſimè euenit, vt qui mediantibus orationibus, tanquàm manibus quibuſdam, aliquid ex cœlo, vel ex Deo ad ſe attrahere, & ab ipſo comparare nititur, potiùs ab ipſis, Deo nempe & gratiâ cœleſti attrahitur, & attractus poſſidetur.* Iuxta quod ſe res habuit erga leproſum, qui humiliter ſe ad Chriſti Domini pedes proiiciens, ab eo humili ſuâ oratione pro *Anſelm.* *Simile ex D. Dionyſio.*

ne pro

ne procurans corporeæ lepræ ſanitatem ab eodē, qui manu ſuâ,& ſuâ diuinâ gratiâ illum tetigit,& ad ſe attraxit ſanitatem, vtriuſque lepræ, corporis ſcilicet & animæ(qualis lepra eſt peccatum)conſequutus eſt, ac proinde, vltra id fortaſſe quod quærebat,quoad corpus & animam, ſimul ſanus euaſit. Ait enim Auguſtinus ſuper illud eiuſdem Ioannis,*Totum hominem ſanum fecit, quòd curatus eſt ille,vt ſanus eſſet in corpore, & credidit, vt ſanus eſſet in anima.* Id quod Diuus Thomas refert, vt oſtēdat,eos quos Chriſtus Dominus ſanauit quoad corpus & animas, ſimul ſanctas fuiſſe. Et hoc quidem in iſto leproſo facilè perſpici poteſt, ipſi ſiquidem corporeę lepræ ſanitatem quærenti,tantam fidem Dominus infudit, vt tantam gratiā dedit,vt ipſius omnipotentiam & æqualitatem cum Patre non obſcurè confeſſus fuerit, & breue quidem,ſed admodùm perfectam orationem fecerit. Vnde & nos perdiſcere poſſumus,quantùm etiam pro rebus temporalibus oporteat ad Deum nos orare,ſiquidem quando putamus nos ſolas eas ab ipſo ire conſequuturas,ſpirituales, quæ magis expediunt, ſimul ſæpenumerò comparamus cum eiſdem temporalibus.

Auguſtinus tract. 30. in Ioan. tom. 9. Thom. 3. par. q. 44. art. 3.

Oratio autem in fide nihil hæſitans debet eſſe, vt(ſicut ex Iacobo diximus) per eam vnuſquiſque quod ſibi magis expediat,à Deo adipiſcatur. Domine, ſi vis(inquiebat leproſus) *poteſt me mundare*,& non dixit,*ſi Patrem oraueris*,ſed,*ſi vis*, æqualem ſignificans eum habere cum Patre poteſtatē, vt Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius hoc loco obſeruauerunt,eximiam itaque fidem in hac oratione prætendit.

Chryſ. Homil. 26. Theophyl. & Euthymius in hunc locum.

vt

Hanc ſingularem perfectionem habere diuinum ſponſum, ſignificat ſponſa, quòd nimirum manus aureas habeat tornatiles, dum dicit: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Quo inſinuat eaſdem ſponſi manus præterquàm quòd ſint charitatiue(id quod innuitur per adiectiuum aureæ, aurum enim charitatem deſignat, iuxta illud Ioannis: *Suadeo tibi emere aurum ignitum vt locuples fias*) Et præterquàm quòd conſequenter ſint liberales(id quod etiam innuitur per verba, *plenæ hyacinthis*) eſſe ſimul inter ſe æquales, & valdè in potentia ſimiles: hoc enim illic ſignificat, *tornatiles.* Hanc eandem perfectionem ſignificat & confitetur eſſe in Chriſto Domino, anima huius leproſi ſponſa ipſius iamiam futura: nam duæ manus, quas Deus habet, voluntas nempe, & poteſtas, æquales exiſtunt: *omnia enim quæ voluit, fecit in cælo, & in terra,* vt de eo dicit Pſalmiſta, & quidquid vult, poteſt, id quod in hominibus, qualeſcunque illi ſint, minimè inuenitur: nam omnes ſecundùm vnam ſaltem manum claudicant, & deficiunt, ex illis enim quidam volunt, & quidam poſſunt, & vni atque idem non ſimul volunt, & poſſunt, qui enim pauperes exiſtunt, volunt eleemoſynas elargiri, ſed non poſſunt, diuites verò qui poſſunt, eaſdem dare minimè volunt. Et ſic de cæteris rebus, in quibus quidam volunt, & non poſſunt, quidam verò poſſunt, & nolunt. Deus verò totum hoc, poſſe ſcilicet & velle, ſolus habet, & ſi vult, poteſt, & ſi interdum homines à malis non liberat, nec eiſdem bona, quæ petunt, elargitur, illud non eſt, quia non poteſt, ſed quia non vult: aliquando enim tanquàm pater non vult, quod tanquàm

Cant.

Apoc. 3. 18.

Pſ. 134. 6.

quàm Deus poteſt. Ex quo quicunque in labore, anguſtia, & egeſtate conſtitutus ſolamen depromere poteſt, licèt ab his omnibus non eruatur, ad id enim vehementer poterit excitari exemplo trium puerorum, qui, vt refertur, in maxima anguſtia conſtituti dicebant regi Nabuchodonozori:
Dan. 3. 17. 18. *Ecce Deus noſter quem colimus poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare, quod ſi noluerit, notum ſit tibi, Rex, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti nõ adoramus*, quaſi diceret, quantumcunq; nos immanibus tormentis afficias, vt tuam ſtatuam adoremus, pro certo habeto, quod illam non adorabimus, quia firmiter credimus, Deum noſtrũ, quem veneramur & colimus, poſſe nos ab eiſdem tormentis eripere, quod ſi hoc facere noluerit, intelligemus, nolle vt Patrem miſericordiæ noſtrum,
Pſ. 61. 13. quod poteſt, vt Deus omnipotens, efficere. *Duo hæc audiui*, aiebat Dauid, *quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*, quæ quia æquales in ipſo exiſtunt, quanta vna ſit, per aliam declaratur: ait enim Eccleſia cum eo loquens, *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas, &c.* Vnde deſumi poteſt, miſericordiam, qua à voluntate diuina procedit, ſeu ipſam diuinam voluntatem, & potentiam etiam diuinam æquales exiſtere, ſicut in ſua oratione leproſus confitetur, dicens domine, ſi vis, potes me mundare.

Oratio denique reiiciens propriam voluntatẽ in voluntatem Dei quantumcunque breuis ſit, admodùm perfecta & efficax eſſe ſolet, vt quod poſtulat, aſſequatur. Quamobrem Chriſtus Dominus diſcipulis formulas orandi præſcribens & tradens

tradens, dixit; *Orantes autem nolite multùm loqui, ſicut ethnici faciunt, putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur, nolite ergo aſſimilari eis, ſcit enim Pater veſter quid opus ſit vobis.* Quod facientes duo illæ ſorores Lazari infirmi, nihil aliud ad ipſum Chriſtum Dominum ſcripſerunt quàm verba iſta: *Domine, ecce quem amas, infirmatur*, quâ breuiſſimâ oratione nihil à Deo poſtularunt, & ſolam ſuã neceſſitatem ſignificarunt, & totum ei conceſſerunt, & Dominum eum fecerunt, & poteſtatem vniuerſorum ei attribuerunt, ſicut ex Chryſoſtomo ſuprà retulimus. hoc ſimiliter faciebat Dauid, qui dixit: *Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio*, quod etiam cuicunque conſulebat dicens: *Reuela Domine viam tuam, & ipſe faciet.* Ad quem modũ ſe habuit ſanctus rex Ezechias, quando ſcribente ad ipſum & eidem horribiliter minitante impio rege Sennacherib, expandit epiſtolam coram Domino in cuius manibus totam ſuam ſpem collocabat, quaſi pronuncians coram ipſo miſeriam & neceſſitatem, in qua erat conſtitutus. Ex quibus colligere poſſumus perfectiſſimum orandi modũ in eo conſiſtere, quòd noſtram voluntatem in voluntatem diuinam reiiciamus, & tribulationem noſtram & neceſſitatẽ ante ipſum pronunciemus, non plus quàm ipſe voluerit ab eo poſtulantes, & dicentes, *fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra*, & cum Chriſto Domino orante ad Patrem (ſi aliquid determinatum & temporale petamus) *Veruntamen non mea, ſed tua fiat voluntas.* Quanquam enim qui verè Chriſtianus eſt, vt dicit Auguſtinus in homilia, non iſta temporalia petere debet, ſed

Ioan. 11. 3.

Pſ. 141. 3.

Pſal. 36. 5.

4. Reg. 19.

Matth. 6. 10.

Luc. 22. 42.

totum pondus orationis,& intentionis ſuæ ad expetendam æternam beatitudinem debet impendere,illud tamē ita debet intelligi,ac ſi dixerit, quòd temporalia ipſa licèt petantur, non minùs à Deo peti debent: ait enim D. Gregorius in Homilia quâdam,ecce alius in oratione petit vxorem,alius villam,alius veſtem, alius ſibi dari deprecatur alimentum:& quidem cùm hæc deſunt ab omnipotente ſunt petenda,neque ea petere eſt errare, ſed tamen non nimiùm petantur, interdum nanque conceduntur à Deo hominibus, quæ ab ipſis inſtanter petuntur, vt quæ eorundē peccata meruerunt exequantur,& ita concedit iratus quod negat miſericors. *Simile.* Efflagitat aliquis magna cum importunitate à vicino ſuo, vt ſibi accommodet equum, cui ille, qui eundem equum optimè ſcit eſſe indomitum & effrænatum, dicit, nequaquàm accomodabo tibi,ſi nanque ſuper ipſum aſcēderis, abſque dubio ab eo proſternêris, cui reſpondens ille nullo modo eſſe proſternendum,imò eſſe ſibi eidem firmiter adhærendum, & adhuc inſtantiùs equum ipſum poſtulans, tandem conſequitur, & in eum aſcendens ſtatim proſternitur,deiicitur,& pedibus ita conculcatur vt iamiam moriturus remaneat,iuxta quod quia bona temporalia, qualia ſunt dignitates,munera,principatus,diuitiæ,& honores,ſunt veluti equi effrænati,non debent minùs inſtanter à Deo efflagitari ne ſi concedantur, ſint ruinæ ſpiritualis occaſiones:qui nanq; hæc omnia maximè cum cautione non tractauerit, miſerabiliter abſque dubio concidet & prolabetur, imò etiam illa temporalia bona,quando à Deo ſummâ importunitate & nimiâ inſtantiâ petūtur,ea conſequen

ſequentes ſæpenumerò vehementer torquent, & maximis laboribus afficiunt. Maximo filiorum deſiderio flagrauerat ſancta Rebecca, eoſque à Deo inſtanter efflagitauerat, quando poſtquàm ſe concepiſſe ſenſit, tam grauata, & rixa duorum infantium quos in ventre gerebat in tanto periculo cõſtituta remanſit, vt, ſicut in Geneſi refertur, dixerit: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit cõcipere?* Gen. 25. 21. Quamobrem ſi temporalia poſtulemus, non illud nimiâ inſtãtiâ faciamus, ſed ſi Deo dicamus, Tranſeat à me tribulatio, infirmitas, inopia, vel mors, iſta ſimul dicat vnuſquiſque, Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat, vel abſolutè nihil à Deo petamus, ſed noſtram dumtaxat neceſſitatem ei proponamus, & vniuerſorum Dominum eum cõſtituamus dicentes ſicut hic leproſus, Domine, ſi vis, ab hac miſeria, neceſſitate, vel labore me eripere potes, fac igitur mecum miſericordiam propter nomen tuum.

Ex extendens Ieſus manum tetigit eum, dicens: Volo mundare, & confeſtim mundata eſt lepra illius. circa verba, *extendens Ieſus manum* (hoc eſt iniiciẽs manum Ieſus, antequàm ſcilicet leproſum pœniteret, quod ad ipſum venerit, adorauerit, & orauerit) & ea verba, *Volo, & mundare*, quod imperatiui, & non infinitiui modi eſſe, ex græcis authoribus planè conſtat, & tandẽ circa verba, *confeſtim mundata eſt lepra illius*, conſiderare oportet, tam miſericordem fuiſſe & eſſe Chriſtum Dominum, vt quos minùs diſpoſitos ad ſuam gratiam cognoſcebat, citiùs interdum apprehenderet & traheret ad ſe, quàm eos, quos multò conſtantiores & regni cœleſtis auidiores eſſe non ignorabat. Et item

ad paralyticum piſcinæ, qui à ſolo homine ſalutem
Ioan. 5. 7 videbatur operare, quando dicebat: *hominem non habeo*, venit ipſum ad ſalutem inuitans, & dicens ei, *Vis ſanus fieri?* huius verò leproſi, qui ad ipſum venit adorationem benigno fauore acceptauit, & orationem ſtatim exaudiuit, & lepram confeſtim
Matt. 15. curauit, mulieri verò illi Chananeæ, poſtquàm à ſuis finibus egreſſa ad Chriſtũ venit, multoties ad ipſum clamãti, nec reſpondit verbũ ipſe Chriſtus, imò eam canem appellabat interdũ, interdum verò aliis non minùs duris verbis eandem à ſe quodammodò reiicere videbatur. Quem ſe habendi modum, qui in Deo erga homines reperitur, ex-
Chry. hom. 27. ſuper Matth. plicat Chryſoſtomus dicens, quòd quemadmodũ bonus paſtor, quãtò agni & hœdi debiliores & infirmiores ſunt, licèt ſint minore æſtimatione digni, quàm pingues & ſani, tantò magis illos niuis, pruinæ & pluuiæ tempore, per ſaltus & montes in brachiis portat, cùm tamen pingues & ſanos pedibus ſuis conſiſtere patiatur, & coram ſe progredi compellat: ſic etiam Deus, qui eſt paſtor bonus & optimus, erga paralyticum in fide infirmiorem, & leproſum charitate minùs feruentem, & Chananeam fide & charitate magnâ & excelsâ eoſdẽ excellentẽ ſe habuit: nam expectauit vt ipſa Chananea ex finibus ſuis egrederetur, & vt ad ſe veniret, & magis ac magis clamaret, priuſquàm filię ſalutem conſequeretur, paralyticum verò quæſiuit, & ei ſanitatem obtulit quærens ab eodem, an ſanus fieri vellet. Leproſum denique ad ſe venientem & à ſe ipſo ſalutem ſuppliciter poſtulantem abſque vlla mora confeſtim mundauit, antequàm illa deuotionis & charitatis flammula, quam præ ſe ferebat,

ſe ferebat, fortaſſe extingueretur, Ad quem modū cum quàm plurimis alijs non multùm ad diuinam gratiam conſequendam diſpoſitis, ſe Deum geſſiſſe ſacræ literæ teſtantur: refert enim Lucas, quòd rogabat Ieſum quidam Phariſæus vt manducaret cum illo, & ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit, ſignificans, quòd nondum perfectè rogauerat & poſtulauerat, quando iam id ipſum reuerà conſequutus perfectè fuerat, & idem alibi, quòd cùm Publicanus quidam adhuc oraret, dicens, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, de eo dictum fuit, quòd deſcendit iuſtificatus. Itémque, quòd rediens filius prodigus in domum patris ſui, & dicens ei, *Pater, peccaui in cælum & corā te*, &c. ab eodem benignè acceptus audiuit ipſum ad ſeruos ſuos dixiſſe, *Citò proferte ſtolam primam & induite illum, & date annulum in manū eius, & calceamenta in pedes eius.* Dicit etiam Dauid, peccatoris non admodùm ad veniam peccatorum adipiſcendam diſpoſiti perſonam agens, *Dixi, confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Ex quibus omnibus ſacræ paginæ locis planè colligitur, adeò eſſe Deum in ſtudium noſtræ ſalutis procliuē, vt ſæpe eam imperfectè petentibus perfectè concedat, & in noſtram imperfectā ad gratiā diſpoſitionem interdum oculos conijciat, non vt reiiciat, ſed vt acceptet & adiuuet, ne imperfectior adhuc, ſi moram fecerit, redderetur. Quapropter accommodatè vnuſquiſque noſtrûm ipſi dicere poteſt cum Dauid: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, &c. non ſcilicet vt reiiceret, ſed vt perfectum redderet. Ad hoc igitur oſtendendū Chriſtus Dominus vbi primùm leproſus ad ipſum veniens

Cap. 7. 36.

Cap. 18. 13.

Cap. 15. 18.

Pſal. 31. 5.

Pſ. 138. 16.

adorauit,& in eum manum iniecit, cuius conta-ctu eundem adiuuit, vt deuotiùs ſanitatem peteret, quam petenti ipſi dixit, *Volo*, & immediatè imperans, adiecit, *mundare*, & confeſtim ſanatus eſt, & ipſius lepra omninò mundata remanſit. Ex quo denique magna cum ratione deducere poſſumus, quantùm oporteat nos gratiæ Dei non deeſſe, nec illam in vacuum recipere, ſed oblatâ noſtræ ſalutis ſpiritualis occaſione, ſumma cum diligẽtia vti, ſiquidem Deus ipſe quâcunque ex parte noſtra datâ ad noſtram ipſorum ſalutem occaſione tam ſine mora, & tam citò vtitur, nec illam ſine noſtro ſpirituali commodo differre, nec tranſire patitur: hoc enim facientes bona gratiæ abſque dubio in hac vita à Deo conſequemur, conſequuturi ab eodem in alia vita bona gloriæ, quam mihi, &c.

***

HOMI

HOMILIA IN ILLVM LOCVM MATT. 8. 23.

Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius, & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat, &c.

FILI, *accedens ad ſeruitutem Dei* (ait Eccleſiaſticus) *ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, & ſuſtine, inclina aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectus.* Cap. 2. 1. Quod accommodatè poteſt nunc dici ex parte Dei cuicunque præſentium auditorum, qui eo ipſo quòd ad audiendum verbum Dei hûc conueniunt, ad ſeruitutem eiuſdem Dei accedunt, & propterea debent animam ſuam ad tentationis procellam ſuſtinédam pręparare. Vbi primum enim cum Ieſu diſcipuli eius in nauiculam conſcenderunt, vt in illa eidem inſeruirent, ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Induſtriâ quidem dæmonis tentatoris à magno humanæ vanitatis vento variarum imaginationum, diuerſarum cogitationum, & inſanarum

cupiditatum fluctus excitabuntur in vnoquoque diuini verbi auditore, ſi non ſtet in iuſtitia & timore: ſed retrorſum conuertatur, ſique ad tentationis huius procellam ſuſtinendam animam non præparet, deprimendo vanas, varias, & diuerſas cordis cogitationes, & inclinando attentè aurem ad ſuſcipienda verba, quæ in præſenti ſermone ei proponentur. Cæterùm quomodo hoc poterit vnuſquiſque auditor efficere, niſi Deus, *qui ſtatuit procellam in auram*, vt ait Pſalmiſta, *& ſiluerunt fluctus eius*, hanc etiam ſpiritualem procellam, vt vanarum cogitationum fluctus ſileant, in auram & ſpiramen ſui diuini Spiritus non conuertat, elargiendo ei ſuam diuinam gratiam? Vt igitur illam eidem elargiatur, adhibeatur ab omnibus beatiſſimæ Virginis interceſſione mediante vſitatâ ſalutatione, *Aue Maria.*

Pſal. 106. 29.

Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.

SIcut Matthæus hoc loco refert, quòd vbi primùm Chriſtus nauiculam conſcendit, diſcipuli etiam ipſius ipſam ſtatim, & ſpontaneè conſcenderunt, refert quoque alibi, & Marcus etiam, quòd iidem diſcipuli aliâ die in nauiculam aſcenderunt ab eo coacti & compulſi, cùm ipſe in terra remaneret, circa quod notat Cornelius Ianſenius, illos ab amabili Domino inuitè diuelli potuiſſe, quòd cuperent illi ſemper adeſſe, ideoque remanente eo in terra, coactè in mare & nauiculam ingreſſos fuiſſe, aſcendente verò ipſo in illam libenter etiam & promptè conſcendiſſe. Non ſolùm

Cap. 14. Marc. 6.

Itaque

itaque illum, cùm viâ accliui aſcenderet in montem, & via decliui ab eo deſcenderet, & non ſolùm cùm in terra abſque vllo periculo conſiſteret, & iter faceret, ſequebantur, ſed cùm in mare vbi quando minus putatur, maiora pericula nauigantibus ſuperueniunt, eundem nõ coactè, ſed ſpontaneè ſecuti ſunt. Quapropter de illis & de ſeipſo dicebat Paulus: *Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Et alibi: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Christi? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Et paulò infrà: *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, nec Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, qua eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*, tanta cum difficultate ſeparabatur Chriſtus Dominus à diſcipulis quos vnicè diligebat, vt quamuis per paruam diſtantiam tempore Paſſionis in horto ab eiſdem ſeparatus fuerit, de eo dixerit Lucas: *Auulſus eſt quantum iactus lapidis ab eis*, imò & quando aſcendit in cælum de eodem dixerit Marcus: *Hæc poſtquàm locutus eſt, aſſumptus eſt in cælum.* Quæ loca planè oſtendunt, illum ſemoueri à diſcipulis, eſſe ab eiſdem diuelli, & illum aſcendiſſe in cælum, eſſe ipſum ad idem eleuatum, & aſſumptum eſſe, quaſi per ſe, præ ſuo amore hæc efficere non poſſet. Quamobrem, quia Iſraëliticus populus tam facili negotio à Deo ſeparabatur, vt de quocunque homine ipſius dixerit meritò Dauid: *Propter quid irritauit impius Deum?* maximo animi affectu con-

2. Cor. 5. 8.
Rom. 8. 34.
Verſic. 37.
Luc. 22. 41.
Marc. 16. 16.
Pſal. 9 34.

Hier. 2. 31. querebatur de ipſo per Hieremiam, dicens: *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli, aut terra ſerotina? quare ergo dicit populus meus, receſſimus, non veniemus vltra ad te?* nunquid ſeruiſſe mihi fuit deſertum arare, aut ſterilem agrum excauare, quod nihil prodeſt, niſi ad confringenda brachia abſque vtilitate? non profectò: quare ergo tam ſine cauſa à me receſſiſtis, & alacres eſtis, quod id feceritis vt non vltra ad me reuerſuri ſitis?

Quòd ſi homines debitâ charitate Deum diligerent, non tam facilè ab eo ſeiungerētur, ſed tam in proſperis quàm in aduerſis quibuſcunq; libenter eundem ſequerentur. Cùm Chriſtus diceret

Ioan 11. 7. 8. diſcipulis, *Eamus in Iudæam*, dixerunt ei illi, *Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc:* Et

Verſic. 16. paulò infrà: *Dixit Thomas ad condiſcipulos, eamus & nos, & moriamur cum illo.* Cæterùm tales non ſunt ij, qui non in aduerſis & periculoſis, ſed in proſperis duntaxat, & ſibi vtilibus Deum ſequun-

Eccl. 6. 10. tur, & quia *amicus ſecundùm tempus non permanebit in tempore tribulationis*, vt dicitur, ipsâ tribulatione ſuperueniente ſtatim recedunt, cuius exemplum extitit Petrus, qui quando Chriſtum in horto tam potentem vidit, vt vnico verbo, *Ego ſum*, miniſtros Iudæorum in terram proſterneret, ſicut

Ioan. 18. 10. refert Ioãnes, gladium eduxit, quo percuſſit Pontificis ſeruum, alios etiam, tanquàm magnanimus, & fortis, pro Chriſto percuſſurus, quando verò ipſum ab eiſdem miniſtris comprehenſum & ligatum vidit, ſtatim relicto eo cum cæteris fugit, nec eundem poſteà, niſi à longè, ſequebatur. Ad quem etiam modum, quando *Hebræi*, ſicut habe-

Cap. 15. 1. tur in Exodo, Aegyptios hoſtes ſibi infeſtiſſimos

ſub

ſub maris rubri aquis ſubmerſos viderunt, *Cantemus*,aiebant, *Domino? glorioſè enim magnificatus eſt*,cùm autem paucos poſt dies eis deeſſent alimenta, *Murmurauit* (habet ſacer textus eiuſdem Cap. 16. 2.
libri) *omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moyſen,& Aaron in ſolitudine.* Quæ quidem murmuratio fuit contra Dominum, cuius iuſſu ipſos de Aegypto eduxerant Erat itaque populus ille amicus Domini ſecundùm tempus, eumque in proſperitate laudibus, in aduerſitate verò murmurationibus proſequebatur. Sed quid mirum, quòd hoc in populo illo rebelli fuerit?ſiquidem ſanctus patriarcha Iacob ſe Deo voto aſtringens, dicebat, Gen. 28.
Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, 20.
per quam ego ambulo, & dederit mihi panem adveſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſq; fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, hoc eſt, illum tanquàm Deum meum ſequar. Vbi notandum eſt, non minimum eſſe,ſed maximum,quod promittebat & vouebat, ſiquidem maximum eſt in tali proſperitate, qualem poſtulabat, Dei non obliuiſci, ſed ipſum tanquàm Deum cognoſcere,colere,& venerari.Iuxta quod, vt ad rem redeamus, Dauid etiam dicebat cum Deo loquens: *Inclinaui cor meum ad faciendas* Pſal. 118.
iuſtificationes tuas propter retributionem. Ex quibus 112.
concluditur,verum eſſe id quod D.Auguſtinus di- Auguſtin.
cebat,nempè,*Vix quæritur Ieſus propter Ieſum*: ſeu, quod idem eſt, vix quæritur Deus propter ipſum, ſed quæritur vt plurimùm, quando quæritur propter bona, quæ ex eo ſperantur, & ad fugienda mala & pericula, quæ ſine eo ſuperuenire ſolent. Diſcipuli autem, quando aſcendente Ieſu in nauiculam,

uiculam,cum eo in illam ſimul aſcenderũt,ipſum ſequentes eximium dilectionis erga ipſummet ſpecimen præbuerunt: ſiquidem, qui cum illo in terra ambulabant, & iter viâ accliui & decliui faciebant, cum illo etiam libenter ingreſſi ſunt in mare,vbi pericula non deſunt, & ſæpiſſimè nauigantibus ſuperueniunt, ſicut tunc temporis experientia illud comprobauit.

Ecce motus magnus factus eſt.

QVàm bene dicit Eccleſiaſticus(id quod ſuprà retulimus)nempè, *Fili,accedens ad ſeruitutem Dei,ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuã ad tentationem*: ſiquidem vbi primùm diſcipuli cum Chriſto,vt ipſi inſeruirent, ipſumque comitarentur, in nauiculam conſcenderunt, ſtatim *motus magnus factus eſt in mari*, vbi alia tranſlatio habet,*ventus magnus factus eſt in mari*.Nam reuerà ita ſæpiſſimè contingit, quòd nimirum eum qui Deum bonis operibus imitatur, & ſequitur, ventus vanæ gloriæ inſequitur. Quamobrem eidem dicit Eccleſiaſticus,*ſta in iuſtitia & timore*,&Diuus

1.Cor. 10. 12. Paulus:*Si quis exiſtimat ſe ſtare,videat ne cadat*, hoc eſt,timeat, & attendat ne ex alto ſtatu, in quem

Simile. per bona opera aſcendit, corruat. Sicut enim qui ædificat,quantò altius ædificium conſurgit, tantò attentiùs in eo conſiſtere debet, tum quia altitudo ad ruinam prouocat, tum etiam quia ex eadem altitudine ruina ipſa periculoſior & pernicioſior exiſtit:ita etiam, qui per bona opera magis ad Deum accedit,ac proinde eiſdem bonis operibus altiùs

altiùs eleuatur, attentiùs & cautiùs ſe habere debet, ne in ſuperbiam concidat, & meritorum ſuorum iacturam faciat. Et rurſus, ſicut vas quantò pretioſiori vnguento, vel liquore plenum eſt, tantò maiori cum cautione, & attẽtione portandum eſt ne effundatur, & diſſipetur: ita ſimiliter, quantò mediantibus bonorum operum meritis maiori gratiâ quis abundat, tantò vigilantiùs ſe debet gerere, ne illam amittat. Quando Angelus Deiparæ Virgini dixit, *Aue gratiâ plena, Dominus tecum*, ſignificans ipſam eſſe veluti vas gratiæ liquore plenum, & ſimul inſinuans, ſiquidem Altiſſimus erat cum illa, eandem eſſe in altiſſimo dignitatis loco collocatam, dicitur ibidem, *quæ cùm audiſſet, turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, quaſi dicatur, quòd quia ex plenitudine illâ gratiæ, & ex dignitate illâ exiſtendi cum Deo poterat accipi occaſio aliqua euaneſcendi, illis auditis turbata eſt, & trepidauit, attentâ mente conſiderans, quæ, qualis, & à quo illa ſalutatio eſſet, cui trepidationi, & timori occurrit Angelus, dicens: *Ne timeas Maria, &c.* quę dixerim, vt id quod propoſui, intelligatur, nimirum, quòd vbi quis ad Deũ accedit, magno vanitatis & inanis gloriæ vento concuti ſtatim ſolet. *Simile.* *Luc.1.28.* *Verſic.29.* *Verſic.30.*

Cæterùm, vt licèt tali vanitatis vento concutiatur homo, non tamen corruat, neque bonorum operum meritum amittat, debet conſiderare, quòd ſine Deo nihil potuit facere, & quòd omnia opera noſtra (ſi de bonis loquamur) operatus eſt in nobis Dominus, cõſideret item, quantumcunque bonus ſit, quantus peccator, & qualis eſſet, ſi Deus non eſſet. Paulus enim ſpiritu ſancto plenus & gratiâ

gratiâ confirmatus non reſpiciebat, quòd per gratiam erat, ſed quòd per peccatum fuerat, & futurus ſemper foret, ſi Deus ſuâ gratiâ eum non reuocaſſet, quando dicebat: *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*: in quibus verbis non dixit, quorum primus, ſeu, quod idem eſt, maximus ego fui, ſed quorum primus ego ſum, reputans ſe id, quod reuerà eſſet, ſi Deus non fuiſſet. *Quidam dum boni aliquid faciunt* (inquit Gregorius) *iniquitatum ſuarum protinus obliuiſcuntur, atque eos iam ſanctos æſtimant, quo peccatorum ſuorum memoriam declinant*. Quorum vnicuique videtur dixiſſe Seneca, *Etiam obliuiſci quis ſis, interdum expedit*; vt nimirum ad præteritam vitam reſpiciens ſemper pudefias, & præſentem conſiderans, non tumefias. Nec certè ſe quis talem iudicare debet, qualem ſe deprehenderit nouâ aliquâ ſuperueniente occaſione gratiæ, vel auxilij diuini, quo ſe munitum experitur, vel eleuatum intelligit, quia fluuiorum magnitudo non æſtimari ſolet ex aqua quę nouâ aliquâ & inuſitata alluuione mundat, quoniam illa accidentaria, rara, & nunquam perpetua eſt. Quòd ſi his conſiderationibus non obſtantibus, vanæ cogitationes, à quibus defendere ſe homo aliquando non poteſt, in eiuſdem mentem non ceſſant adhuc ſubintrare, illud ſaltem procurare debet, ne ſcilicet eiuſdem nunquam aures præbeat; imò illas ſtatim à ſe reiiciat & repellet. Sicut enim cum quis cum alio loqui vult, vt ille quod ipſe cupit, ſciat, dat eidem locum, vt loquatur; ſed vbi primùm dicere incipit quod ſibi non conuenit, loquelam interrumpit ſtatim, dicens; Sufficit, tace, tolle hæc, ne de ea ampliùs loquaris:

1. Timo. 1. 15.

Greg. 22. Moral. cap. 6.

Seneca in prouerb.

Simile.

Simile.

quaris: ita etiã vanę cogitationes vnicuique adhuc obrepſerint, nõ eas admittat, nec eiſdem aures accõmodet, ſed dicat, Non cõuenit mihi, quod intenditis, abite, abite, procul à me, q̃ ſi quid boni facio, non ego, ſed Deus illius pręcipuus author exiſtit.

Quæ omnia, ſi quicumque ad Deum accedens cõſiderauerit, ſtabit quidem in iuſtitia, & timore, & non corruet, ſicut hîc corruerunt diſcipuli, qui hac fortaſſe conſideratione carentes, parũ abfuit, quin circa fidem naufragauerint, vt autem cognoſcerent, quàm infirmi in ea eſſent, & quàm imperfectè Deum ſequerentur, ille *qui educit ventos de theſauris ſuis, & conturbat profundum maris*, vt ait Pſalmiſta, mediantibus illis motum tam magnum fecit in mari, vt eoſdẽ diſcipulos probaret, & eiſdem oſtenderet, quàm infirmi in fide exiſterent. Ad quem etiam modum tentauit Hebræos, quando Moyſi præcepit, vt virgã ſcilicem percuteret, & ex illa aquam educeret, ſicut per Dauid ſignificauit dicens, *Probaui te apud aquam cõtradictionis.* Quia namque Hebræi ipſi Deum tanta totque mirabilia, tum in Ægypto, tum etiam in exitu de ipſa feciſſe oculis ipſis perſpexerant, & ſe proptereà in fide ſtabiles, & firmos arbitrabantur, vt ſuã in ea infirmitatem, & imperfectionem cognoſcerent, atque ideò humiles euaderent, eoſdem aquæ defectu tentauit, tentatique ipſam fidei infirmitatem & imperfectionem, de diuina potentia diffidentes, manifeſtarunt & oſtenderunt, iuxta quod ait Iacobus, cum vnoquoque homine loquens, tentat vos Deus vt palàm faciat, an timeatis Deum an non, & cùm hoc faciat, verè ſimul dicit ibidẽ: *Nemo cùm tentatur dicat quòd à Deo tentatur, Deus* enim

Pſ. 134. 7.
Exod. 17. 6.
Pſal 80. 8.
Iacob. 1.

enim intentator malorum eſt. nam Deus non tentat ad malum, vt hominem deſtruat & euertat, ſicut facit dæmon, ſed tentat vt probet, ad ipſius tentantis bonum. Quapropter ei dicebat Dauid: *Proba me Domine, & tenta me: fidelis Deus* (aiebat Paulus) *qui nō patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*, quaſi diceret, Habet ſe Deus erga eum quem tentat, ſicut ſe habet amicus fidelis erga aliū ſibi amicum: non enim tali tentatione eum tentat, qualem ipſe ſuſtinere, ſi velit, non poſſit, ſed tali, vt ex ea hoc ſibi cōmodum poſſit depromere, nempe vt ſi tentationem ipſam ſuperet, probatus remaneat, quod in magnam ipſius gloriam cedit. *Omnes patres noſtri*, habetur ſacra Scriptura, *probati ſunt, & fideles in tentatione inuenti*. Sicut tentauit Deus Abraham, & fidelis inuentus eſt, Quando in ſpe contra ſpem credidit. Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus, habetur etiam *Sap. 3. & Tobiæ 12.* neceſſe fuit, vt tentatio probaret te, & D. Petrus: *modicum nunc ſi contriſtari oportet in variis tentationibus, vt probatio fidei veſtræ multò pretioſior auro ſit, quod per ignem probatur*. Quæ ſacræ ſcripturæ loca oſtendunt, ideò Deum ſanctos & electos quamplurimos tentaſſe, vt eorundem virtutes, & præſertim fides, igne tribulationis probata remaneret, ac proinde pluris ab omnibus æſtimaretur. Eſt enim *argentum igne examinatum, & probatum terræ, purgatum ſeptuplum*, vt dicitur, Maiori æſtimatione dignum. Quamobrem de fide humana dicebat etiam profanus quidam Poëta:

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tem, ore ſic duro eſt inſpicienda fides.

[Margin notes: Pſa. 25. 2. — 1 Corinth. 10. 13. — Iudic. 8. — Gen. 22. — 1. Pet. 1. 6. 7. — Pſ. 11. 7. — Ouid. lib. 1 Triſt. u.]

Si

Si verò qui tentatur à Deo, hoc eſt, à tentatione per ipſum ordinatâ, per propriam culpam in tentatione, quam reuerà ſuperare poſſet, deficiat, & ſuam fragilitatem, miſeriam, & inconſtantiam oſtendat, illud etiam occaſionaliter in bonum ipſius poſteà cedit, propter humilitatem, cautionem, & ſui ipſius cognitionem, quæ poſtquàm à peccato diuinâ gratiâ reuocatus exiuit, expulſâ omni vanâ præſumptione in eodem reſultarunt & remanſerunt, in quo ſenſu videtur dixiſſe Dauid: *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Et rurſus ibidem: *Priuſquàm humiliarer, ego deliqui*, quaſi diceret, ſi ego humiliatus priùs fuiſſem, tantum ac tale delictum, poſteà non committerem. In ſacra pagina enarratur, quòd cùm vrbs Bethleem à Philyſthæis obſidione teneretur, & Dauid ſiti exæſtuaret, quia tempus æſtiuum erat, & diceret, *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethleem iuxta portam*, exuperunt tres viri fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam ex ea, & attulerunt eam ad ipſum Dauid, quam tamen ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino. Quem locum enarrans Ioannes Chryſoſtomus, dicit, quòd *ita fecit Dauid, conferens hoc aquæ deſiderium & appetitum, cum eo quem adulterandi cum Berſabe aliquando habuit, & ex quo tot ac tanta mala poſteà ſubſecuta ſunt.* *Ex hoc*, ait Doctor ſanctus, *coſcetur quantum emolumenti iuſti ex ruinis eliciunt, quippe qui priùs illicito aſſentiens appetitui corruit, alienamq́ concupiuit ac vſurpauit vxorē, nunc tam expertus, ac præuigilarius euadit, vt licito ſitis appetitui nolit aſſentiri.* Quapropter ipſe Dauid dicebat: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum*

Pſ. 118. 71. Verſic. 67.

2. Reg. 23.

Chryſoſtomus homil. 2. ad Epiſt. ad Rom.

Pſ. 29. 7.

Domine, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus, ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. In quibus verbis cernitur, quòd priuſquàm Dauid peccaret, quando nempe tantâ proſperitate fruebatur, tantùm de ſe confidebat, vt ſe nunquàm ab ea mouendum eſſe promitteret. Cæterùm poſtquàm in peccatum ſuum incidit, ſuam miſeriam & inconſtantiam cognouit, ſibíque deinceps perſuaſum habuit in ſolo Deo eſſe ſibi fidendum, ad ipſúmque duntaxat, tam in proſperis, quàm inaduerſis, eſſe confugiendum, quamobrem

Pſal. 118. 71. bene dixit, *Bonum mihi, quia humiliaſti me*, quia nimirum bene ei poſteà ex ea humiliatione ſuc-

Rom. 8. 27 ceſſit. *Diligentibus Deum* (dicebat Paulus) *omnia*

Auguſtin. *cooperantur in bonum*, quæ verba explicans Auguſtinus, ſi fas eſt dicere, ait etiam & ipſa peccata, quia ex illis peccatores, humilitatem, vigilantiam, & cautionem deducunt, ne deinceps prolabantur. Ad quem ſimiliter modum explicari poſſunt illa Pſalmi primi verba quæ de iuſto dicuntur, nem-

Verſic. 4. pe, *Omnia quæcunque faciet proſperabuntur*, & non aliter quidem Deus eam procellam ad probationem diſcipulorum excitauit, quàm vt ſi ipſi in ea tentatione deficerêtur, modicam fidem, fiduciam paruam, & magnam timiditatem oſtendentes, & auertente ipſo faciem ſuam ab eis, facti eſſent conturbati, diuinam potentiam, & ſuam fragilitatem cognoſcerent, & ſibi deinceps minimè fiderent, & in ſolo Deo duntaxat poſteà ſperarent, ſicut reuerà fecerunt dicentes, *Domine, ſalua nos, perimus*, Quapropter ea procellæ tentatio fuit in bonum,

ac

ac proinde ab eo potuit procedere, qui eſt intentator malorum; & ad bonum ſolet tentare: qui enim quondam ſic ſe habuit, quod habetur in Deuteronomio; *vt ſugeret mel de petra, oleumq́; de ſaxo duriſſimo*, non ſolùm ex malis pœnæ, quales ſunt labores & tribulationes, ſed etiam ex malis culpæ, quales ſunt noſtri defectus, ſolet bonum facere, & in noſtrum commodum vtilitatémque conuertere & permutare. *Cap.32.13.*

Et magnâ certè conſideratione dignum eſt, quòd Chriſtus non imperauerit ventis vt ceſſarent, quouſque ita iactaretur nauicula, vt operiretur fluctibus, & diſcipuli, qui in nauigatione erant maximè verſati, de ſua ſalute penè deſperantes, dicerent *Domine, ſalua nos, perimus.* Sed cauſa huius eſt, quia in more poſitum eſt, apud Deum tali neceſſitatis extremæ tempore hominibus ſæpe ſubuenire, vt tantummodò in ipſo eorum auxilium conſiſtere, & ab eodem duntaxat pendere, intelligant. Non ſuccurrit Deus Danieli quando quærebatur vt apprehenderetur, quo tempore multis modis poſſet eminens ſibi periculum euadere, ſed quando in lacum Leonum intromiſſus, eorundem fuit expoſitus feritati, vt refertur in eius libro, quam ipſi leones ſimul cum ferocitate, pergrande miraculum, depoſuerunt. Nec ſuccurrit tribus illis ſanctis pueris antequàm in fornacem immitterentur, niſi quando in ipſum immiſſi, clauſo eiuſdem aditu, erant circundati horribilibus flammis, à quarum ardore, qui mirabiliter mitigatus eſt, ſalui & incolumes liberati ſunt. Nec ſuccurrit Iſmaëli, quando eius pater *Dan. 6.* *Dan. 3.* *Geneſ 21.*

Abraham ipſum ex domo ſua eiecit, ſed quando etiam Agar ipſiuſmet mater propter ardentiſſimam ſitim eundem ita dereliquit, vt poſſet ipſe

Pſal. 26. meritò de ſe dicere illud Pſalmiſtæ: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* Ad quod etiam facit id quod optimè ad-

Auguſt. uertit D. Auguſtinus, Deum nempe non eduxiſſe Ioſeph ex carcere, quouſque de ſuo amico, qui ex illo priùs fuerat eductus & liberatus, omninò diffidit & deſperauit. Hoc igitur modo quando diſcipuli nauiculam fluctibus penè opertam viderunt, & ſe iamiam perituros eſſe exiſtimarunt, de omni humano remedio deſperantes, & in ſolo diuino auxilio confidentes, ipſum implorauerunt, & ceſſante ad Dei imperium tempeſtate, tranquillitate maximâ potiti ſunt.

Ex quibus nos colligere meritò poſſumus, quòd licet Deus tardare videatur, quando eius auxilio in noſtris tribulationibus, & neceſſitatibus indigemus, illo tamen nobis in ipſis, qualeſcunque illæ ſint, non deerit, ſi in ſolo eo totam noſtram ſpem poſitam habuerimus. Id quod ſigni-

Pſ. 145. 5. ficat Dauid dicens: *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt,* quaſi dicat, qui ſicut Iacob in Deo ſuam ſpem firmiter collocauerit, ſicut Iacob etiam omnium malorum & neceſſitatum ſuarum remedium ab eo conſequetur. Si à patria exulet, peregrinus fuerit, & conſolatione in terra caruerit, cœleſtis conſolatio ipſi non deerit, ab eo qui cùm Iacob. à ſua patria peregrinaretur, & non haberet, vbi reclinaret

naret caput, niſi ſuper lapidem in eamque, eundem conſolatus eſt, conſolationibus maximis ipſi per Angelos per ſcalam, è cœlo deſcendentes in terram, immiſſis. Qui pauper fuerit, & diuitias deſideraueri, & quæſiuerit, ſperet in ſolo Deo Iacob ſe eas in magna copia fore etiam in hoc mundo conſecuturum: ſiquidem ipſe Iacob ſperans in eo, copioſam earundem diuitiarum affluentiam in domo Laban, per quem mundus ſignificatur, ſibi comparauit. Qui vxorem non habuerit, & eam concupierit, in Deo Iacob duntaxat ſpem collocet, qui pulcherrimam Rachelem ipſi in matrimonium dedit, & vxorem etiam ab eodem adipiſcetur: qui vxorem habens filios non habuerit, qui ei poſſint in ſuis rebus ſuccedere, & eius denique perſonam repræſentare, in Deo Iacob tantùm fiduciam habeat, ipſe ſiquidem duodecim illi filios dedit, à quibus duodecim etiam tribus Iſraël originem duxerunt; & filios ſimiliter habebit, ſicut vitis abundans in lateribus domus ſuæ. Qui filios habens aliquem ſaltem eorum voluerit videre ad magnum dignitatis gradum eue&tum, & in ſummo honoris faſtigio collocatum, confidat tantummodò in Deo Iacob, qui ſuum dilectiſſimum filium Ioſeph vidit totius Aegypti clauum tenentem, & eius habenas moderantem, & maximâ diuitiarum copiâ affluenter abundantem. Qui denique prætenderit à manibus & inſidiis inimicorum ſuorum, ſaluus, incolumis, & liber euadere, adhærere procuret ſoli Deo Iacob, qui eum de poteſtate ſoceri ſui Laban, de manibus fratris ſui Eſau, & de

impetu, incurſu, & ira incolarum Sichem ſaluum & incolumem eripuit. Beatus igitur erit ille cuius Deus Iacob adiutor extiterit, quia ſpes eiuſdem in ſolo eo collocata fuit. Quia verò diſcipulorum ſpes euadendi ex periculis procelloſi maris fortaſſe poſita erat, in nauigandi peritia, exercitatione, & experientia, quam ipſi habebant, ideò ad tantum naufragij diſcrimen peruenerunt, vt nauiculâ penè ſub vndis ſubmersâ dicerent, *Domine, ſalua nos, perimus.* Quod quidem non eſſet, ſi in ſolo Deo confiderent & firmiter ſperarent.

Ita vt nauicula operiretur fluctibus.

QVàmplurimi authores aſſerunt per hanc nauiculam Eccleſiam catholicam deſignari, propter ſimilitudinem, quæ inter vtràmque reperitur: ait enim Clemens, *Similis eſt ſtatus Eccleſiæ magnæ naui, quæ ex diuerſis regionibus viros portat per vndoſum pelagus ad ſecurum portum, & ciuitatẽ magnam, quò omnes ire contendunt, ſicut enim nauis perampla eſt, ac patens in ſuperiori parte, quæ cœlum reſpicit, quâ verò parte, aquas tangit, anguſta, clauſa, beneq́; bitumine linita, ne aqua ſubintrare poſſint, eámque demergant: huiuſmodi Eccleſia eſt. quâ námque parte cœlum reſpicit, aperta eſt, ampla eſt, vt inde recipiat omne bonum quod deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Et ideò ſecundùm hanc conſideratio

Clemẽs Papa in ep. 1. ad Iacob.

rationem nauis magna meritò dici poteſt, ſecundùm quam etiam omnibus in ea nauigantibus dicit Paulus, *vt quæ ſurſum ſunt, quærant, & quæ ſurſum ſunt, ſapiant, nõ quæ ſuper terram, verſus quam,* quia anguſta eſt, bituminéque linita, ne aquæ in eam ingrediantur, nauicula accommodatè dicitur: nam versùs mundum, quâ parte illum tangit Eccleſia, inſtar nauiculæ, aquâ indiget, vt nauigare poſſit ſine eo, quod pereat, & deſtruatur, hoc eſt, neceſſaria ſunt illi ſubſidia temporalia, quæ tamen non debent eſſe ampla, ſed anguſta: de ſe enim, & de aliis in ea nauigantibus dicit Paulus: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.* De quibus etiã D. Damaſcenus dicit, quòd ſunt gens, quæ omnia deſpicit terrena, expectans cœleſtia, quia enim eius conuerſatio in cœlis eſt, omnia terrena arbitratur ſtercora, & quaſi bitumine linita intra ſe ingredi, & àd cor ſuum penetrare non permittit, iuxta illud: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Ex quibus conſtat Eccleſiam quâ parte terram, & mundum reſpicit, quia anguſta eſt, nauiculam dici, quâ verò parte ad cœlũ ſpectat, quia ampla eſt, nauem poſſe appellari, conſtátq; ſimul, quales debeant eſſe illi qui in ea in terram deſiderabilem & portum voluptatis æternæ nauigant: debent enim eſſe, paucis & modicis terrenis contenti, ſuperfluáque & ampla (niſi fuerint cœleſtia) omninò reſpuentes. Hanc igitur Eccleſiæ nauiculam, in qua reuera Chriſtus Dominus ſemper eſt, iuxta illud: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſeculi,* vult ipſe vt fluctuoſis laborum, & tribulationum procellis ſæpe iacte-

Coloſ. 3. 1. 2.

1. Tim. 6.

D. Dama. in hiſt. Ioſaphat.

Pſ. 61. 11.

Matth. 28. 20.

tur,ad magnum ipſius commodum, amplificationem,& augmentum,id quod perſpicuè viſum eſt, non ſolùm Neronis, Domitiani, Diocletiani, Iuliani , & cæterorum Imperatorum ipſius Eccleſiæ perſecutorum temporibus , quando multitudo credentium indies magis ac magis mirum in modum creſcebat & propagabatur , ſed viſum ſimiliter eſt ab illis ipſis temporibus vſque ad noſtram tempeſtatem, quando etiam ex turbulento hæreſum in curſu Sanctorum conſtantia eminet , virtus fulget,magnanimitas magis radicatur,inuictâ ſumma , ac incomprehenſibilis Dei benignitas ita emicat,vt inde immenſa eiuſdem miſericordia maximè reſplendeat , dum afflictis ſubuenit, proſtratos ſubleuat , humano præſidio deſtitutos adiuuat,eliſos erigit,Dei opem implorantes exaudit, & aduerſariorum intentata mala in lucrum pietatis commutat. Quapropter ſicut diluuij tempore , quò magis ipſum creſcebat , & aquæ multiplicabantur , eò magis arca ſancti Noe, & qui in ea continebantur, cælo appropinquabant: ſic etiam nauicula Eccleſiæ diuini Noe IeſuChriſti , quantò magis diluuium , & procella laborum eius augmentatur, & deſæuit,tantò magis ſurſum erigitur & eleuatur, & nomen regni cœlorum in terris ipſis promeretur. Et rurſus. Quemadmodum Ionas in aquis maris ſubmerſus, & in ventre ceti deglutitus omninò periiſſe viſus fuit, cùm tamen eâ viâ & modo fuerit non ſolùm à periculis maris,ſed à dæmonis faucibus, ſeu , quod idem eſt , à peccato ereptus & reuocatus : ſic etiam quando Eccleſiæ nauicula videtur fluctibus laborum omninò

Simile. *Simile.*

ninò operiri, & ab aquis tribulationum penitùs abſorberi, tunc ab omni malo ſalua & incolumis euadit, imò moleſtiorem, & periculoſiorem tempeſtatem experitur, quando ceſſante omni aduerſitatis procellâ, nullo omninò ventorum flatu aliquâ ex parte concutitur. Tradunt veteres rerum geſtarũ ſcriptores, ex eo Romanæ reipublicæ ruinam prouenisse, quia ſcilicet deuictâ Carthagine, quæ eidem acerrima æmula fuit, non extitit alia reſpublica, quæ ipſi ſimiliter æmularetur, támque acre & durum bellum inferret: cùm enim poſt illius profligationem in pace remaneret, inde bella ciuilia Romani populi emanarunt. (quem potentem *in ſua victrici conuerſum viſcera dextrâ* canit Lucanus quémq; nos affirmare poſſumus ideò totius orbis imperiũ amiſiſſe, quia potentiam, quam ad debellandas reliquas mundi nationes adhibuerat, ad ſui ipſius perniciem, per bella ciuilia poſteà adhibuit, quod eidem ex pace, quâ patiebatur, promanauit. Ad quem modum de Eccleſia Catholica ratiocinari poſſumus: nam durius & periculoſius ipſius bellum eſt, nullum omninò bellum ſuſtinere, & pace ita frui, vt nullo labore concutiatur. Quamobrem ſanctus rex Ezechias, qui de diebus vitæ ſuæ dixerat Deo, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meę*, dixit ibidem paulò pòſt, *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*, inſinuans, quòd licèt quodcunque tempus vitæ, quæ *militia eſt ſuper terram*, vt ait Iob in amaritudine animæ recogitandum ſit, illud tamen quod in pace tranſigitur in amaritudine, recogitandum eſt, quia in eodem inueniuntur plures peccandi

Iſa. 38.15.
Verſic. 17.
Cap. 7. 1.

occaſiones, ac proinde plura & maiora peccata committuntur, pluráque & maiora Spiritus bona amittuntur. Vnde Cyprianus ait, *Traditam nobis diuinitùs diſciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem & penè dixerim dormientem cenſura cœleſtis erexit*, vbi per cœleſtem cenſuram intelligit labores, quos è cælo Dominus Eccleſiæ ſuæ immittit. Quapropter Auguſtinus de vera religione ca. 6. inquit: *Eccleſia Catholica per totum orbem validè lateq́; diffuſa, omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos, ſi euigilare voluerint. vtitur gentibus ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, iudæis, ad comparationē pulchritudinis ſuæ.* Atque ideò permittit ipſe Deus hos omnes in mundo, qui licèt Eccleſiam ſuam quâdam ex parte affligant, aliâ ex parte eidem prædicto modo inſeruiant. *Ne magnitudo reuelationum extollat me*, inquiebat Paulus, *datus eſt mihi ſtimulus carnis meę, angelus ſatanæ, qui me colaphizet.* Et quia, quemadmodum nauis etiam proſperitate ventorum, ſeu, quod idem eſt, proſperis ventis ſub aquis maris mergeretur, & periret niſi intra ſe grauia pondera in inferiore ipſius parte differret, quorum ponderum grauitate contemperata nauigaret, ſic etiam ipſe Diuus Paulus, vt eâ reuelationum proſperitate ad maiorem in peccato ſubmerſionem per ſuperbiam non extolleretur, data fuit illi eâ moleſtiſſima & grauiſſima carnis tentatio, quæ ipſum mirum in modum affligebat, & cruciabat: quo ſimiliter modo, ne Eccleſiæ nauicula, proſperitate etiam ſpirituali vtens, in ſuperbiam & vanitatis

Cyprian. Serm. 5. de lapſis.

Auguſt. de vera relig. cap. 6.

2. Cor. 12. 7.

Simile.

nitatis abyſſum deueniat, pondere & grauitate laborum & tribulationum affligitur, & ab eodem contemperatur. In huius igitur ſignificationem Deus, *qui educit ventos de theſauris ſuis, & conturbat profundum maris*, quando illud expedire intelligit, mediantibus ipſis ventis ita mare commouit, vt nauicula, in quibus diſcipuli vehebantur, operiretur fluctibus, cùm ipſe interim dormiret. Pſ. 134.7.

Ipſe verò dormiebat.

MAximâ conſideratione digna eſt ſecuritas, & quies, quâ Chriſtus Dominus in nauicula in mari tantâ procellâ commotâ, tot circundatus periculis dormiebat, & non minori conſideratione digna eſt ea quies & ſecuritas, quâ acerrimè affligente & perſequente Herode Eccleſiam D. Petrus habebat, cùm in carcere tenebatur, vt populo Iudæorum interficiendus paulò pòſt produceretur. Dicitur enim de eo: *Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem, & ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri, excitauit eum, dicens, ſurge velociter*, &c. vbi manifeſtè oſtenditur, quàm quieto & profundo ſomno conſopitus Petrus, tot ac tantis periculis circundatus, dormierit. Siquidem ad hoc, vt à ſomno excitaretur, non fuit ſufficiens lux magna, ſed neceſſaria etiam fuit vox, & percuſſio non parua, nec mirum illud fuit, quo- Act. 12. 6. 7.

n am

Sap. 3. 9. niam (vt habetur in ſacris literis) *Bonum & pax eſt electis Dei*. Quam quidem pacé, ſecuritatem, & quietem videtur promiſiſſe Deus vnicuique iuſto, Iſa. 33. 15. 16. per Iſaiam dicens: *Qui ambulat in iuſtitiis & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas*, &c. *Hic in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis datus eſt ei, & aqua eius fideles.* Hoc eſt, qui iuſtus eſt, tam quietus & ſecurus erit, ac ſi habitet in arce, in viuis lapidibus, & in excelſo & ſublimi loco fundata, vbi panis in magna copia eidem ſit in cibum, & in potum fons aquæ viuæ, quæ deficere non poſſit. Cùm ergo Chriſtus in medio tantæ tempeſtatis dormiret, hanc iuſti quietem & ſecuritatem oſtendebat, & prætereà expectabat, vt diſcipuli eidem dicerent, Domine, ſalua nos, perimus. Quo etiam modo ſæpe expectat, vt ij qui propter ipſum Pſal. 43. 23. &c. affliguntur, eidem dicant illud: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, exurge, quare obdormis, Domine? quare faciem tuam auertis? obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ*, & hoc facit, vt eoſdem probet, de quibus & 1. Pet. 1. 7. de ſe ipſo dicit Petrus: *Vt probatio noſtræ fidei multò pretioſior ſit auro, quod per ignem probatur, & inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelationem Ieſu Chriſti, qui nos perducat ad eandem gloriam, dando nobis ad hoc ipſum priùs ſuam gratiam.*

***

HOMI

HOMILIA IN ILLVM LOCVM MATTH. 8. 2.

Simile eſt Regnum cœlorum homini patriſamilias, qui exijt ſummo mane conducere operarios in vineam ſuam.

CERTVM eſt, per patrem familias ſignificari in hac parabola Deum, qui ad Eccleſiam ſuam militantem (quæ regnum cœlorum, propter ſimilitudinem infrà explicandam, accommodatè dicitur) ad modum patrisfamilias in vineam ſuam operarios diuerſis diei horis vocantis, & cõducentis homines in diuerſis vitæ ætatibus in eadem ſua Eccleſia elaboraturos, vocat, & certum etiam eſt, beatiſſimam Virginem Mariam matrem ſimiliter familias eſſe, & non quancunque matrem, ſed matrem miſericordiæ (ſicut eam Eccleſia Catholica appellat) quæ omnibus compatitur & miſeretur. Et quemadmodum ad patremfamilias ſpectat, operarios vocare, conducere, in vineam mittere, & in fine diei pro ſuſcepti laboris ratione mer- *Simile.*

cede

cede afficere:ſic etiam ad matremfamiliâs ſpectat ipſis operariis,dum operantur & laborant,cibum & potum ex rebus eiuſdem patrisfamilias ordinare, quo ſuſtentati & confortati in labore perſeuerent,& non deficiant. Ad quem ſimiliter modum illis,quos Deus ad ſuam Eccleſiam vocauit, vt in ea operentur,quóſq; in fine vitæ præmiis & mercede pro operum meritis afficiet,piiſſima eiuſdem & ipſorum mater, dum ipſimet viuunt, & vt debent operantur,ex rebus & diuitiis ipſiuſmet Dei, qualis eſt diuina gratia,confortationem & ſuſtentationem eiſdem præparat,dum ipſam illis ab eodem Deo Domino, & Patre noſtro impetrat. Vt igitur hoc ipſum faciat nobis hodiernâ die in vinea Domini ſermone hoc elaboraturis & operaturis,ei dicamus, *Aue Maria*,&c.

Simile eſt regnum cælorum,&c.

OMnes ferè huius loci expoſitores per regnum cælorum Eccleſiam militantem intelligunt,& per operarios homines in ea,quaſi in vinea elaborâtes ſignificari affirmant, ſed obſtare videtur regno cælorũ,in quo nullus labor inuenitur (iuxta illud D. Ioannis, *Mors vltrà non erit,neq; luctus,neque clamor,neq; dolor erit vltrà, quia prima abierunt*) ſimilem eſſe Eccleſiam militantem in qua infiniti propemodùm labores reperiuntur. Cæterùm hæc difficultas diſſoluetur facillimè, ſi

Apoc.21. 4.

ratio

rationem propter quam hæc ſimilia dicuntur, diligenter attendamus. Nam imagines ſæpiſſimè appellari ſolent propter ſimilitudinem nominibus eorum, quorum ſunt imagines, dicimus enim D. Petrum eſſe in Eccleſia, & in altari, & Iulium Cæſarem eſſe in foro, quia in his locis eorum imagines exiſtunt, ad quem modum hanc militarem Eccleſiam regnum cœlorum vocare poſſumus, quia eſt cœleſtis regni quædam imago, licèt plurimis tribulationibus abundet, beati enim dicuntur pauperes, mundi corde, lugentes, & multi alij laboribus afflicti in eadem Eccleſia triumphanti exiſtentes. Ad eſt námque in ipſum animis tanta gratia, tanta charitas, tanta ſecuritas, & pax tantáque diuini Spiritus ſuauitas, vt non modò ipſa Eccleſia militaris, ſed quodlibet eiuſdem membrum viuum ſit quoddam cœleſtis beatitudinis tranſumptum, id quod ſignificauit Deus Ezechieli, quãdo eidẽ dixit, vt delinearet Hieruſalem in latere, vbi per ipſum ex humo ſcilicet confractum homo, per Hieruſalem verò beatitudo cœleſtis deſignatur, quæ in eodem homine, ſi iuſtus ſit, certo quodam modo reperitur, & talem cœleſtis regni ſimilitudinem & imaginem videmur intelligere, quando à Chriſto Domino eruditi, Deo ſuppliciter dicimus, *Adueniat regnum tuum*, hoc eſt, ad nos veniat regnum, ſub quo nempè, licèt laborantes, cum gaudio & ſuauitate viuamus, & dicamus cum D. Paulo, quòd *gloriamur in tribulationibus*, in quibus quidem quaſi piſces maris in amaris eiuſdem agnis dulcedinem, & ſuauitatem percipiunt iuſti, quorum vnicuique dicit Dauid: *Labores manuum*

Matth. 5.
Ezech. 4.
Mat. 6. 10.
Philipp. 4.
Pſ. 127. 2.

nuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Poſſunt ergo iuſti in Eccleſia militanti viuentes, dici beati, licèt in ea multùm laborent. Quapropter non inconuenienter, ſed appoſitè & accommodatè militans Eccleſia regnum cœlorum per ſimilitudinem dicitur.

Sunt etiam multi & non indocti, qui per regnum cœlorum hoc loco vtramque Eccleſiam militantem nempe, & triumphantem interpretantur: nam in militante operarij vocantur, & côducuntur, quibus in triumphante denarius ſoluitur. Quæ duo præſens parabolam complectitur, & regno cœlorum conuenire inſinuantur. Conſtituunt itaque & ſunt militans, & triumphans Eccleſia, vnum atque idem regnum, quia vnum atque eundem habent regem ſeu principem, nem-

Eph. 1. 22. pe Chriſtum Dominum, de quo Paulus ait, *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, & vnam eandémque obſeruant dilectionis legem (licèt in cœlo perfectiùs ſeruetur) & mutuâ ſuarum rerum commutatione quaſi fraternaliter coëuntur.

Simile. Vetus quidem & noua Hiſpania, quæ apud Occidentales Indos continetur, licèt maximo diſtent locorum interuallo, vnum tamen regnum efficiunt, quia ſub eiſdem legibus, & ab eodem Rege gubernantur: ad quem etiam modum ſe habent nouum iſtud militantis Eccleſiæ, & illud ve-

Simile. tus nempe triumphantis regnum. Cęterùm quemadmodum Iſraëlitæ, qui Iordanem adhuc tranſibant arcam teſtamenti deferentes, & qui ex illis ſiccis pedibus promiſſionis terram iam occupabant & poſſidebant, & qui ex altera eiuſdem fluuij

parte

parte iamiam fluuium ipſum erant ingreſſuri, licèt non fuiſſent ingreſſi, vt refertur *Ioſ.*4. ad eundem populum Iſraëliticum pertinebant, quapropter vnus atque idem populus vocari poterant: ita etiam, qui in militanti Eccleſia ad vineam Domini vocati, legis obſeruationem, per arcam teſtamenti ſignificatam, quaſi in humeris portant, & qui talis obſeruationis præmio, quaſi denario, in triumphanti Eccleſia potiuntur, vnum regnum cœlorum appellantur. Quod D. Auguſtinus ſic ſignificat: *Tota*, inquit, *Eccleſia accipienda eſt, non ſolùm ex parte quâ peregrinatur in terris, à Solis ortu vſque ad occaſum, laudans nomen Domini, & poſt vetuſtatis captiuitatem cantans canticum nouum, verùm etiam ex illa, quæ in cœlis ſemper, ex quo condita eſt, cohæſit Deo, nec vllum ſui caſus malum experta eſt. Hæc in ſanctis Angelis beata perſiſtit, & ſuæ parti peregrinanti, ſicut oportet, opitulatur, quia vtraque vna erit conſortio æternitatis, & nunc vna eſt vinculo charitatis. Hæ autem omnes communicationes ex alia oriuntur, hoc eſt, ex hoc quòd iungimur Chriſto, à quo, tanquàm capite, communes omnia membra influentias accipimus.* In quibus Diui Auguſtini verbis etiam ſignificatur id quod ſuprà diximus, quòd nempe noua militans Eccleſia, & vetus nimirum triumphans propter communicationem ſuarum rerum, quâ (Chriſto Domino tanquàm rege, ſic illud ordinante) vtuntur, vnum regnum cœlorum dici poſſunt. *Auguſt. in enchirid. cap.* 56.

Sicut enim, vt in propoſita ſimilitudine perſiſtamus, ex hac Hiſpania mittunt eius incolæ ad aliam nouam ea quibus ipſa caret, ex illa verò ipſius habitatores ſimiliter mittunt ea quæ ex ſe, *Simile.*

& de ſe non habet illa alia Hiſpania: ita etiam ex illa quæ ſurſum eſt Hieruſalem, quæ eſt mater
Gal.4.26. noſtra, vt ait Paulus, ſeu quod idem eſt, ex triumphante Eccleſia mittuntur ad militantem (de cu-
Apo.3.12. jus vno quoque membro dicitur, *Scribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Hieruſalem*) ea bona, quibus ipſa de ſe caret, nempè gratia, charitas, pax, ſecuritas, & cætera huiuſmodi, quæ in ſummo pretio haberi debent, ratione quorum dicitur Eccleſia è cœlo deſcen-
Apo.21.2. dere, iuxta illud: *Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, &c.* Et ex noua iſta Hieruſalem, ſeu Eccleſia militante ad veterē triumphantem mittuntur ſimiliter ea quibus ipſa caret, & tamen magni æſtimat, nempe paupertas, fames, labores, lachrymæ, ſuſpiria, & pœnitentiæ
Luc.15.7. (propter quod dictum fuit à Chriſto Domino,) quòd *gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*: gaudent enim maximè ciues cœleſtes de iuſtorum tribulationibus, per quas introire oportet in regnum Dei, imò & ipſe Deus propter eorundem vtilitatem de illis ſummopere lætatur, ex qua pro illis illa alia è cœlo ipſo iuſtis mitti conſueuerunt. Ecce quomodo Eccleſia militans, ſeu noua Hieruſalem, & Eccleſia triumphās, ſeu illa quæ ſurſum eſt Hieruſalem, per modum veteris, & nouæ noſtræ Hiſpaniæ, regnum cœlorum intelligi & dici poſſunt, quando dicitur, *ſimile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, &c.*

***

Homini

Homini patrifamilias, &c.

CVm Deus ſit, cui Eccleſia dicit, *Tu ſolus Domi-*
nus, quia *eſt Dominus dominantiū, & Rex Regū,* Apoc. 19. 16.
paterfamilias, dicitur, non tamē hîc dicitur domi-
nus familias, quia potiùs per modū patris benigni
erga filios, quàm per modū domini ſeueri erga fa-
mulos & ſeruos, ſe habere conſueuit. Quapro- Roman. 8.
pter Paulus ait: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis* 15.
iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis fi-
liorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater. Et priuſ-
quàm ipſe, Dauid ſimiliter dixit: *Quomodo miſere-* Pſal. 102. 13.
tur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe,
ipſe enim cognouit figmentum noſtrum, recorda-
tus eſt quoniam puluis ſumus, & alibi idem Dauid
dicit: *Tu Domine ſuauis, mitis & multa miſericor-* Pſal. 85. 5.
dia. Quibus in locis oſtenditur Deum potiùs ſe
habere ſicut pium & miſericordem patrem, quàm
ſicut ſeuerum dominum. Sacris literis proditum
eſt, dixiſſe Iacob mulieribus ſuis, *Abeamus, quia vi-* Gen. 31. 5.
deo faciem patris veſtri, quòd non ſit erga me ſicut he-
ri & nudiuſtertius, nequaquàm ſeruiam homini, qui
mihi benignum vultum non oſtendit, quaſi ſignifi-
cans, neminem poſſe illi ſeruire qui cum auſteri-
tate imperat, & paternum amorem non præbet.
De quibuſdam gubernatoribus, ſeu paſtoribus
conquerebatur Deus per Ezechielem, dicens: *Sed* Ezech. 34. 4.
cum auſteritate imperabatis. Quamobrem prælatis
dicit D. Petrus: *Paſcite qui in vobis eſt gregem, non* 1. Pet. 5. 2.
coactè, ſed ſpontaneè. In cuius exemplum Chriſtus
Dominus, rogauit ipſum Petrum nauem è terra Luc. 5. 3.
reducere puſillùm, vbi contextus Græcus habet,

quòd ipſum Petrum obſecrauit, vt hoc faceret, quod maius eſt, vbi oſtenditur, quomodo cùm eſſet Dominus, pręcipiebat & imperabat iis qui eum ſeruiebant, & quod ſe potiùs habebat vt benignus pater, blandis & ſuauibus verbis vtens, quàm vt

Heb. 6. 10. ſeuerus dominus, ſeueritatem oſtentans. *Non iniuſtus eſt Deus*, ait Paulus, *vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Non eſt Deus vt ſunt domini iniuſti, qui operarij operis obliuiſcuntur, nec ipſum adiuuant, nec mercede pro opere afficiunt, ſed eſt veluti pater benignus, qui filiorum operam & laborem conſiderat, & eiſdem

Marc. 8. 2. 3. compatitur, ipſóſque præmiis afficit. *Miſereor ſuper turbam*, inquiebat Chriſtus, *quia ecce iam triduo ſuſtinent me, & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via.* Numerabat itaque dies quos in ſequela ipſius conſumpſerant, & non ſolùm dies itineris, ſed paſſus ipſius itineris enumerare ſolet. Quam-

Iob 14. 16. obrem aiebat Iob cum ipſo loquens: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti*, imò & cogitationes bonas enumerat, vt eaſdem præmiis afficiat. Qua-

Luc. 12. 7. propter ipſe Chriſtus dicebat: *Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt*, vbi per capillos cogitationes intelliguntur, quas etiam Deus enumerat, vt pro ipſis præmia condonet. Habet igitur ſe Deus potiùs vt pater, quàm vt dominus familias.

Qui exijt ſummo mane, &c.

Baſil. in Reg. breu. inter. 224. PEr primum mane, horam primam, tertiam, ſextam, nonam, & vndecimam D. Baſilius, Hieronymus, venerabilis Beda, Euthymius, & D. Fulgentius,

gentius, intelligunt diuerſas hominis ætates, & ita per primũ mane, quod mane diluculo, & horã primam complectitur, intelligũt eos qui ab vtero vocati ſunt à Deo (quales fuerũt Hieremias & Ioannes Baptiſta) & eos qui in infantia vocati ſimiliter fuerunt: per tertiam horam, pubertatem, per ſextam, virilem ætatem, per nonam, ætatem in ſenectutem inquinatam, per vndecimam deniq; ipſam ſenectutẽ decrepitam. Primo igitur mane dicitur Deus exire, vt homines ad operandum vocet, quia vbi primùm ipſi ad rationis vſum perueniunt, & rationis lux eiſdem exoritur, Deus, qui ipſos ſpectabat, ſtatim vocat, de quorum vnoquoque dicebat Iob cum Deo loquens: *Quid eſt homo, quia magnificas eum? viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum.* Et Dauid: *Praueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* Item: *Dominus ſollicitus eſt mei.* Et quia, vt habetur alio in loco, *conſurgit diluculò qui quærit*, habet ſe Deus in quærendis operariis ad vineam ſuam, ſicut ſollicitus viator, qui vbi primùm Gallus cantat, ſtatim ſurgit, famulum vocat, ſe præparat vt iter faciat, quod ſi quis eidem dicat, auroram multùm diſtare adhuc, poſſeq; in lectulo requieſcere ſine eo quòd tam diluculò ſurgat, reſpondet, ſe potiùs velle auroram expectare, quàm vt eadem aurora ipſum expectet, quia longa ſibi via reſtat pertranſeunda: ad quem modum, quia homini tantum iter faciendum eſt, quantum eſt de virtute ad vitium, de peccato ad gratiam, & de malo ad bonum, quæ inter ſe maximè & longiſſimo interuallo diſtant, hominem ipſum ſuâ gratiâ præuenit, iuxta illud: *Et miſericordia eius præueniet me*, & quodam modò diluculò, non ex-

Hiero. Beda, Euthy. hoc loco. Fulgent. ep. 7.

Iob 7. 17. Pſal. 20. 4 Pſ. 39. 18. Prou. 11. 27.

Simile.

Pſ. 58. 11.

pectans perfectum rationis vſum, eundem hominem ad ſe vocat.

Eſt Dæmon maximè ſollicitus perditionis animarum, & tam diluculò & manè videtur ad eam ſurgere, vt homines etiam antequàm ad rationis vſum perueniant, imò ab vtero matrum ſuarum, per peccatum Originale ſibi vendicet. Quod de

Pſ. 57. 4. Pſal. 50. 7. aliis ſignificauit Dauid dicens: *Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.* & de ſe alibi: *Ecce enim iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Eſt itaque dæmon hac in re diligentiſſimus, quapropter à D. Ioanne dicitur:

Apoc. 12. 12. *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus iram magnam habens, ſciens quia modicum tempus habet*, reputat enim omne tempus, licèt longum ſit, breue

Simile. ad capiendas animas, atque ideò ſicut accipiter oriundus ex Irlandia, vbi dies breuiores ſunt, vno volatu ſummâ celeritate deprædatur, ad tranſeundam noctem, quæ ibi longiſſima exiſtit: ſic dæmon

Ioan. 9. 4. dum dies eſt, antequàm veniat nox, *in qua nemo poteſt operari*, vt habetur in Euangeliis, diligentiſſimum ſe præbet. Vt ergo Deus ipſi dæmoni hac in re obuiet & ſe opponat, valdè ſollicitum de noſtra ſalute ſe exhibet, ac proinde dicitur ad vocandos homines manè exire.

Cùm igitur Deus tam vigilans ſit, vt etiam dormiens vigilare pro nobis dicatur, dicit enim de ſe,

Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, cur etiam & nos pro nobiſmetipſis non vigilabimus? Si adeò clamitat in plateis, ſicut habetur in Salomone, vt di-

Prov. 8. 1. Pſ. 68. 4. cat per Dauid, *Raucæ factæ ſunt fauces meæ*, qua re tot diuinæ gratiæ vocibus & clamoribus toties vocati non ſurgimus, & non eximus ad vineam Domini?

faciamus

faciamus igitur quod nobis ſponſa conſulit *manè* Cāt. 7.12.
ſurgamus ad vineas, & non deſimus gratiæ, quâ à
Deo ad ipſas vocamur, ſiquidem ipſe illâ nobis Hebr.12.
non deeſt. *Ne quis deſit gratię Dei*, ait Paulus. Et 15.
alibi: *Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, 2.Cor.6.1.
quia nimirum in vacuum fortè & fruſtra Deum
quæret (eundem remiſsè & negligenter quæren-
tes qui in vacuum & fruſtra gratiam & vocatio-
nem Dei receperunt, ipſam negligentes *Cant.5.* di-
citur, quòd vocauit ſponſus ſponſam dicens illi,
Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, imma Verſic.2.
culata mea, & quòd ipſa, vt non eidem aperiret,
ſe excuſauit excuſationibus admodùm friuolis
nimirū, *Expoliaui me tunicâ mea, quomodo induar il-* Verſic.3.
lâ? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? & quòd
poſtquàm ipſe declinauerat & tranſierat, ſurrexit
illa, illúmque quæſiuit, & non inuenit, & quòd in-
uenerunt illam cuſtodes, qui circumibant ciuita-
tem, & percuſſerunt eam, & vulnerauerunt, & tu-
lerunt pallium eius cuſtodes murorum. Quo ſi-
gnificatum eſt, ſponſam animam, quæ vigilanti &
vocanti ſponſo Deo non obedit, nec annuit, ſed
renuit, cùm poſteà voluerit ſponſum, fortaſſe non
forè inuenturam, ſed fore multis calamitatibus af-
fligendam.

Nec obſtat quòd aliquis ex hac parabola for-
taſſe dicet quòd nempe ſi manè vocatus non ve-
nerit, veniet cùm horâ tertiâ vocatus fuerit, & ſi
in ea non venerit, veniet cùm aliâ quâcunque ho-
râ, licèt ſit vndecima, ſimiliter fuerit vocatus, ſi-
cut contigit iis qui in ea vocati ſunt, & præmium
ſui laboris receperunt (quam apparentem ratio-
nem iniquam app. llat Dauid dicens: *Verbum ini-* Pſ 40 9.

Digitized by Google

quum conſtituerunt aduerſum me, nunquid qui dormit, non adiciet vt reſurgat? Nam non colligitur hoc quod dictum eſt, ex parabola, imò deducitur, quòd qui vocati ſunt horâ primâ, non fuerunt iterum vocati aliis diei horis, ſiquidē, vt ibidem refertur, ſemper dicitur quòd paterfamilias vidit alios & alios in vnaquaque hora, ex quo cõſtat non eſſe eoſdem, quos in præcedenti hora vocauerat, illos, quos in ſubſequenti mittebat in vineam ſuam.

Nec dicat aliquis, quòd licèt ipſe non vocetur à Deo per gratiam, ad eum tamen ibit per ſe, quia ſi Deus nos non conuertat, nequaquàm conuertemur. Quamobrem dicebat Hieremias *Conuerte me*
Hier.18. *Domine, & conuertar*. Poteſt quidem vnuſquiſque per ſe & ex ſe in peccatum, veluti in foueam, cadere, ſed ex ſe non poteſt ſurgere, nec ſeipſum ab
Simile. eâdem extrahere. Imago, quæ ex homine in ſpectaculo reſultat, tandiu oculos demiſſos habet, quandiu homo ipſe, cuius eſt imago, eoſdem non extollit, nec eleuat, quod ſi ipſos eleuet, imago eiuſdem, ſtatim ipſoſmet extollet: eſt vnuſquiſque
Gen.1.27. homo imago Dei, qui *creauit hominem ad imaginē & ſimilitudinem ſuam*, vt habetur in Geneſi, ac proinde vt homines, *qui oculos ſuos ſtatuerunt de-*
Pſ.16.11. *clinare in terram*, vt ait Dauid, eoſdem eleuent, requiritur quòd Deus ipſe in eos reſpiciat, & ideò
Pſal.21.2. ipſe Dauid dicebat, *Deus Deus meus, reſpice in me*. Et alibi: *Domine, quando reſpicies*? Nec Petrus ad
Pſ.34.17. Deum animam ſuam leuauit, poſtquàm in graue
Luc.22.61 illud negationis peccatum incidit, niſi poſtquàm ipſe, ſicut habetur in Euangelio, reſpexit Petrum, qui etiam eleuans ad ipſum oculos, ſtatim exiuit foràs, & fleuit amarè. Non ergo negligenter ſe

gerat

gerat homo, quando primo mane à Deo vocatur, ſperans & confidens ſe aliis horis eſſe vocandum, vel ſi nõ vocetur, ſperans ſe per ſeipſum ad Deum ſine diuina vocatione poſſe ire.

Veruntamen ea eſt hominum dementia, vt labores quos ſubire debent in vinea Domini, ex tunc hora reſeruẽt in aliam, quouſque deueniunt ad vltimam, ſeu, quod idem eſt, vt labores in pubertate, ſeu iuuentute, ſeu virili ætate, pro Chriſto Domino perferendos, in decrepitam ſenectam, & vltimum vitæ tempus reſeruent, quando illos tolerare non poſſunt, qua in re non aliter faciunt, quàm illi ſtulti rerum portitores, qui habẽtes fortia & robuſta iumenta, quibus grauiora onera vehere poſſint, illa met onera grauia debilioribus & infirmioribus iumentis deportanda, reſeruant & imponunt, quapropter tanto pondere, viribus tam inæqualibus preſſa, ſtatim in via deficiũt: ad quem modum exiſtimantes inſani homimes ſe in ſenectute poſſe portare pondus diei & æſtus, illud ad eam reſeruant. & cæteras ætates ab eo imprudenter exonerant, & in fine tanto pondere oppreſſi miſerabiliter ſuccũbunt, nec ſolùm opera, quæ in infantia, pubertate, & aliis ætatibus facere debent, in decrepita ſenectute facienda relinquunt, verùm etiam eadem opera, ſine quibus ſalui eſſe non poterunt, in vltimam vitæ horam reſeruant, ſperantque ſe, quemadmodum operarij, circa horam vndecimam vocati, denarium pro operibus in ea factis, acceperunt à patrefamilias, ſic fore à Deo in vltima vitæ hora per vndecimam repræſentata conſecuturos æternæ vitæ præmia, ſicut etiam bonus latro quem in exemplum ſibi adhibẽt, eadem *Simile.*

conſecutus eſt, licèt totum vitæ tempus in latrociniis, homicidiis, & aliis ſceleratis operibus conſumpſerint, & ex eo quod taliter veſtrâ vitæ vltimâ ipſi contigit, ſibi vanè pollicentur. Similem ſucceſſum, ac propterea de ſua ſalute minimè ſolliciti, otioſam & vitiis plenam vitã degunt, quam in bonis operibus tranſigere deberent, & non cõſiderant, quòd potiùs circunſtantiæ mortis illius fœliciſſimi latronis ad metum & timorem, quàm ad fiduciam & ſecuritatem vnumquenque commouere poſſunt: nam Euangelicis literis proditũ eſt, quòd Chriſtus Dominus latroni miſericordiã ab
Luc. 23. 43. ipſo depoſcenti, dixit, *Amen amen dico tibi*, *hodiè mecũ eris in paradiſo*. In quibus verbis, *Amen amen dico tibi*, quæ iuramenti vim habent, inſinuatur huius rei difficultas: nam cùm Chriſtus ſit via, veritas, & vita, in cuius ore inuentus non eſt dolus, ſufficeret vt ei fides adhiberetur, quòd ipſe diceret, *Hodiè mecum eris in paradiſo*, cæterùm hoc ipſi latroni iurauit dicens, *Amen amen dico*, ſeu, quod idem eſt, iuro, *tibi*, quòd *hodiè mecum eris in paradiſo*, quaſi diceret, Tam difficile eſt credere eum, qui in toto vitæ tempore tam malè vixit, in vltima hora bene mori, vt licèt illud tibi ſimpliciter affirmem, non ſis mihi fidem adhibiturus, cùm ſumma veritas ſim, & proptereà illud idem tibi iuro, & quod quia tua mors erit pretioſa in conſpectu meo, hodiernâ die mecum beatitudine potieris.

Itaque in verbis, *Amen amen dico*, quæ vim habent iuramenti, difficultas huius rei oſtenditur, in pronomine verò *tibi*, nouitas & raritas eiuſdem rei ſimul inſinuatur. Idem enim eſt dicere, hanc

rem

rem iuro tibi,& facio tibi,ac dicere,Quod hucuſque non feci,vel paucis feci,& quod deinceps nemini faciam,vel paucis faciam,tibi facio ſingulari erga teipſum priuilegio vtens. Vnde patet,quanta ſit illius inſania, qui ſingulare & ſpeciale latronis priuilegium, per ſummam Dei miſericordiam eidem conceſſum,in vniuerſalem legem extendere, & ſibi ſine vllis meritis arrogare audet & præſumit. Sicut enim qui pingendi arte ſunt eximij, vt tales ab omnibus iudicentur, & quærantur imaginem aliquam omnibus numeris abſolutam, adhibitâ omni diligentiâ,curâ, & pingendi artificio faciunt,& pro foribus ad ſuæ artis oſtentationem appendunt,vt qui eam conſpexerint, intelligere poſſint,quam picturæ perfectionem ipſorum ars attingere valeat,quam tamē imaginem ſi quis emere vult, eidem reſpondent,ſe pro nullo pretio eam eſſe alicui daturos, ſiquidem vt eſſet præclarum cæterarum exemplar, & ad oſtentationem ipſam fecerunt,ſeque intus in officina,quàm plurimas optimas etiam habere, quas eâdem relictâ emere poſſint, ſic etiam Chriſtus Dominus vt oſtenderet diuitias miſericordiæ ſuæ, & præſtantiſſimum pietatis ſuæ exemplar faceret, quandam excellentiſſimam ſuæ clementiæ imaginem in morte latronis produxit,tum ad oſtentationem ſuæ immenſæ benignitatis, tum etiam vt omnes, quantumcumque peccatores exiſtant, non deſperent,imò ad ipſum,tanquàm ad piiſſimū patrem ſe recipiant, quam tamen miſericordiæ imaginem,quam pro foribus æternæ paradiſi vitæ appendit,vel nemini, vel paucis & rarò dabit, Simile.

licèt

licèt plurimos alios miſericordiæ ſuæ actus in multis, à quibus quæri procurat, ſit abſque dubio multoties exercitaturus. Quod ferè idem D. Paulus, qui ex Eccleſiæ perſecutore, in ictu oculi vas electionis per gratiam eſt effectus, de ſeipſo ſignificauit dicens: *Venit Chriſtus Ieſus peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideò miſericordiã conſequutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt in vitam æternam.* In quibus verbis, illa nempe, *vt oſtenderet*, &, *ad informationem*, planè ſignificant, talem in tempore vitæ gratiam erga Paulum à Chriſto Domino ad oſtentationem, & tanquàm exemplar fuiſſe eidem exhibitam, ac proinde, vel erga nullum alium hominem, vel erga paucos, fore deinceps exhibendam. Quid ergo de illa quâ erga latronem in vltima vitę hora vſus eſt, dicendum erit? fuit ipſa profectò ſpecialiſſima, & per ſingulare priuilegium ei conceſſa, ac propterea eidem dixit Chriſtus Dominus, *Amen dico tibi*, &c. vbi rei nouitas & raritas innuitur.

1. Tim. 1. 15. 16.

In particula, *hodiè*, rei magnitudo inſinuatur: ait enim, *Hodie mecum eris in paradiſo*, quaſi dicat, Hac die, & non aliâ, tantum beneficium confertur, nec datur tanta gratia, niſi in die tantæ miſericordiæ, Dei nempe, quâ ſic pro venia peccatorum clamat ſanguis Chriſti diffuſus, quomodo ſanguis innnocentis Abel effuſus etiam pro vindicta contra Cain clamabat, die quâ portæ cæli aperiuntur, & mundus cum Deo reconciliatur, hac igitur die, ſeu, quod idem eſt, hodiè, mecum eris in paradiſo, hoc eſt, in mea ſocietate, quia mecum ibis, tantum beneficium conſequeris.

Hodiè,

Hodiè, quia mecum compateris, mecum etiam glorificaberis (nam, *Si compatimur, & glorificabimur*, vt inquit Paulus) hodiè quando iuxta lectum in quo moreris meipſum (de quo Iob dixit, *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me*) habes, & Mariam matrem meam, & Ioannem Euangeliſtam dilectum diſcipulum meum, æternam paradiſi beatitudinem conſequêris. Rom. 8. 17. Iob 17. 3.

Quæ omnes, & aliæ eius quod tunc contigit, circunſtantiæ, vnicuique rectè ſentienti potiùs timorem & metum, quàm fiduciam, & ſecuritatem incutient. Nam potiùs perditio vnius illorũ duorum laborum, quàm ſaluatio alterius mirabilis videri poterit illi, qui eaſdem circunſtantias attentè conſiderauerit. Cur enim deſperationẽ potiùs non efficiet, videre, quòd tẽpore tantæ miſericordię & pietatis, & tali die, in tali ſocietate, nempe Chriſti, Mariæ, & Ioannis, & circunſtante tantâ effuſione ſanguinis diuini pro peccatis, vnus latro perditus eſt, quàm efficiet fiduciam, quòd vnus alius factus eſt ſaluus, talibus concurrentibus miſericordiæ circunſtantiis? Et quare ſi perditio vnius non deterret, ſaluatio alterius ſecuritatem cauſabit? Nihil aliud certè hoc efficiet, niſi admirabilis hominum inſania, & dementia. Nemo igitur ſit, qui ſpe deſſumptâ ex latrone in vltima vitæ hora ſaluo, expectet vſque ad horam vndecimam, quando primo mane, ſeu primâ horâ à Deo per gratiam vocatur, quia fortaſſe in aliis diei horis, hoc eſt, in aliis vitæ ætatibns, & multò minùs, in vltima, ab ipſo Deo ita non vocabitur ad vineam ſuam.

Conduce-

erogationis opera)eos deobligare viſus eſt. Quē- admodum enim creditur,cui triginta milliū nummorum aureorū ſumma debetur,ſi à debitore eiuſdem ſummæ aureæ, quinquaginta duntaxat aureos nūmos petat,& illis ſe fore contentū ſignificet,à reliquorū omnium ſolutione ipſum exonerat & liberat,nec aliquid debitū eſſe videtur,quod adhuc eidē credituri reddere teneatur:ita etiā quia Deus ſummus benefactor hominū,illis certa pręcepta ſeruāda propoſuit, ſeque eorundē obſeruatione ſatisfaciendū fore ſignificauit, eoſdē homines à cæteris operibus bonis in ea ſumma obligatione contentis,quâ ipſi aſtricti tenebantur,deobligauit.Quamobrē præcepta, ſiue Eccleſiaſtica illa ſint,ſiue iuris diuini potiùs,nō mādata, quàm mādata videntur eſſe dicēda:plus enim per illa nō mandatur,quàm mādetur,ſeu,quod idē eſt, à pluribus per illa deobligati & exonerati ſunt homines,quā obligati & onerati, ac proinde ex ipſis factū eſt,quòd ipſi homines, qui duplici titulo ſerui ſunt,nēpè quia creati,& quia redēpti, circa multa liberi remāſerint apud Deū, qui ſic ſe habuit erga ipſos quaſi liberi eſſent,quādo illos invineā cōduxit, & cū eis de denario diurno cōuentionē fecit. Sed eo ipſo,quòd hac cōductione & cōuētione de denario dando ſeruos libertate donauit, ſemetipſum ad illud eiſdem dandum obligatione aſtrinxit;& hoc quidem opus fuit:nam cùm(vt ait Paulus) *non ſint condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*, per denarium diurnum hîc ſignificarā, dubitatio poſſet remanere apud operarios,an *quod leue & momentaneum eſt tribulationis noſtra,æternū in ipſis operaturum eſſet gloria pōdus*, vt

Simile. Rom.8.18

1.Cor.4. 17. vt alibi etiam dicit Apoſtolus futurum eſſe, niſi Deus, per patremfamilias ſignificatus, hac conuentione & promiſſione ſe obligaret,& efficeret, vt quod non erat debitum ex iuſtitia æquitatis, per iuſtitiam conuenientiæ,quâ ſe obligauit,debitum remaneret. Vbi ſimul non abs re conſiderandum eſt, in illa conductione non fuiſſe conuentionem de cibo & potu à patrefamilias operariis in die laborantibus præſtando (nam circa hæc non ſolet eſſe diffidentia inter operarios & ipſum patremfamilias, de quo ea ſemper confidunt) ſed fuiſſe conuentionem de denario diurno poſt finitam laboris diem dando,de quo conſequendo, timere & dubitare ſemper ſolent, & cùm hoc ita ſit,non tamen miſeri homines timent nec dubitant,vice verſâ,de denario, hoc eſt, de gloria poſt hanc vitam conſequendâ, & circa hoc tantam fiduciam in Deo habent, vt nihil ſibi ex ſua parte faciendum pro eo proponant, circa ea verò quæ ad cibum,& potum pertinent,tam diffidentes exiſtunt, vt eadem per fas, & nefas procurare non ceſſent,& in ipſis acquirendis quàm plurima peccata contra Deum ipſum,de quo diffidunt,& quodammodò deſperant, paſſim committunt, quod maximè dolendum eſt.

Operarios in vineam ſuam.

PEr operarios cōductos ad vineam Deus ſignificatur, quòd qui volunt æternæ gloriæ præmio potiri, in eâdem vinea debent laborare, & pondus

pondus dies & æſtus ſuſtinere. Quod etiam ſignificauit Dauidi dicens; *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*, & ſimiliter Iob de vno quoque homine dixit, quòd *ſicut dies mercenarij dies eius*. Nam tanquàm de tali mercenario prædictum fuerat, *In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo*, illo nimirum, qui eſt panis Angelorum, quem in cœlo manducabit homo. Et hanc doctrinam prædicabat Paulus, dicens, quòd *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*: non enim datur lumbus bouinæ carnis ſine eiuſdẽ cõtra põdere, quod ſic intelligere debemus ad noſtrum propoſitũ, licèt maiora minoribus cõferamus. Quòd ſi quis dicat, quòd in quocũque mũdi ſtatu quiſlibet exiſtat laboribus, & afflictionibus abſque dubio minimè carebit, ac propterea quòd nemo exit, qui denarium gloriæ non conſequatur, ſiquidem labores ipſi & afflictiones ad idem gloriæ denarium conſequendum ſunt viæ, & merita. Reſpondendum eſt, quòd tales labores non ſunt ſuſcepti in vinea mundi carnis, & dæmonis, de qua dictum eſt: Deut. 32. *de vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ, & botrus eorum, botrus amariſſimus*, ac propterea non ſunt vtiles, nec ad denarium gloriæ promerendum & conſequendum apti, viuúntque iſti tales in laboribus, propter quos apud inferos, vt ait Sapientia, in ſempiternum dicent: *Ambulauimus vias difficiles, Laſſati ſumus in via iniquitatis &c.* Et viuunt in laboribus animalium irrationalium (qui eiſdemmet animalibus non proſunt) & non in laboribus

Pſ. 127. 2. Iob 7. 1. Gen. 3. 19. Act. 14. 22. Deuter. 32. Sap. 5. 7.

vtilibus animalium rationalium, quamobrem de illis ait Dauid: *In labore hominum non ſunt,* Pſal. 72. *& cum iuſti non flagellabuntur.* Laboret igitur vnuſquiſque, & operetur in vinea Domini, ad quam ab ipſo vocatus eſt, accipiet ab ipſo denarium, in primis gratiæ, deinde gloriæ, &c.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM LVC. 8. II.

Semen eſt verbum Dei, &c.

EST verbum Dei in terra, quaſi ſemen, quod in ea germinat, & producit Deus, tanquam fructus, efficiendo homines diuinæ conſortes naturæ, & deitatis participes. Quamobrem Chriſtus Dominus ait, *Illos dixi Deos, ad* Ioan. 10. 35. *quos ſermonem Dei factus eſt.* Nullum quidem ſemen in terra ſeminatum in ea fructus faciet, niſi ad eorum productionem cœlum ſuis variis caloris, claritatis, & huiuſmodi aliis influentiis cum Ariſt. 1. Met. 2. ipſa terra ſimul concurrat, iuxta doctrinã Ariſtotelis, dicentis, neceſſariũ eſſe mundũ hunc inferiorem ſupernis lationibus eſſe contiguum, vt inde vis eius vniuerſa adminiſtretur. Quomodo igitur terra tales fructus, nẽpe Deos, produceret, ſi cœlum ad eoſdẽ producendos non cõcurrat ſimiliter ſuis diuinæ

diuinæ gratiæ influxibus? Quamobrem Paulus ad Coloſſenſes ſcribens, dicit: *Orationi inſta, &c.* & paulò inferiùs adiicit. *Orantes ſimul pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, vt manifeſtem illud, ita vt oportet me loqui.* Opus eſt ergo ad hoc, vt ſermo, quem habituri ſumus, taliter fructificet, & ſemen diuini verbi de ore proferat, & reddat audientes hodiernâ die in terra, quod cœlum concurſu diuinæ gratiæ in nos influat. Hoc igitur à cœleſti Rege efflagitemus, per interceſſionem cœleſtis Reginæ eiuſdem matris, dicentes ipſi, *Aue Maria, &c.* Coloſſ. 4. 2. 3.

Certum eſt, priùs ſeminatori terram, & non quamcunque, ſed bonam, quærendam & præparandam eſſe, quâm ſemen ipſum quæratur, & in ea ſeminetur. Solum enim illud, quod cecidit in terram bonam fructum fecit ſeptuplum, ſicut hoc loco Chriſtus Dominus dicit, cùm tamen cadens in terram viæ, & petroſam, & ſpinis plenam, fructum vel non produxerit vllum, vel ſi produxerit, produxerit imperfectum & malum, quod quidem ex defectu terræ ſæpe euenire ſolet, ſicut ſignificatum eſt illo loco, vbi dicitur, *Sementem multam iacies in terram, & medium congregabis.* Et alio item, vbi etiam habetur, *Seminauerunt triticum, & ſpinas meſſuerunt.* Deut. 28. 38. Hier. 12. 13.

Terra viæ, vel via, quod idem eſt, peccatores publicos ſignificat, qui ſuo malo exemplo via eſſe ſolent, per quam cæteri in inferorum regionem iter miſerabiliter faciunt, ad quam ipſi ante illos præcipites feruntur: De quibus Dauid accommodatè dicit. *Hæc via illorum ſcandalum ipſis, &c.* Pſ. 48. 14.

poſteà in ore ſuo complacebunt. : nam eorumdem exemplum malum, quo reliquos in peccatum ire quodammodò cogunt, ipſos etiam in dies magis in maiorem miſeriam præcipitat, quamobrem eorum via non ſolùm aliis, ſed ipſis etiam ſcandalum exiſtit. Diximus autem exemplum eorum quodammodò cogere cęteros, quia illud videntur ſacræ litteræ ſæpe inſinuare. Dicitur de filiis Heli, *Erat enim peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia detrahebant homines à ſacrificio Domini*, ſuo nimirum exemplo, de quo etiam loquens Paulus ad Galatas, Vbi cum diuo Petro lo-

Gal. 2. 14. quitur, ait; *Tu Iudæus cùm ſis, cogis gentes Iudaizare*, quia nimirum tantum ad ſequendum prouocat exemplum, vt quodammodò cogat. Meritò igitur publici peccatores dicuntur via, quia viam præbent aliis hominibus, vt iter faciant ad malum, quod etiam in ipſorum miſeriam cedit, quia ad faciendum ipſum taliter ſuo exemplo concurrunt, vt conſiderans Dauid ſe ſuo malo exemplo quàmplurimos ad peccandum prouocaſſe, meritò

Pſal 18. 13. Deo dixerit; *Ab occultis meis munda me, & ab alienis*

Pſal. 48. 14. *parce ſeruo tuo*, & poſteà, *In ore ſuo complacebunt*, ait ipſe Dauid loco citato, quia iſti ſunt, de quibus

Iſa. 3. 9. dixit Iſaias, *Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt*. Nam *exultant in rebus peſſimis*, vt dicit Salomon, *& lętantur cùm malè fecerint*, ac proinde conciones, in quibus obiurgantur, irrident, & verbum Domini contemnunt. *Geneſ.* 19. refertur, quod annuncians Lot Sodomitis horrendum ſupplicium de ipſis pro eorũdem peccatis ſtatim ſumendum, viſus eſt eis quaſi ludens loqui. Ad quem modum

publici

publici peccatores, qui peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicant, verba concionatorum, quibus ipſis minitantur, paruipendunt, & per exaggerationem dicta eſſe arbitrãtur, ac proinde ipſa quodammodò pedibus conculcant. Quo modò ſe habebant Phariſęi, de quibus ſic ait Euangeliſta, *loquentem Ieſum deridebant Phariſæi.* Ad quem etiam modum multi alij publici peccatores concionatores irrident, & ſicut Iſraëlitæ *ſubſannabant nuntios Dei*, vt referunt ſacræ literæ, ſic ſubſannant ipſos Dei concionatores, qui nuntij eius ſunt. Quapropter circa ipſos dicit Pſalmiſta, *Bene patientes erunt, vt annuntient*, quia ſine maxima patientia nemo poterit ad tales publicos peccatores conciones habere. Publicus itaque peccator terra eſt viæ, ac proinde mala, vt in ea ſemen verbi Dei fructificet, ſed ad hoc ipſum, quantumcumque ſit peccator magnus & publicus, ex eo poteſt fieri terra bona, & quæ multum fructum afferat. Nam Magdalena mulier, *quæ erat in ſocietate peccatrix*, vt de ea dixit Lucas, cui meritò dici potuit illud Prophetæ: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, & frons meretricis facta eſt tibi* Ex qua etiam Dominus, ſicut refertur à DD. Marco & Luca, exierit ſeptem dæmonia, cùm admodùm mala terra eſſet ad ſuſcipiendum ſemẽ verbi Dei, & fructificandum mediante eo, tam bona terra ad hoc ipſum poſteà effecta eſt, vt de ea dixerit ipſe Lucas, quòd *ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Quod quidem in ipſa tantùm fructificauit, v lacrymis rigauerit pedes eiuſdem Domini, capillis capitis ſui terſerit, oſculata fuerit, & vn-

Luc 16.14
2 Paral. 36 16.
Pſa. 91. 15
Luc. 7. 37.
Hier. 3. 1. 3
Marc. 16. 9.
Luc. 8. 2.
Luc. 10. 39.

guento vnxerit. Non enim iam erat via ad inferos, nec terra ſecus talem viā, quia ſiue eſſet ſtans, ſiue ſedens ſtabat, & ſedebat ſecus pedes Domini,

Ioan.14.6 qui *via, veritas & vita eſt*, ſicut ipſe de ſe aſſeruit. Et quia viuus eſt ſermo Chriſti, vt ait Paulus, fructus vitæ mediante tali ſemine, produxit. Euellenda ſunt igitur nobis ex nobiſmetipſis publica peccata, vt efficiamur terra bona, qualis ad ſeminandum quærenda eſt, & fructus vitæ producemus.

Terra petroſa, ſeu, quod idem eſt, petra ipſa, illos ſimiliter ſignificat, qui præ cordis duritiæ, mediante verbo Dei non fructificant, imò ſæpè peiores efficiuntur. Et hi ſunt, de quibus dicit Propheta, *quod indurauerunt facies ſuas ſupra petrā.*

Hier.5.3. Zach.7.12 *Et cor ſuum, vt adamantem poſuerunt, & noluerūt reuerti.* Et de quorum vnoq; oq; ait Iſaias. 48. *Scio quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua.*

Cap.3.27. Et Eccl. *Cor durum male habebit in nouiſſimo*, quia nempe in tali duritie non poteſt ſemen diuini verbi ita radicari, vt fructificet, nam de eo dicitur ab

Cap.24. 13. eodem, *Et in electis meis mitte radices.* Et de iis, qui duro ſunt corde, & de fructibus eorundem dicitur alibi quòd *adulterina plantationes non dabunt*

Sap.4.3. *radices altas.* Per Hieremiā quoque ait Dominus,

Cap.23. 29 *Nunquid nō verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petrā?* Et licet verba Dei talia ſint, duritiē taliū hominū frangere non ſolent. Et licèt de verbo Dei dicat Paulus, *Viuus eſt ſermo Chriſti, &*

Hebr.4.12 *penetrabilior omni gladio ancipiti*, non tamē eorundē corda penetrat. Et quamquàm *Gutta cauat lapidē non vi, ſed ſæpe cadendo*, nec tamen cauat lapideum cor verbum Domini, quod quaſi imber in ipſum decidit,

decidit, vt dicit Propheta & Apoſtolus, imò durius in dies magis efficitur hac diuinâ aquâ, non aliter quam fluminum ſaxa aquâ ipsâ quâ mollia effici deberent, duriora efficiuntur: In hanc igitur duritiem, lapidum duritiem excedenté cadens ſemen verbi Dei non fructificat, quia etiam talis terra ad fructificandum inutilis & mala eſt. Et quia Deus eſt, qui apud Ezechielem ait, *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in praeceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*, ab ipſo Deo poſtulandum eſt, vt à tali terrâ præ duritie ad fructificandum malâ, duritiam ipſam tollat, illa enim extractis, & depulſis duris lapidibus, bona effici poteſt, ſicut in diuo Paulo perſpicuè videbitur, ſi rectè attendatur: ipſe namque, qui ſæuiſſimus Eccleſiæ perſecutor extitit, & accepit Epiſtolas in Damaſcum, vt ſi quos inueniſſet Chriſtianæ viæ viros vinctos perduceret in Hieruſalem, Et cum lapidantibus Stephanum concurrit, cùm eorum, veſtimenta, dum ipſum lapidarent, tenebat, tam mitis. Et ſuauis, & talis poſteà euaſit, vt Domino *Saule, Saule quia me perſequeris*, clamanti dixerit: *Domine, quid me vis facere*? Et alibi item his verbis: *Omnibus omnia factus ſum*: Et quia talis & tam mitis extitit, tanquàm terra bona, fructus optimos, & innumerabiles in eo fecit ſemen verbi Dei, cuius ſeminator etiam fuit inter omnes præſtantiſſimus, ac proinde ex eo vberrimos fructus collegit, vt apertiſſimè conſtat.

Iſa.55 10. *Hebr. 9.* *Simile.* *Cap 35.26* *Act.9 4. 6.* *1.Cor.9. 22*

Terra denique ſpinis conſita, diuites deſignat,

in quibus ipſarum diuitiarum nimiæ curæ & ſollicitudines ita cordis ſubſtantiam ſugunt, vt omninò impediant ſemen verbi Dei, quod ſuffocant perfectum fructum in ipſis producere, licèt aliqualem producturum videatur. Quamobrem ait
Chriſ. hom. 3. in 2. ad Theſſ. Chryſoſtomus, quòd ſpinæ ſunt diuitiæ, quæ non ſolùm fructum non afferunt æternum, ſed fructificare volentes impediunt. Cuius clarum exemplum eſſe poteſt id, quod iuueni cuidam contigiſſe narrat Matthæus, cap. 19. quando ipſi dicenti
Cap. 19. 16 & ſeq. Chriſto Domino, *Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* reſpondit ipſe Chriſtus, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, cui cùm iuuenis iterum diceret, *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea:* ipſe Chriſtus rurſus reſpōdit, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo*, Et additur ibidem, *Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis*, *Erat enim habens multas poſſeſſiones.* Ecce quomodo diuitiæ, & poſſeſſiones ſuffocauerunt verbum Chriſti, ne perfectum, ſeu perfectio-
Simile. nis fructum produceret. Comparantur autem diuitiæ accōmodatè cum ſpinis, quia queadmodum ſpinæ extremitatibus ſtimulant, quod tamen principiis non faciunt: ſic diuitiæ diuites, cùm ſunt in extremis conſtituti, maximè pungunt &
Pſ. 48. 18. cruciant: Nam diues, *cùm interierit*, vt ait Dauid, *non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius*, ſed maxima compunctio, & afflictio. Cæterùm
Simile. terra ſpinarum, ſi ipſe igne comburantur, bona valdè, & ad producendos fructus maximè accommodata redditur: ad quem modum ſi diui-

tiæ

tiæ igne charitatis à diuitibus comburantur ſeu conſumantur, cùm eas, iuxta conſilium Chriſti Domini, dat pauperibus, vberrimos fructus in ipſis abſque dubio diuini verbi ſemen producet. Et quemadmodum ſæpè bonus ſanguis, ſi redundat, nocet, quam ob cauſam venam ſcindere, & ipſum extrahere interdum oportet, ne redundantia ſua ſuffocet ſpiritus vitales: ſic propter hoc ipſum dumtaxat diuitiæ, licèt bonæ eſſent, à nobis ſunt reiiciendæ, & in vſus pauperum conſumendæ, ne noſtra bona propoſita ex verbi Dei auditione procedentia, eo ipſo, quòd multæ ſunt, interimant & ſuffocent. *Simile.*

Veruntamen non ſufficiet ad hoc, vt terra iſta ſpinarum bona efficiatur, quòd ipſæ diuitiæ, modo ſuprà dicto, comburantur, quoad id, quod foris exiſtit, quia, ſi radices intùs remaneant, ex illis pullulat ſtatim id quod terram ad bene fructificandum malam reddit. Quare eſt etiam opus, quòd radices ipſæ omnino euellantur, & igne ſimiliter conſumantur. Quæ ſimiliter modo, vt homines bona terra efficiantur, non ſufficit eos diuitias ſuas in cibos pauperum diſtribuere, ſi ſimul cupiditatem ipſarum (*eſt enim*, vt ait Paulus, *radix omnium malorum cupiditas*) ex cordibus ſuis non euellant. Id quod Dauid conſulebat dicens, *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, quaſi diceret. Si diuitiarum flumen in vos fluat, ab eiſdem cor ſubtrahite, ne vobis nocumentum inferant; nec ſolùm eas, ſed earum cupiditatem à vobis ipſis eiicite, vt bona terra ad fructificandum efficiamini, ſicut fecerunt Matthæus & Zachæus, quorum *1. Tim. 6. 10.* *Pſ. 61. 11.*

Luc. 19. 6. 8. hic, vt refertur à D. Luca, Chriſtũ ad ipſum loquẽtem *Excepit gaudens in domũ ſuam, & vidẽ d. xit, ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum:* ille verò, ſicut enarratur à D. Marco, dicentem Dominũ, *Sequere me,* relictis omnibus non ſolùm diuitiis, ſed earũ etiam cupiditate, ſecutus eſt, ac proinde vterque cõuerſus eſt in terram bonam, in qua verbi Dei ſemen optimos fructus produxit.

Marc. 2. 14.

Quæſitâ igitur & inuentâ terrâ bonâ, quæ ſimul ſit ad fructificandum bene præparata, quærendum eſt etiam bonum ſemen, quod in eâ ſeminetur: ſine eo námque ipſa terra proculdubiò germinabit tribulos & ſpinas, ſicut indicat maledictio illa, quâ, vt refertur in Geneſi, Dominus eandem propter hominem percuſſit, dicens, *maledicta terra,* &c. Quid ergo faciendum in homine, terrâ etiam, propter quam illa alia fuit maledicta? Germinabit profectò alios tribulos, & ſpinas multò peiores. Quod quidem ſignificat Paulus, cùm ait: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietas, comeſſationes, & his ſimilia,* & addit paulò inferiùs, *fructus autẽ ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas,* &c. Ecce fructus, quos terra, hoc eſt, caro noſtra, producit, hos autem vocat Apoſtolus opera carnis, & non fructus, quia potiùs ſunt opera & labores, quàm aliquid aliud, ſi bene perſpiciantur. Fructus autem ſpiritus tales vocat,

Cap. 3. 17.

Gal. 5. 19.

Verſ. 22.

vocat,quia eiſdem fruimur, & tanquàm præmiis delectamur, & hos producimus, quando aſſumimus *gladium Spiritus, quod eſt verbum Domini*, ſicut ipſe Paulus dixit, & conſcindimus ipſam carnem,quam mortificamus,quando eandem tali ſemine ſeminamus. Eſt ita ad bonam terram bonum ſemen quærendum,ne deficiente ipſo,tribulos & ſpinas producat,quibus mala efficiatur. *Eph.6.12.*

Quódnam ſit iſte bonum ſemen à nobis quærendum, declarat Chriſtus Dominus dicens: *Semen eſt verbum Dei*, & quàm neceſſarium ſit, ex eo vel maximè colligi poteſt,quia Eccleſia meſſis nomine ſignificatur in Euangelio, dum dicitur, *Meſſis quidem multa eſt,operary autem pauci.* Aſſimilatur etiam aceruo tritici, ait enim Euſebius Emiſſenus, *Chriſtianus populus, quaſi tritici innumerabilia grana,à ſacrilegis nationibus fide purgante atque cribrante diſcernitur.* Aſſimilatur denique horto: *Nam*, vt ait Chryſoſtomus, *ſicut in horto ſunt multæ arbores fructum vtilem facientes, ſic in Eccleſia,quæ hortus eſt Chriſti,ſunt multi boni.* Sicut ergo,nec meſſis, nec aceruus tritici, nec hortus eſſe poſſunt ſine ſemine, ſic ſine Eccleſia eſſe non poteſt: Nam *quomodo*, inquit Paulus *inuocabunt eum, in quem non crediderunt? aut quomodo credent in eum,quem non audierũt?quomodo audient ſine prædicãte.* Et paulò pòſt infert, *Ergo fides ex auditu,auditus autem per verbũ Chriſti.* Et ita de tempore primitiuæ Eccleſiæ, quando fuit prima eius inſtitutio, prædictum fuit illud ab Iſaia *Ingredientur impetu à Iacob, florebit & germinabit Iſraël, & replebunt facies orbis ſemine*, quæ Prophetia plenè *Mat.9.37.* *Euſe.Emiſ. hom. 5. de Paſch.* *Cant. 4.5. & 6.* *Chryſ.hom. 19. oper. imperf.* *Simile.* *Rom. 10. 14.* *Verſ. 17.* *Iſa. 27.6.*

nè adimpleta eſt, quando, vt dicitur in actis Apo-
Act.13. 49. ſtolorum, *diſſeminabatur verbum Dei per vniuerſam regionem.* Generatio itaque ſpiritualis, & prima Eccleſiæ productio per Euangelium verbum facta eſt. Quam etiam ob cauſam dixit Paulus,
1.Cor.4. 15. *Per Euangelium ego vos genui,* ac proinde neceſſarium fuit Euangelicum Chriſti verbum ad primam Eccleſiæ productionem, ſed non minùs neceſſarium eſt ad perpetuam ipſius conſeruationem & durationem. Nam Dominus, qui *fundauit*
Pſa.47.9.
Cap.2.19. *eam in æternum,* vt dicitur à Dauide, & ab Ozea, *Sponſabo te mihi fide in ſempiternum,* de medio, quo hanc perpetuitatem obtineret, ipſi optimè prouidit, & illud fuit ſui verbi ſemen, de quo ait Pro-
Iſa.1.9. pheta: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus,* hoc eſt, omninò non eſſemus, quia gratiam Dei non haberemus, de qua dicit Apo-
1.Cor.15. 10. ſtolus, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum,* quaſi aliud eſſe non haberet, quod verum eſſe, eſſet.

Simile. Quemadmodum enim in naturalibus quæ ſibi Deus ineſſe aſſimilauit, vt eadem, licèt reuerà corruptibilia ſint, in perpetuitate aliqualiter ſibi etiam ſimilia faceret, ipſis dedit ſemen, vel ali-
Baſil.
Gen.1.11. quid vice ſeminis, ſicut docet D. Baſilius, deducens illud ex libro Geneſis, vbi dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen ſit in ſemetipſo ſuper terram,* vt mediante ipſo ſemine ſuum eſſe ſaltem in ſpecie conſeruarent, & perpetuum facerent, ſiquidem in indiuiduo, quia corruptibilia ſunt, illud

fieri

fieri non poteſt; quapropter dicitur: *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit poſt ſe;* ſic etiam in ſpiritualibus, qualis eſt Eccleſia, quam Deus fundauit in æternum (nam *portæ inferi,* vt eſt apud D. Matthæum, *non præualebunt aduerſus eam.*) quia ipſa conſtat ex hominibus, de quorum vno quoque dixit Iob, quòd *nunquam in eodem ſtatu permanet,* ac proinde de ſe ſtatim conſumeretur, & periret, prouidit Deus ipſi de optimo remedio, vt conſeruaretur, & perpetua efficeretur, nempè, de ſemine, quod eſt verbum Dei, ſinè quo (vt dictum eſt) ſicut Sodoma fuiſſemus: cùm enim manifeſta ſint opera carnis, de quibus ſuprà diximus, omnis caro corrumperet viam ſuam, atque ideò Gomorrhæ ſimiles eſſemus, neceſſarium igitur fuit & eſt nobis, ſemen verbi Dei. Ecc.30.4. Mat.16.18. Iob.14. Iſa.1.9.

Et non minùs neceſſarij ſunt ſeminatores, ſeu concionatores, qui ipſum ſeminent, de quibus etiam piiſſimus Deus Eccleſiæ ſuæ ſufficienter prouidit ſingulis quibuſque temporibus. Prouidit enim in primis de Apoſtolis, quorum *ſonus exiuit in omnem terram, & in fines orbis terræ verba eorum,* vt canit Dauid, deinde de Ignatio, Polycarpo, Dionyſio, & aliis ſimilibus, deindę etiam de Cypriano, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, & aliis. Prouidit etiam ab ea ætate vſque ad noſtram, de quàmplurimis diuini verbi miniſtris, qui ab ipſo diſſeminando non ceſſant. Non enim eſt talis Deus, qui deficiat in neceſſariis. Veruntamen deficiunt auditores, & *viæ Sion lugent,* vt dictum eſt à Hieremia, eò quòd non eſt qui veniat ad ſolemnitatem, nec ſunt qui ad conciones audiendas Pſal.18.5. Thren.1.4.

conueniant. Oportet igitur vnumquemque ſe diuini verbi auidum & cupidum præbere, ſeque terram bonam & bene præparatam ad tam bonum & neceſſarium ſemen ſuſcipiendum præbere, vt in hac vita, mediante eo, in ipſo producantur fructus gratiæ, ex quibus in alia ſubſequantur fructus æterni gloriæ, quam, &c.

***

HOMILIA IN ILLVM LOCVM LVC. 18. 40.

Stans autem Ieſus iuſsit cæcum adduci ad ſe, & cùm appropinquaſſet, interrogauit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? at ille dixit: Domine, vt videam, Et Ieſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit, & confeſtim vidit.

NOn valdè mirandum fuit, quòd oratio Ioſue viri mirandi, & excellentis Ioſue.10.12
tantam vim habuerit, vt ad illuminandum ipſius exercitum Solem ſiſtere ſtecerit, ſiquidem oratio cæci cuiuſdam prope viam mendicantis, tantam etiam vim habuit, vt Solem iuſtitiæ Chriſtum Deum noſtrum, *qui*, Pſa.145.8
ſicut ait Dauid, *illuminat cæcos*, ad ipſum illuminandum eundem ſtare, ſeu ſiſtere, ſimiliter fecit. Quòd ſi erga Deum præſertim, *ad illuminan-* Cap.1.79.
dum iis, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, vt ait Lucas tanta eſt vis orationis, vt hoc efficiat,

(quia

(quia cæcum eſt genus humanum, quod in parente primo, charitatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur, vt in homilia inquit Greg.) maxima cum fiducia omnes nos, qui eiuſdem generis humani cæci, cæca membra ſumus, ab ipſo Deo vero iuſtitiæ Sole efflagitare debemus, vt hodiernâ die ſtet, nec tranſeat à nobis ſicut noſtra peccata promerentur, imò nos ſuæ gratiæ ſplendore illuminet: id enim adhibitis non vna vnius, ſed plurimis multorum petitionibus abſque dubio faciet, ſi præſertim ſimul adhibeamus ad hoc ipſum interceſſionem Virginis matris ipſiuſmet Dei, dicentes eidem Virgini, *Aue Maria*, &c.

De cæco propè ciuitatem Hiericó illuminato à Chriſto Domino, ait D. Ambroſius, quem D. Hier. in ſua catena refert hoc loco. In hoc autem typus populi gentilis eſt, qui ſacramento dominico recepit amiſſi luminis claritatem. Et accommodatè hoc intelligit doctor ſanctus de populo gentili, qui in omni genere turpitudinis verſabatur, donec filius Dei habitantibus in vmbra mortis ortus eſt, tanquàm Sol iuſtitiæ, & caliginem erroris, & impietatis hominibus offuſam ita diſcuſſit, vt cœperint ipſis oculis videre formam ipſam pulchritudinémque virtutis, & honeſtatis, cuius omnem diſciplinam illis tradidit. Vnde Iſaias dicit, *Fluent ad eum omnes gentes & ibunt populi multi, & dicent: venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulauimus in ſemitis eius.*
Isa. 2.3.
Euidem Propheta ita inducit Patrem cum Filio ſuo

loquen-

loquentem: *Dedi te in fœdus populi mei, & in lu-* *Iſa.42.*
cem gentium, vt aperies oculos cæcorum, & educeres
de carcere vinctum, Et alibi ita ab eodem Prophe-
ta inducitur ipſe Filius Dei de ſe ipſo verba faciẽs:
Spiritus Domini ſuper me, ad annuntiandum man- *Iſa.61.1.*
ſuetis miſit me, vt mederer contritis corde. Et alio lo-
co hoc idem ſignificans ait: *Populus, qui ambulat* *Iſa.9.2.*
in tenebris vidit lucem magnam. Et alibi, *Aperien-* *Iſa.35.5.*
tur oculi cæcorum, &c. Quod non fuiſſe de oculis
corporeis ſolùm prædictum, ex eo conſtat quia
quæcumque Prophetæ diuino Spiritu afflati va-
ticinati ſunt, à corporis conſuetudine ſunt abdu-
cenda, atque ad mentis ſenſum proculdubiò re-
ferenda. Dicitur autem meritò hæc luce, quam
Chriſtus Dominus Sol iuſtitiæ ex ſe emiſit, lux
magna, ſicut à Ioanne dicta eſt *lux vera, quæ illu-* *Cap.1.9.*
minat omnem hominem venientem in hunc mundum.
Quod ſic intelligendum eſt, ac ſi dicamus hanc
lucem de ſe ſufficientem eſſe, vt omnes illuminet,
ſi ipſi eam non effugiant, vel impediant: Nam
qui male agit, odit lucem, vt ait idem Euangeliſta, *Ioan.3.20.*
ac ipſam deuitat vel impedit. Enimuerò Sol quan- *Simile.*
tùm eſt de ſe, quemcumque illuminat, ſed ſiquis
in cubiculũ aliquod alicuius domus ingrediatur,
eiúſquẽ ianuas ita claudat, vt lux per eas non per-
tranſeat, non ipſum illuminabit: totus quidem
terrarum orbis Euangelicæ diſciplinæ notitiam
habet, quòd ſi apud multas eiuſdem regiones, in-
finiti propemodum ſunt ignorantes & cęci, ni-
mirum infideles, id non prouenit ex talis lucis de-
fectu, ſed ex ſuperabundanti vitiorum colluuie,
quæ eiſdem infidelibus ita tenebras offundit, vt
ipſum fulgentiſſimum veritatis lumen nec vi-

deant, nec cognoſcant. Quod idem etiã ſignifica-
Ioan. 1.5. uit dicens: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, quaſi dicat Chriſtus Dominus, ſicut Sol lucidos radios emittit, quibus in fidelium mentes illuſtrari poſſent, ſed ne in eaſdem ipſi radij ingrediantur, ianuas & fores claudunt,
Sap. 2.21. ac propterea de illis dicitur, quòd excæcauit eos malitia ſua. Illuminauit itaque Chriſtus Dominus, tanquàm Sol oculos populi Gentilis, qui in tenebris ambulabat, & cæcus erat extra viam veritatis mendicans, & pauper exiſtens, lumine ipſo veritatis, quòd ſi quàmplurimi, qui ad eundẽ populum pertinent, in tenebris & cæcitate perſeuerarunt, id quidem, ſicut diximus, ex eorundem culpa prouenit. Quapropter in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium, eiicientur, ibíque in ſempiternum miſerabiliter torquebuntur.

Diuus Gregorius, ſicut ſuprà diximus, in homilia ſuper hunc locum, per iſtum cæcum, totum genus humanum, & non ſolùm populum gentilem, ſicut D. Ambroſius, intelligit: ait enim, *cæcum eſt genus humanum, quod in parente primo claritatem ſupernæ lucis ignorans damnationis ſuę tenebras patitur*, quibus verbis ſignificat ex peccato originali, quod in primo parente Adam actuale fuit, cæcitatem in omnes eiuſdem poſteros, in quibus fuit originale, promanaſſe. Quid igitur de ſingulis quibúſque hominibus actualiter peccantibus dicendum erit? De illis quidem ait Sophonias *Am-*
Cap. 1.17. *bulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Quibus verbis peccata cauſam eſſe cæcitatis oſtendit. Ipſi autem cæci eſſe dicuntur, quia non ſolùm luce ad

viſionem

viſionem neceſſariâ, ſed etiam potentiâ ad eandem requiſitâ, quodammodò carent. Id quod Dauid de ſe, poſtquàm peccauerat, ac propterea de omnibus peccatoribus in ſimili ſtatu exiſtentibus, ſignificauit, dicens: *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*, quaſi diceret, Ex eo quòd per peccatum, quod ſine mei cordis aſſenſu committi non potuit, ipſum meum cor perturbatum in eiuſdem peccati ſtatu remanſit, promanauítque tanquàm proprius eiuſdem peccati effectus, quòd virtus mea, hoc eſt, mea videndi potentia me deſeruerit, ac proinde non viderim in quę mala deuenerim. Aquila, vt ceruum occidat, perhibetur in arenam & puluerem ſe conferre, & ibi ſe multùm euoluere, alaſque ſuas puluere ipſo & arenâ adimplere & onerare, & ſuper eiuſdem cerui caput poſteà conſiſtens, illúdque vnguibus tenaciter apprehendens aſtutiſſimè ſuper eiuſdem cerui oculos arenam ipſam & puluerem ita excutere, vt ipſummet ceruum cæcum reddat, quapropter cum quo progrediatur & excurrat, non videat, citò præcipitatur, interficitur, & laceratur, & ab eadem, aquila deuoratur. Quæ quidem ars eſt etiam dæmonis, qui tot ac tam turpes, vanas, & varias cogitationes in hominis intellectum introducit, vt niſi eaſdem diligenter à ſe repellat, antequàm ipſis voluntas aſſentiatur, ipſummet hominem omninò excæcet, & ita cæcus in mille peccatorum præcipitia prolabatur, atque in plurimas inſanias incidens, ad vniuerſam ipſius dæmonis voluntatem adimplendam libenter attrahatur. Quemadmodum ceruus in corporibus

Pſ. 37. 11.

Simile.

Simile.

mortuis, quod primum efficit, eſt eorum oculos frangere, eoſdémque ex illis eruere: ſic etiam dæmon; vbi primum aliquem per mortem peccati, vita gratiæ eſt priuatus, ipſum etiam mentis oculis priuat, illóſque ab eodem quodammodò eruit, ne videat, quibus ærumnis & calámitatibus circumuentus teneatur, nemo quidem ſufficeret ad alligandum, quaſi iumentum Sanſonem, neque eum ad molam poſſet cogere, niſi ipſe oculis priuatus

Simile. prius fuiſſet. Non pateretur ſimiliter accipiter niſi capitio oculos coopertos haberet, ſe in pertica eſſe deuinctum, neque etiam pateretur homo ſe funibus peccatorum ſuorum eſſe circumplexum, niſi mentis oculos ita affectos haberet, vt penitùs non videret, nec iumentum in circuitu antliæ ambulans ex puteo aquam totâ die hauriret, nec venenoſas herbas interdum ibidem ore apprehenderet, imò ab ipſius antliæ ſtrepitu & artificio exterritum longè fugeret, niſi oculos coopertos haberet, atque ideò illis ad videndum quodammodò careret, ad eundem modum impij, qui vt in-

Pſal. 11. quit Dauid, in circuitu ambulant, inſtar iumentorum antliæ minimè paterentur illis bonis carere, quibus propter peccatū carent, & quibus affluenter, ſi peccatum eorum non eſſet, abūdaret, ſi, quia Domino peccauerunt, vt inquit Propheta, vt cæci non ambularent. Verè ergo Regius Propheta de

Pſ. 37. 11. ſe peccatore loquens dixit, *Dereliquit me virtus mea*, &c.

Et verè etiam adiecit, *& lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*, quia lumen illud, quod bonis non deeſt, impiis inter ipſos commorantibus deeſſe ſolet. Inter plagas, quibus Deus, ſicut

cut à Moyſe refertur. Ægyptios puniuit, illa acerbiſſima fuit quædam, nimirum caligo, quâ ipſi operiebantur, ac proinde nullus eorum poterat videre fratrem ſuum, licèt videret Iſraëlitas, qui inter eoſdem Ægyptios commorâtes, eâ luce non carebant, quâ ſe, ſociόſque & fratres ſuos videre facillimè poterant, licèt ipſos Ægyptios non viderent. Quod quidem figura quædam fuit huius militantis Eccleſiæ, in qua pij inter impios ita viuunt, vt pij lucem habeant, quâ tamen impij ſeu peccatores omninò carent. Quod hac ſimilitudine facilè intelligi poteſt, ſi dimidium alicuius templi eſſet luce illuſtratum, & ibi homines aliqui reperirentur, dimidium verò eiuſdem eſſet etiam tenebris opertum, vbi ſimiliter homines aliqui inuenirentur, diſcrimen hoc eſſet inter vtróſque interiectum, quòd in parte lucida exiſtentes non viderent eos qui in tenebroſa exiſterent, cùm tamen ad inuicem ſe ſociόſque ſuos viderent, in parte verò tenebroſa exiſtentes ſe, ſociόſque ſuos videre non poſſent, licèt eos, qui in lucida eſſent perſpicuè intuerentur: ad eundem ſimiliter modum impius ſeu peccator in tenebris & in vmbra mortis ſedens, ſe ſibíque in peccatis ſimiles non videt: vt apertè in eo cernitur, qui ſenſuali turpitudini deditus, neque ſuum maximum ſenſualitatis vitium, neque ſcelera eorum, cum quibus conuerſatur, videt, neque cognoſcit, cùm tamen adeò perſpicaciter quemcumque, licèt minimum, defectum iuſtorum videat, vt meritò de eo dicatur illud Horatij:

Exod. 10. 22.

Simile.

Cùm tua non videas liquidis mala lippus in vndis,

Cur inimicorum viſu tam cernis acuto?

E contrà verò facit pius & iuſtus homo in tenebris minimè exiſtens, ſiquidem cùm ſit in luce, ſuos defectus videt, ſuorúmque ſimilium virtutes conſpicit, nefariorum verò hominum, qui in tenebris exiſtunt, vitia, & peccata, licèt maxima ſint, non intuetur, nec propterea eos infamiâ afficere conatur. Bene ergo Dauid de ſe peccatore di-

Pſ. 37. 11. cebat: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum* (quod eſt cum aliis) *non eſt mecum.*

Simile. Porrò ex cæcis mendicantibus, qualis iſte erat ſecus viam mendicans, quidam gubernantur à pueris conſanguineis ſuis, ſuper quos enixi iter facere ſolent, quidam verò reguntur baculis ſeu virgis, quibus vtuntur, quidam denique deducuntur à canibus coram ipſis progredientibus, qui ipſos per funiculos quoſdam ducunt. Ad quem etiam modum ex cæcis peccatoribus, quidã præſertim ſunt homines Eccleſiaſtici, qui propter ſuos conſanguineos & (quod magis dolendũ eſt) interdum propter proprios filios innumera Simoniæ peccata, & alia auaritiæ ſcelera ſæpe committunt, vt ipſos diuitiis & honoribus cumulent, quibus per comminationem dicitur à Propheta,

Mich. 3. 9. *Audite hæc principes domus Iacob, qui omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in ſanguinibus, propter hoc cauſa veſtra Sion, quaſi ager, arabitur, & Hieruſalem, quaſi aceruus lapidum erit.* Nec immeritò cæci iſti dicuntur, qui nimio ſuorum conſanguineorum affectu, qui inſtar ſanguinis in pupillis oculorum poſiti & effuſi, mentis oculos omninò excæcat, ſi ipſi conſanguinei in eiſdem oculis, per nimiam

nimiam dilectionem portentur, ipſimet tanquàm cæci ambulant, ſinguli vt plurimum ſuper ſingulos conſanguineos enixi, in quibus totam ſuam lætitiam, voluptatem, delicias, & honorem fundant & collocant.

Alij verò cæci, ſunt homines ambitioſi, qui dominandi cupiditate flagrant, & imperandi & gubernandi exercitio extolluntur, & tumefiunt & hi ſunt reges, qui ſceptrum, vel prælati, qui baculum, vel prætores & iudices, qui virgam tanquàm ſuæ poteſtatis inſignia ſecum defferunt. Ad quem modum ſe habent quicumque alij, aliis imperantes, qui talibus ſceptris, baculis, vel virgis percuſſiones cæcorum impingunt, & immaniter percutiunt, quando ſententias ſine conſideratione, & attentione contra alios ferunt, & quando eiſdem ſupplicia imponunt, & alia eiuſmodi inaduertenter, quaſi cæci, faciunt.

Alij denique cæci, quos canes per funiculos quoſdam ducunt, ſunt litigantes, qui per vias quas ignorant, per libellos nempe, contrarietates replicas, & triplicas, & alia eiuſmodi acta ab Aduocatis, Procuratoribus, & Scribis ducuntur conſiliis, & perſuaſionibus, quaſi funiculis quibuſdam. Sed quemadmodũ canes ipſi ſi extra rectam viam aliquid comedendum eis apponatur, ſtatim deuiant & cæcos ſæpe in foueam, vel ſaltem in lutum cadere faciunt: ſic etiam Aduocati, Procuratores, & Scribæ, ſi aliquid eis afferatur, & detur, cæcos litigantes (de quibus dicitur. *Abſtine te à lite, & minues peccata*) inquam plurima mala faciunt ruere, in quæ miſerabiliter prola-

Simile.

Eccl. 28. 10

buntur, quia non bene vident, & male ab ipſis ducuntur.

Non tamen defficiet qui dicat perſpicaciores & prudentiores eſſe filios huius ſeculi, quales sũt peccatores iſti, quos cæcos vocamus, filiis lucis, ſicut dicebat Chriſtus Dominus, & plus ſapere in rebus terrenis, quàm pios, & iuſtos homines, ac proinde ipſis eſſe in viſu intellectus perſpicatiores, miniméque obcæcatos exiſtere. Cæterùm non eſt inficiandum, terrenis in rebus peccatores intellectum habere perſpicaciorem & ſubtiliorem, quàm iuſtos homines, licèt eiſdem rebus terræ, ſeu, quod idem eſt, terrâ ipſâ, ad res ſpirituales & diuinas cognoſcendas, cæcutientes & obcæcati reddantur. Quemadmodum enim ſi quis in oculis terrã habeat, ita cęcus exiſtit vt videre non poſſit lucẽ: ſic peccator, qui nihil aliud niſi terram réſque terrenas in oculis habet, iuxta illud, *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, cæcus eſt ad veritatis lucem cognoſcendam. Refert hiſtoria ſacra, quòd in Tobiæ dormientis oculos ſtercus hirundinum cecidit, vt quòd ideò manſit cæcitate affectus. Cùm autem omnia terrena ſtercora ſint, iuxta illud Apoſtoli, *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora*. hinc fit, quòd ſi in alicuius oculos cadant, ipſe ad cœleſtia cognoſcenda cæcus reddatur. Quemadmodum rurſus Talpa per ſubterraneos meatus progrediens perſpicaciter vidit, id, quod in luce exiſtens facere non poteſt: ſic iniuſtus homo ſe habet in celeſtibus, ſpiritualibuſque rebus, & in terrenis, ſiquidem in his maximâ perſpicacitate pollet, in illis verò, quaſi cæcus exiſtit.

Luc. 16. 8. *Simile.* *Pſal 16. 11* *Tob. 2. 11.* *Phil. 3. 8.* *Simile.* *Simile.*

luce

Et denique ſicut Noctua in tenebris videns, in luce autem cæcutiens eſſe ſolet, quapropter in lege veteri prohibita & vetita fuit eius comeſtio: ſic etiam impius in tenebris, hoc eſt, in rebus humanis de quibus dicitur, quòd *tranſierunt omnia illa velut vmbra*, quæ tenebra eſt, minimè cęcutiunt: in diuinis verò, quæ eiſdem ad æternæ vitæ conſequutionem maximè conducunt, penitùs vidẽdi potẽtiâ carere videntur. Cùm igitur homines in hac cæcitate à peccato prouenière eſſent collocati, Chriſtus Dominus diuinus iuſtitiæ Sol, eiſdem remedium adhibiturus, in mundum venit. Quapropter ad hunc effectum producendum in cæco illo ſecus viam mendicante, ſtetit, & ipſi viſum reſtituit, eiúſque oculos illuminauit. *Leu.11.16* *Sap 5.9.*

Vno autem è duobus modis ſolent eiuſmodi cæci à Deo curari & illuminari: vel enim ipſos proſperitate, vel aduerſitate curat & illuminat, qui duo modi curandi cæcos adumbrati ſunt in ſacris litteris, ex quibus conſtat, cæcum quendam melle, alium verò felle fuiſſe curatos. Refertur enim hiſtoria ſacra, quòd Ionathas *extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in manus & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius.* Et ſimiliter refertur, quòd ſumens Tobias de felle piſcis liniuit oculos patris ſuis, & ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius quaſi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatímque viſum recepit. Ecce quomodo melle proſperitatem dulcedine deſignante, & felle aduerſitatem amaritudine ſignificante, ſanati fuerunt duò cæci, in quibus adum- *1.Reg.14.27.* *Tob.11.11*

brati ſunt duo illi modi curandi cæcos peccatores, quibus ipſos Deus curat, adhibendo nempe quibuſdam ad talem curationem proſperitatem, quibuſdam verò aduerſitatem, quamquidem adhibet, quando proſperitatem non per futuram intelligit.
Pſal.24.4 Eſt enim *dulcis, & rectus Dominus*, vt ait
Pſ.111.4. Pſalmiſta. *Et eſt miſericors, miſerator, & iuſtus*, idē alibi: in quibus locis ſignificatur, quòd priùs ſe benignum & miſericordem, quàm rectum, & iuſtum exhibet Dominus: dat enim quamplurimis peccatoribus bona temporalia diuitiarum, ſalutis & honoris affluenter, & in eiſdem innumera alia beneficia collocat vt ita ipſos illuminet, & cæcitate peccati depulſâ in viſum reuocet, & tamen ipſi nolunt tot ac tantis beneficiis ad ſe redire.
Rom. 2.4. 5. Quamobrem vnicuique eorum dicit Paulus: *in diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius contēnis? ignoras, quòd benignitas Dei*, (per mel deſignata) *ad pœnitentiam te adducit: Secundum autem duritiē tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi irā in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuſque ſecundum opera eius.* Quibus verbis inſinuat, quod in eos, qui benignitate Dei abutuntur, nec beneficiis ab eiuſdem bonitate, & longanimitate promanantibus viſum recipiunt, ſed in cæcitate peccati perſeuerant, rectum iudicium ſuum exercebit, reducendo eoſdem per paupertatem, ægritudinem, famem, & alios labores in cognitionem ſui infœlicíis ſtatus, & vt ita dicam, in potentiam videndi, qua per peccatum miſerabiliter erant orbati & priuati. Ex fame, quæ in terra
imile ex Gen ca. 42 Chanaam fuit factum eſt, quòd Iacob, & filij eius fratrem ſuum Ioſeph propoſitum Pharaonis in

Ægypto

Ægypto inuenerint: ad quem etiam modum pau-pertas huius cæci, qui ſecus viam erat mendicans à tranſeuntibus, in cauſa fuit, vt Chriſtum Dominum, & cum eo viſum, imò & ſeipſum amiſſum inuenerit. Quapropter de ſe in ſimili peccati ſtatu exiſtente dixit Dauid, *Tribulatio & anguſtia inuenerunt me*, vbi dicit, *inuenerunt*, ſignificans ſe eſſe amiſſum ſeu perditum, & non dicit, *offenderunt me in via*, quaſi à caſu ſubierit illam tribulationem & anguſtiam, ſed dicit, *inuenerunt*, quia ab ipſa tribulatione, & anguſtiâ per Deum ordinatis quærebatur tanquàm res perdita, & inuentus fuit mediantibus ipsâ anguſtiâ & tribulatione, quarum felle ſeu amaritudine viſum amiſſum recepit, & illuminati ſunt oculi eius, ſicut etiam felle paupertatis illuminati ſimiliter fuerunt oculi huius cæci prope viam mendicantis. *Pſal. 118. 143.*

Eſt autem hîc maximè ponderandum, quòd petenti cæco à Chriſto Domino tranſeunte, vt ſibi miſereretur, eidem dixit ipſe Chriſtus: *Quid tibi vis faciam?* quaſi dubium poſſet eſſe, an à ſe vellet cæcitatem depelli, & ab illa liberari, & ſanari à Domino, à quo miſericordiam poſtulabat. Sed meritò de hoc dubitari poſſet (licèt non ab eo, qui omnia nouit) nam vt plurimùm cæci, qui ex cæcitate viuunt, (qualis erat iſte, qui prope viã mendicabat, & à tranſeuntibus ſtipem corrogabat) nihil minùs volunt, quàm cæcitatem amittere, ex qua totum ſuum commodum reportant. Ad quem etiam modum pauperes, qui inueterata vulnera habent, quibus ad pietatem diuites mouent, vt ſibi eleemoſynam largiantur, nolunt vulneribus ipſis curari, imò eadem habere & ape- *Simile.*

rire

rire procurant, ſicut & nonnulli ad hoc ipſum filios adhuc puerulos obcæcare dicuntur, quia inde poſteà eos poſſe commodè viuere arbitrantur, quòd ſi filios ad quæſtum cæcos efficiunt, quomodo eos, à cæcitate liberari patientur? Enarrant
Act. 16. 16. ſacræ literæ euntibus Apoſtolis ad orationem, puellam quandam habentem Spiritum Pythonem, quæ quæſtum magnum præſtabat Dominis ſuis diuinando, obuiaſſe, eámque D. Paulum ab illo ſpiritu dæmoniaco liberaſſe, præcipiendo ipſi in nomine Ieſu Chriſti, vt ab eâdem exiret, ſicut ſtatim exiit eâdem horâ, videntéſque dominos eius, quia ſimul exiuit ſpes quæſtus eorum, apprehendiſſe ipſum Paulum, & Sylam, eoſdémque coram magiſtratibus accuſaſſe, quòd populum perturbarent, & nouos mores inducerent. Grauiter itaque & moleſtè tulerunt ſanatam fuiſſe puellam à malo, ex quo commodum depromebant. Quo ſimiliter modo nonnulli impij parentes filios obcæcant, & tam illi quàm ipſi obcæcati ſeu cæ-
Simile. ci, à cæcitate liberari minimè volunt. Sicut etiam meretrices, & concubinæ, vſurarij & fures, qui ex ſuis vitiis & peccatis, & ex cæcitate ab ipſis proueniente viuunt, ſanari remuunt & reſpuunt. De
Iſa. 30. 9. 10. quibus dicit Propheta, *Filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores,* &c. Et hi quidem ſunt, qui nolunt intelligere, vt bene agant quod deſiderant: quia enim, qui malè agit, odit lucem, ipſi cæci eſſe procurant, & lucem ipſam odio habent, quod vt Chriſtus Dominus ſignificaret ita ſæpenumerò euenire, cùm cæcus

iſte

iſte ab ipſo miſericordiam efflagitaret,ab eo quæſiuit quidnam vellet,vt eidem faceret, an ſcilicet viſum,an verò eleemoſynam poſtularet.

Voluit præterea Chriſtus Dominus cæco illi,& quibuſcunque aliis ſanitatẽ in indigentibus ſignificare,aliquid,licèt minimum, eos ex ſua parte facere debere, vt eandem ſanitatem conſequantur, & ita voluit ſuſpirium ab eo audire, quod reuerà emiſit ab ore,cùm dixit, *Domine, vt videam*. Voluit etiam Petrus, vt ille claudus ab vtero matris ſuæ, qui ad portam Speciosam templi eleemoſynam petebat,ſicut refertur in Actis ſaltem oculos *Cap.3.2.* in ipſum,& Ioannem coniiceret, & propterea eidem dixit,*Reſpice in nos*,ad hoc enim vt viſum reciperet cæcus ille, cui in oculis refert Ioannes Chriſtum Dominum lutum adhibuiſſe,ipſe dixit, *Cap.9.6* *Vade ad natatoria Siloë*, &c. Illi denique infirmo, *7.* qui vt enarrat ipſe Ioannes, erat triginta & octo *Cap.5.6.* annos habens in infirmitate ſua, dixit ipſe Chriſtus.*Vis ſanus fieri?* quaſi eidem diceret, ſaltem ad ſanitatem tuam hoc adhibe,quòd ſcilicet eam velis. Itaque ad ſanitatem conſequendam dictum eſt ei,qui claudus pedibus,& manibus erat, quòd ſiquidem oculos habebat, ſaltem reſpiceret, erigendo eos ſurſum, *Reſpice in nos*, ſicut etiam huic cæco dixit Chriſtus Dominus,*Reſpice*,quapropter erigendo eos confeſtim vidit:ei verò, qui cæcus à natiuitate erat, ac propterea reſpicere non poterat,poterat autem pedibus iter facere, dictum eſt, *Vade ad natatoria Siloë*, &c. Si denique, qui tam longinquâ infirmitate indiſpoſitus,& ineptus erat ad cætera omnia ad ſalutem requiſita, dictum fuit, quòd ſaltem haberet deſiderium ipſius, *Vis*

ſanus

Pſ.118.20. *ſanus fieri,&c.quid tibi vis faciam,&c.* Imò quando deſiderium iſtud non habuerit infirmus, habeat ad minus deſiderium huius deſiderij: nam illud nō parum ad ipſam ſalutem proderit. Id quod Dauid ſignificauit, dicens, *concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore*, vbi per *iuſtificationes*, ſalutem, & ſanitatem ſpiritus meritò intelligere poſſumus, quas pius & miſericors Dominus, pro ſua benignitate in nobis, tam parum ad bonum diſpoſitis per gratiam operatur & efficit.

Ioan. 2.7. *Implete hydrias aquâ*, dicebat ipſe Chriſtus, vt nempe aquam in vinum conuerteret, inſinuans ſcilicet, quòd ſaltem noſtram frigiditatem, hoc eſt, noſtra frigida deſideria & opera requirit Deus, vt vinum charitatis in nobis ipſis operetur & efficiat. Qui igitur infirmus vel cæcus per peccatum exiſtit, ſanitatem in primis deſideret, & aliquid ex ſua parte, propter eiuſdem aſſecutionem, faciat, pius enim & miſericors Dominus ipſum adiuuabit per gratiam, per quam etiam in hac vita eidem ipſam ſanitatem donabit, & in alia pro operibus in ipſa factis æternam ſalutem, & illuminationem gloriæ, quam, &c.

***

HOMILIA

HOMILIA IN ILLVM LOCVM MATT. 14. I.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo, & cùm ieiunaſſet, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit, & accedens tentator dixit ei : Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant, &c.

HVIVS itineris quod Chriſtus Dominus, fecit ad deſertum, fuit quidam fœlix & bonus exitus, ſucceſſúſque ex eo ſecutus fuit ſimiliter proſper & bonus, nempe glorioſa illa victoria, quam Chriſtus Dominus, victis etiam tentationibus ad carnem & mundum pertinentibus, de dæmone, omnium noſtrorum hoſtium hoſte infeſtiſſimo, in eodem deſerto reportauit. Idque minimè mirandum fuit, ſiquidem in eo itinere ductor ſeu dux ipſius Chriſti extetit diuinus eius ſpiritus, à quo intelligũt DD. Gregorius & Chryſoſtomus

Greg. hom. in hunc locum. Chryſ. ſup. Matt.
Pſ.142.10.

ſoſtomus, eundem fuiſſe ductum. Et quia optimè cognoſcebat Dauid quàm eximius dux ipſe eſſe ſoleat, dicebat de eo: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, ſeu (vt habet paraphraſis Chaldaica) *in viam rectam*; quia nimirum in quacumque re hominem ducat, eundem bene, ſeu, quod idem eſt, ad bonum & rectum ducit. Quod ſi in quacumque re Spiritus ſanctus bene ducit, in ſpiritualibus quidem, quæ magis eiuſdem ſunt propria qualis erit ſermo à nobis nunc habendus, melius ducat, idque faciet modò dando nobis ipſam ſuam gratiam, hanc ergo vt ex eodem ſermone bonus & fructuoſus ſequatur effectus, à Deo impetrare mandamus, per interceſſionem Virginis eius matris, dicentes ei, *Aue Maria, &c.*

Refertur in hoc capite ſingulare quoddam certamen inter Chriſtum Dominum & dæmonem habitum, ad quod ipſe Chriſtus cum eodem dæmone in deſertum deſcendit, ibidémque de victo & profligato tam crudeli & infeſto hoſte, non minùs ſibi glorioſam, quàm nobis vtilem, victoriam reportauit. Circa quod multa digniſſima, quæ notentur, nobis ipſis conſideranda occurrunt. Primum eſt, quænam fuerit cauſa, quæ tam dæmonem quàm Chriſtũ ad certamen hoc obeundum mouit: ſecundum autem eſt, quare deſertum & ſolitudo, & non mundus, locus huius certaminis extiterit: tertium verò, quomodo vterque in eo ſe geſſerit: quartum denique, quid vterque etiam in eo paſſus fuerit, & qualiter ex eodemmet ipſo euaſerit.

Vt

Vt tentaretur à diabolo, ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum.

IN primis, vt à cauſa quæ dæmonem mouit, vt
Chriſtum Dominum tentaret, exordiamur, ea
quidem fuit ſumma eiuſdem dæmonis ſuperbia:
nam ipſe, qui (vt ait Iob) *eſt rex ſuper vniuerſos filios* Cap. 41.
ſuperbiæ, & (vt etiam alio in loco, *abſorbebit flu-* 25.
uium (nempe genus humanum, quia *nos omnes ſicut,* Iob 40.
aqua dilabimur, quæ fluunt, & nõ reuertuntur, vt di- 18. 2.Reg.14.
cebat mulier illa Thecuitis, & non mirabitur, & 14.
habebit fiduciam quòd influat Iordanis in os eius,
quia ipſum verbum incarnatum per hoc admira-
bile flumen ſignificatum ſperabat fore, vt ſimiliter
ſicut cæteros homines abſorberet. Quia ergo tan-
ta erat eius ſuperbia, tolerare minimè poterat ſe
eam ſaltem partem in eo habere non poſ-
ſe, quam in reliquis quibuſcumque hominibus
habuerat, recordabatur enim nec Adamum pri-
mum omnium parentem, nec Samſonem, nec
Dauidem, nec alios ſimiles robore & virtute viros
ita euaſiſſe ipſius imperium & ditionem, vt ali-
quando ſub eiiſdem non iacuerint proſtrati, ac pro-
pterea moleſtiſſimè ferebat cùm ſolum hominem
(nempe Chriſtum Dominum) ab ipſius poteſtate
eſſe omninò immunem, & talem, vt licèt ipſe eſſet
princeps huius mundi, in eo tamen non haberet
quidquam, ſicut dicitur, & prætereà ferre etiam Ioã. 14. 30
non eumdem ſibi illudere. Quando modò ſe ho-
minem, modò verò ſe Deum eſſe ita oſtendebat,

vt ſuâ magnâ ſcientiâ, ingenij ſubtilitate & intel-
lectus perſpicacitate minimè conſequi poſſet, an
homo mortalis an verò immortalis Deus eſſet: erat
enim reſpiciens per feneſtras, & proſpiciens per
Cant. 2.9. cancellos, vt de ipſo dicebat eius Sponſa. Nam
Simile. quemadmodum qui per feneſtram clathratam,
ſeu clathros ligneos denſos habentem proſpicit in
viam, nec omninò ſe celat, nec omninò ſe manife-
ſtat, ſed ita ſe habet, vt à tranſeũtibus per eã modò
videatur cognoſci, modò verò ignorari, & modò
vnus, modò verò alius appareat: ſic etiam verbum
Diuinũ ſtans poſt parietem noſtram, nempe poſt
humanitatem, illã nimirũ quodammodò celatus &
factus Deus abſconditus ſe manifeſtauit quaſi per
feneſtræ cancellos. Nam quando in eius natiuita-
Luc. 2.14. te Angeli cateruatim canebant, *Gloria in excelſis
Deo*, &c. Deum ſe manifeſtabat, quando verò fri-
goris rigore, & temporis iniuriis laceſſitus vagie-
bat, hominem ſe monſtrabat: quando ſe Samarita-
Ioan. 4.14. næ fatigatum ex itinere & ſiti afflictum repræſen-
tabat, hominẽ ſe oſtendebat, quando verò ſe aquæ
ſalientis in vitam æternam, & ſitim in ſempiter-
num extinguentis, Dominum eſſe dicebat, Deum
ſe ſimul ſignificabat: quando ſe furtim quaſi delin-
quens in domum ſoror Marthæ & Mariæ, vt re-
Ioann. 11 fertur in Euangelio, recipiebat, ſe hominem inſi-
nuabat: quando verò ibidem Lazarum quatridua-
num fratem earum à mortuis ſuſcitauit, ſe Deum
manifeſtè præbebat, quando eum in cruce pen-
dentem dereliquit lumen oculorum eius, iuxta il-
Pſ. 37.11. lud Pſalmiſtæ, *Dereliquit me virtus mea; & lumen
oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*, ſe homi-
nem declarauit, quando verò ibidem cæcum ad
lumen

Digitized by Google

lumen oculorum reddit, vt dicitur Lucas, ſe Deum Cap. 23.
eſſe demonſtrauit: quando denique, vt ad id de quo agimus redeamus, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus abſque vlla cibi ſumptione, ſeu corporis refectione, ieiunauit, ſe Deum innuebat, quando autē poſt hos ieiunij dies eſuriit, ſe etiā hominem eſſe inſinuabat. His ergo & aliis rebus variè ſignificantibus, dæmon in dubitationem adductus, an ipſe homo eſſet, an verò Deus extiterit, illud moleſtiſſimè ferebat, quia ſe illuſum arbitrabatur, atque ideò vt hanc dubitationem à ſe expelleret, & certò ſciret quis nam ille eſſet, eundem ſuis tentationibus aggreſſus eſt in deſerto, ad quod ipſe venit vt ab eodem dæmone tentaretur.

Ductus eſt Ieſus in deſertum, &c. Cauſa verò quæ Chriſtum mouit vt à dæmone vellet tentari, eſt quia cùm, ſicut ait Iob, *vita hominis ſit militia ſuper terram*, & idem ſit illi viuere ad militare, ſicut etiam innuit ipſe Iob, cùm dicit, *cunctis diebus quibus nunc milito, expecto*, &c. inde fit quod idem eſt ſcire militare, ac ſcire viuere, quapropter neceſſarium valdè fuit vt ſiquidem pro vita habent homines militare, haberent etiam magiſtrum, qui eos militare doceret, & iiſdem militandi præcepta traderet. Voluit ergo author vitæ, militiæ etiam, quæ idem eſt cum ea, author eſſe, doceréque quo modo inimici, qui nobiſcum continuum bellum gerunt, à nobis ipſis ſint profligandi. Quod præuidens Dauid à Chriſto Domino in hoc certamine faciendum, dicebat: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*, quia nimirum ipſe, licèt Rex ſe-

Cap. 7. 1.
Cap. 14. 14.
Pſ. 143. 1.

gum,& Dominus dominantium eſſet, non dedignatus eſt per propriam perſonam, hanc hominibus lectionem dare. Refert Xenephon, Cyrum, cùm Perſæ eſſent iac[u]landis de longè arcu Sagittis duntaxat aſſuefacti, eoſdẽ per ſemetipſum docuiſſe de propè ita haſtâ & gladio præliari, vt poſteà maximi Domini totius orbis euaſiſſent, ad quem modum Chriſtus Dominus, tanquàm alter Cyrus, docuit homines, qui adſumunt de longè quaſi arcu, & ſagittis præliabantur cum mundo, & eius rebus, nempe diuitiis & honoribus relinquẽdo & deſpiciendo eos, & configendo eoſdem ſuo contemptu quaſi ſagittâ quadam, & neſciebant nec ſolebant de propè gladio ieiunij & pœnitentiæ præliari, ſcindendo nempe eo ſuam carnem & ſuos effrænatos appetitus; qui vniuſcuiuſque hominis ſunt inimici domeſtici; ac proinde ſui ipſorum domini non euadebant, nec ſibi dominabantur, quòd aliter contigit poſtquàm fuerunt de hac re eruditi à Chriſto Domino, qui dicitur à Dauide habuiſſe gladium & ſagittas ſeu arcum. H[a]betur enim ibidem; *Accingere gla[d]io tuo ſuper femur tuum potentiſſime*, & paulò poſt, *Sagittæ tuæ acutæ*, &c. Et alibi: *Gladium ſuum vibrauit, & arcum ſuum tetendit*, &c.

Xenophon lib. 3. de Cyro maiore.

Pſ. 44. 4. 6.

Pſal. 7. 13.

Cùm itaque ieiunaſſet ita vt eſuriret, gladio pœnitentiæ carnem ſuam mortificabat & ſcindebat, cum verò ei oſtenſa fuerunt à longè omnia regna mundi & oblata, & ea diſpexit, contemptu ſuo, quaſi ſagittâ de longè emiſsâ, eadem percuſſit. Narrat etiam Illiricus in commentariis Cæſaris de bello Africano, ipſum: quia Numidæ militibus Romanis ſui exercitus illudebant, quoniam

erant,

erant rei bellicæ multò minùs periti, eoſdem ſuos milites, cùm eſſet ſummus totius orbis Imperator, tanquàm gladiatorem per ſemetipſum in prætorio traditis præliandi præceptis ita inſtruxiſſe, vt cùm ſæpe poſteà iamiam vincendi viderentur, victores glorioſi euaderét. Quo etiam modo Chriſtus Dominus, ſummus cœli Imperator, ita homines, qui ſpiritualis militiæ erant valdè ignari, in eà erudiuit, vt quando mortui eſſe videntur, eorum vita abſcondita in eodem Chriſto inueniatur, ſicut Paulus docet, & quando infirmiores, & debiliores apparent, tunc fortiores exiſtant, id quod ſignificauit idem Paulus dicens: *cùm infirmor, tunc fortior ſum*, quia (vt ibidem ait) *virtus in infirmitate perficitur.* *Coloſſ. 3. 3.* *2. Cor. 12. 10.*

In deſertum à Spiritu, &c. Secundum circa harum verba conſideratione dignum eſt, quare locus vbi certamen Chriſto cum dæmone ineundum erat, non fuit mundus, ſed deſertum, ſeu ſolitudo, & ratio quidem eius manifeſta eſt: nam quia *quidquid eſt in mundo*, vt ait D. Ioannes, *eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, inde fit, quòd homines (vt ait Petrus) debent eſſe fugientes eam, quę eſt in mundo concupiſcentiæ corruptionem, ne dæmon quando eiſdem bellum infert, contra ipſos à cæteris inimicis, mundo nimirum & carne, iuuamen accipiat, quo ipſoſmet ſibi ſubiiciat, & expugnet. Declinans ergo Chriſtus à mundo ductus in deſertum à Spiritu ſancto, vt ibidem tentaretur à diabolo, docuit, quòd vnuſquiſque debet bellum gerere cum mundo, eum relinquendo, cum carne, eius occaſiones, quæ in eodem mundo paſſim re- *Verſic. 9.* *Ep. 1. c. 2. 16.* *Ep. 2. c. 1. 4.*

perientur, fugiendo, & cum dæmone, eidem fortiter & viriliter reſiſtendo, ſiquidem ab eodem, propter eius velocitatem incredibilem, nemo ſe abſcondere vel effugere poteſt. Refert ſacra pagi-
2. Reg. 2. 17. na, quòd Abner in fugam conuerſus, licèt maximè eum perſequerentur filij Saruiæ, nempe Ioab, & Abiſai, & Aſaël à Ioab quidem, & Abiſai fugiendo euaſit, ſed ab Aſaël, qui curſor erat velociſſimus pedibus, euadere non potuit, quapropter ad ipſum viriliter conuerſus, poſtquàm ipſummet ſine aliis duobus venientem inuenit, eundem auerſi, haſtâ in inguine transfodit, ac proſtrauit. Quâ figurâ ſignificatum eſt, eum, qui tanquàm Abner vult euadere à tribus animæ inimicis, per tres fratres Ioab, Abiſai, & Aſaël. Significatis, à mundo quidem & carne, quos Ioab, & Abiſai figurabant, effugere debere, ab Aſaël verò figurâte etiam dæmonem, qui velociſſimus eſt, euadere ſolùm poſſe, ſi ad ipſum viriliter conuertatur, & eidem fortiter reſiſtat. Ex quibus colligere quicumque poterit, quomodo vnuſquiſque trium ſuorum inimicorum ſibi ſit ſuperandus. Nam mundum quidem is ſuperabit, qui ſe ab ipſo ſegregauerit, vel
Ioan 6.15. certè ſe à rebus eiuſdem ſubtraxerit. Quod Chri-
Pſ. 61.11. ſtus Dominus docuit, quando (vt ait Euangeliſta) populo volente ipſum facere regem, ſe abſcondit, & de mundi opibus peculiariter loquẽs Dauid, ait: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, hoc eſt, ſi fortè fortunâ aliquis maximis opibus ditetur, ſaltẽ cor ab ipſiſmet ſubtrahat, ſi ſe ab eiſdem ſeparare non poſſit, ſeu, quod idem eſt, corde eaſdem fugiat.

Carnẽ verò non ille omninò vincet, qui ei reſi-

terit, & ab eius occaſionibus ſe ſegregauerit, ſed ille qui eaſdẽ valdè effugerit, circa quod ait D. Auguſtinus: *Graue inimicum ſortita eſt caſtitas, cui non ſolum eſt reſiſtendum, ſed demiſſo freno fugiendum longius*, & D. Hieronimus: *Victoria non ſperatur in hoc certamine niſi ex fuga. Nemo ex fortitudine audeat reſiſtere viribus, quoniam niſi fugiat, citò ſuccumbet.* Quapropter, Paulus de hac re agens ait: *Fugite fornicationem*, quod libro de carne, & in explicatione tituli Pſalmi 50. latiſſimè expoſuimus. Auguſtin. Hieronym. 1 Cor. 6. 18.

Dæmonem denique ille profligabit, qui eum ſolum, ſine mundo nempe & ſine carne; hoc eſt, ſine occaſionibus ipſorum inuenerit, & ei viriliter occurrerit, & fortiter reſtiterit. Id quod perſuadebat Petrus dicens: *Diabolus tanquàm leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Et Paulus ſimiliter loquens de tentatione Diaboli ait: *Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & perfecti ſtare.* Et Iacobus: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* Quapropter opinio fuit Origenis, dæmonem ſemel circa quandam tentationem ſuperatum ita fatigari, vt eâdem tentatione ſuperantem iterum non aggrediatur, licèt aliis id facere non deſiſtat. Nec dicatis vos non eſſe tam fortes vt poſſitis dæmoni reſiſtere, ſiquidem, vt ait Iob, *non eſt poteſtas ſuper terram quæ poſſit ei comparari*. nam (vt etiã ait Paulus) *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari vltra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Quod quidem faciet, conferendo gratiæ auxilium de cœlo prouenien s, quo mediante non ſolùm inimici vires diminuuntur, ſed facultas etiã ad reſiſtendum ei hominibus tribuitur. 1. Pet. 5. 8. Eph. 6. 13. Cap. 4. 7. Cap. 41. 24. 1. Cor. 10. 13.

In eo igitur quòd Chriſtus procul reliquerit mundum, in quo carnis occaſiones paſſim inueniuntur, & in deſertum iuerit, vt tentatus à dæmone cum illo ſolo congrederetur, oſtendit mundum & carnem fugâ eſſe vincendos, dæmonem verò reſiſtentiâ eſſe ſuperandum, quando ſcilicet ipſe ſolus, velut alter Aſaël, exiſtat. Quia námque ipſe ſolus, ſine mundi nempe & carnis occaſionibus, parum aut nihil poteſt efficere, conabatur in deſerto carnis occaſio ei non deeſſet, cùm Chriſto Domino dicebat, *Dic vt lapides iſti panes fiant*, vbi etiam conſiderandum eſt non adiecisse, *& comede*, ſeu *manduca*, quia nimirum ſimul fore arbitrabatur fractionem ieiunij per manducationem, & occaſionem ad ipſam per conuerſionum lapidum in panes, quaſi vna ab altera neceſſariò ſequatur; & quia ſimiliter mundus eius opes, imperia, & regna procul erant illa, & gloriam eorum, ipſi Chriſto ſaltem à longè oſtendit & obtulit, vt eorum iuuamine in eodem id efficeret, quod per ſe ſolus minimè poſſit. Quoniã ergo ad hunc modũ Chriſtus Dominus in deſerto cum dæmone congrediens, mundi & carnis occaſionibus procul relictis, nos docuit quomodo eos facilè ſuperare poſſimus, dicebat de eo Dauid id quod ſuprà retulimus, nẽpe, *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum.* (Pſ.143.1.)

Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, &c. In explicatione horum verborum incipiemus exponere tertium illud, nimirum, quo pacto vterque, nempe Chriſtus & dæmon, ſe in hoc certamine habuerint. Et quidem loquens Iſaias cum Chriſto ait, *Sceptrum exactoris eius tu ſuperaſti, ſicut in* (Cap. 9. 4.)

die

die Madian, ſignificās eo modo ſe habuiſſe Chriſtum in certamine cum dæmone inito, & in victoria de eo reportatâ, quo ſe in ſuperandis Madeanitis habuit Gedeon, qui eius figura fuit, vt docent DD. Gregorius & Auguſtinus: nam de eo ſacris literis proditum eſt, quòd militibus à ſe ad prælium electis dedit tubas in manibus eorum, & lagenas vacuas, ac lampadas in medio lagenarum, & dixit ad eos, *quod me facere videritis, hoc facite*, quod idem fuit ac ſi ipſos doceret quòd ſonitu tubarum, luteis vaſibus vacuis, & lampadibus intra ipſa incenſis erāt pugnaturi, & ſi ipſum ſimul in omnibus quæ facere imitarentur, erant ſimiliter victores euaſuri, quod re vera ita contigit. Ad quē modum Chriſtus Dominus infringendo dæmonis impetus diuinâ ſcripturâ dicens illi ter, *Scriptum eſt, nō in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei, &c.* docuit verbo Domini cum dæmone eſſe dimicandum, & ieiunando ad hoc ipſum quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ita vt eſuriret, docuit etiam quòd corpore ieiuno, & à cibo vacuo, quaſi lagenâ quâdam, eſt cum tali hoſte congrediendum, & vacando in deſerto, ſeu ſolitudine orationi, & Dei meditationi, de qua Dauid ait, *In meditatione mea exardeſcet ignis*, quo modo animū igne diuini Spiritus incenſum tanquàm lampadē, habere poſſumus, docuit, tandem oratione eſſe cum eodem hoſte bellum gerendum. Verbo itaque Dei, ieiunio, & oratione, quaſi armis quibuſdam, docuit Chriſtus Dominus eſſe nobis bellum dæmoni inferendum.

Greg. lib. 32. Mora. cap. 30. *Auguſtin. Serm. 108. de Temp.* *Iud. 7.16.* *Pſal. 38.4.*

Et quidem quantùm ad expugnandas dæmonis inſidias conducat verbum Dei, vel, quod idem eſt,

Leo Magnus Serm. 1. de quadrag. Diuina Scriptura; explicat Leo Magnus his verbis: *Dici non poteſt quanta ſit Diuinæ Scripturæ vis, & quàm in omnes caſus latè pateat, ſi modò fides, & pia meditatio non deſit.* Quamobrem D. Gregorius Greg. in Cant. 5. 12. ſuper illud Cantici: *Oculi eius ſicut columbarũ, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima,* dicit, quòd *ideò oculi ſponſi conferuntur oculis columbarum quia quemadmodum columbæ in rupibus* Simile. *iuxta flumina exiſtentes, in ipſorum aquis oculos defixos habent, vt videntes in eiſdem vmbram accipitris venientis ad capiendum eas, ſtatim volando in fugam ſe conuertant, ſic etiam qui ſapiens eſt, mentis oculos in diuina Scriptura, quaſi in flumine pleniſſimo, habet defixos, vt in ea, quaſi in aqua, quamcumque dæmonis fraudem ſeu dolum, tanquàm eiuſdem vmbram, videat, vt ab eo ſapienter declinet, ac liber, ſaluus, & incolumis euadat.* Quod innuens D. Paulus ait; Eph. 6. 16. *In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis, aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei,* de quo etiam ait, quòd Heb. 4. 12. *viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & corporis.* Ex quibus Apoſtoli locis colligitur, quòd ex ſacra Scriptura poſſumus contra dæmonem aſſumere omnium armorum genera, nempe ſcutum, galeam, & gladium, & prætereà, quòd verbum Dei eſt tam viuum, vt eos, qui animum habent penitùs demiſſum, iterum viuificet, & tam penetrans, vt diuiſionem efficiat inter animam, & carnem, ſeu, quod idem eſt, diſſentiri, & nolle id quòd eadem caro concupiſcit aduerſùs ipſam, quod etiam in Dæmonis detrimentum maximè vergit. Quia verò

verbum

verbum Dei ſeu Scriptura diuina tales producit effectus, ideò Dauid dicebat ipſi Deo, *Meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.* Et rurſus, *In mandatis tuis exercebor.* Et iterum, *Quomodo dilexi legem tuã Domine, totâ die meditatio mea eſt.* Et denique impiis ſimiliter dicebat: *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Ex quibus patet, quanta ſit vis Diuinæ Scripturæ, & quàm in omnes caſus latè pateat, ſi fides & pia meditatio non deſit, vt ex D. Leone retulimus.

Pſal. 118. 117. Verſ. 15. Verſ. 97. Verſ. 115.

Quantùm etiam conducat ad ſuperandum dæmonem ieiunium, & abſtinentia à cibo, quæ ſignificatur per lagenas vacuas, ſeu corpus à cibo vacuum, in quo Spiritus incenſus & inflammatus reperiri ſolet, illud explicauit Chriſtus Dominus diſcipulis, dicens illis interrogantibus, quare ipſi non poterant dæmonem à quodam puero expellere: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi in oratione & ieiunio.* Quapropter D. Paulus dicit, *non eſſe nobis colluctationem contra carnem & ſanguinem,* hoc eſt, contra inimicos ex carne & ſanguine conſtantes, qui poſſunt oculis cerni, manibus apprehendi, percuti, & contrucidari, *ſed contra ſpiritualia nequitia, & rectores tenebrarum,* qui nec videri oculis, nec apprehendi manibus, & multò minùs telis confodi poſſunt. Quamobrem bellum cum ipſis geſtum eſt difficillimum. Dicit etiam alibi idem Apoſtolus: *Ego ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo,* quaſi dicat, licèt dæmones inimici mihi infeſtiſſimi ſint ſpirituales, non tamen vt eis bellum inferam, aërem vndique percutio, vt eos crebris ictibus poſſim aliqualiter attingere, ſed verberi-

Matth. 17. 21. Eph. 6. 12. 1. Cor. 9. 26. 27.

bus

bus & ieiuniis corpus meum, ſeu carnem meam affligo, & ita in ſeruitutem redigo, vt dæmonem ipſum contra me nullo modo poſſit adiuuare. Et
Simile. quidem qui ſic ſe habet, non aliter, facit, quàm faciunt viri fortiſſimi, quando in arcibus apud Indos obſeſſi tenentur à Turcis, à quibus cùm arx ipſa oppugnatur, vt eorum impetus retardent & infringant, ſi quos alios Turcas captiuos habent, intra ipſammet arcem eos ferreis vinculis ſummo opere obſtringunt, vt de foris oppugnantes minimè adiuuent, imò ipſi oppugnantes ſuperati remaneant. Ad quem modum quando arx animæ à dæmone impetitur, caro ieiuniis & verberibus ita eſt in ſeruitutem redigenda, vt ipſius iuuamine, idem dæmon non vtatur, ac proinde in eo certa-
1. Cor. 9. 25. mine ab ipſa anima profligetur. Quod ipſe Paulus ibidem inſinuat dicens, quòd *omnis in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*, quia abſtinentia ad victoriam reportandam in hoc ſpirituali certamine maximè conducit.

Debet autem hæc abſtinentia, præſertim à cibo, eſſe talis, vt qui eam per ieiunium habet, eſuriat ſicut Chriſtus, qui eam ieiunaſſet, eſuriit. Nam ſunt nonnulli, qui licèt ſemel duntaxat in die comedant, tunc tamen tanto cibo, & potu ſe ingurgitant, vt cùm ſtomacus ipſorum ea digerere non poſſit, in reliqua diei parte eſurire ſit impoſſibile, & tale ieiunium ad dæmonis pugnare non
2. Tim. 2. 5. eſt legitimum, & *non coronabitur*, vt ait Paulus, *niſi qui legitimè certauerit*, legitimo nempe ieiunio & legitimâ oratione extenuando & mortificando corpus, qualiter Dauid faciebat, qui cùm rex eſſet,
Pſ. 108. 24. ſic ſe ieiunio affligebat, vt diceret, *Genua mea infir-*

ma ita

mata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum. Quæ verba transfert D. Hieronymus dicens, *genua mea vacillauerunt à ieiunio*, quia nempe tale erat ieiunium illius, vt nec pedibus præ debilitate poſſet ipſe conſiſtere. Et ieiunij quidem magnitudinem alia verſio meliùs ſignificat, ſic habens, *Et facies mea immutata eſt abſque oleo*, quia nec oleo, quando ieiunabat, vtebatur, ac propterea eiuſdem facies nimiùm pallida exiſtebat. Iudith etiam, vt in eius libro habetur propterea Olofernem potuit interficere, quia in ſuperioribus domus ſuæ fecerat ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ. Ieiunio itaque ſic animum corroborauit, vt tam crudelem & infeſtum hoſtẽ aggreſſa, ipſum interimerit. Quâ figurâ ſignificatum eſt, animam, quaſi alteram Iudith, dæmonem, quaſi alterum Olofernem facilè poſſe ſuperare, ſi muniatur ieiunio & oratione, quæ per ſecretum cubiculum, in quo clauſa erat, deſignatur, ſicut etiam innuitur hîc per deſertum, in quo ita homo orationi vacare poteſt, vel loquendo vocaliter cum Deo, vel meditando ipſum mentaliter, vt eiuſdem amore, totus illius ſpiritus inflammatus quodammodò incendatur. Nam, vt ait Dauid, 118. *Ignitum eloquium vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud.* Et alibi, *In meditatione mea exardeſcet ignis.* In quibus locis oſtendit quòd tam oratio vocalis, quàm mentalis animum inflammat & incendit, ad ſuperandum dæmonem mirum in modum præparat.

Hieronym. — Cap. 8. 5. — Pſal. 118. 140. — Pſal. 38. 4.

Nec volumus ex his, quæ dicimus, concluden-
dum

dum eſſe, debere omnes eſſe vel monachos, vel
eremi cultores: nam in medio mundi extra ipſum
quodammodò poſſunt exiſtere, quando nimirum
corpore in ipſo habitantes, mente ſimul extra
ipſummet conſiſtunt, Paulum imitantes, qui de ſe
& de cæteris Apoſtolis in mundo exiſtentibus,
Phi.3.20. dicit, *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Quo ſimiliter
Dan.6.10. modo cùm Daniel in Babylone, quæ mundum
ſignificat, habitaſſet, ibi ingreſſus domum ſuam
feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Hieruſa-
lum (vbi erat templum Domini) tribus tempori-
bus in die flectebat genua ſua, & adorabat con-
fitebaturque coram Deo ſuo. Quod idem de ſe
etiam in Babylone, hoc eſt, in mundo exiſtente,
Pſ. 101.8. ſe dicebat Dauid: *Vigilaui, & factus ſum, ſicut paſ-
ſer ſolitarius in tecto*, quaſi diceret, in meis vigiliis
& orationibus, qui priùs ſimilis factus fui Pelica-
no ſolitudinis & deſerti, quando in eo ab vrbe re-
legatus & expulſus habitabam, etiam facturus
ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto, qui quamuis
in vrbe inter tumultuantem populi multitudi-
nem commoretur, tamen tanquam ſolitarius vi-
tam ibi quodammodò remotam & ſolitariam
degit. Ad quem modum qui ſecularis vitæ inſtitu-
tum profitetur, licet illis ampla filiorum & clien-
tum familia impedimento ſit, vt mundum non
omninò relinquant, in eo tamen poterunt vitam
quodammodò ſolitariam & orationi deditam
agere, ſi interdum à ſecularibus negotiis & occu-
pationibus expediti, ipſi orationi vacare volue-
rint, & fecerint ſicut rex Dauid, qui huius ſolitu-
Pſ.54.7 8. dinis deſiderio flagrans dicebat: *Quis dabit mihi
pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. Ecce*

elongaui

elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine, &c. In quibus verbis pennas columbæ petebat, quia ſunt columbæ aues domeſticæ, quæ quamuis in domibus habitent, & procreationi filiorum ſuorum in illis incumbant, velociſſimas tamen pennas habent, quibus ſæpe inde in altum euolant, & interdum ad ſolitudinem, & deſerta loca ſe recipiunt. Quod rex ille ſanctiſſimus ſæpenumerò faciebat, quando cum ſpiritualibus pennis ab occupationibus & negotiis ſecularibus ſe expediens, quaſi ſolitarius eſſet, vitæ coniunctæ orationi & contemplationi certis & determinatis horis ſe totum dabat; vnde patet, non eſſe neceſſarium quòd ſit Monachus aut eremi cultor, qui ita orationi vacare debet, vt eius ſpiritus in ea incendatur: ſufficit enim ad hoc, & ad expugnandum etiam dæmonem maximè conducit, quòd ſit ſicut paſſer ſolitarius in tecto, ſicut explicatum eſt.

Eſurit, & accedens tentator, &c. Vt autem intelligamus quomodo ſe dæmon in hoc conflictu *ſeu certamine habuerit*, audiamus id quod Leo Papa, ſicut refert D. Bonauentura, de eo dixerit, nempe; *Diabolus omnium diſcutit conſuetudines, omnium ventilat curas, omnium ſcrutatur affectus & ibi cauſas quærit nocendi, vbi quempiam viderit ſtudioſius occupari,* Quia verò Chriſtum Dominũ fame cruciatum, & minùs eſurientem, tunc conſiderabat illum; eâ parte aggrediebatur, quâ eundem magis debilem eſſe exiſtimabat, & quoniam hæc eſt Dæmonis diligentia ſolertia, & hac in re vſurpata conſuetudo, ideò de ipſo ſæpe in ſacris literis dicitur, ipſummet circuire, quod idem eſt atque circumue

Bonau. in pharetra, cap. 4.

circũuenire,ſeu decipere,quod hoc ipſum ſignificat.
Cap.1.7. Na in libro Iob interrogatur ipſe à Deo, *Vnde venis?* reſpondit, *Circuiui terram*, &c. vbi Chaldaicus interpres habet, *ſcrutatus ſum in terra*, cùm iterum dixiſſet ad eum.
Verſ.8. *Nunquid conſiderasti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra?* rurſus re-
Verſi.10. ſpondit ei, *Nónne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersámque ſubſtantiam eius per circuitum?* Quæ verba, nempe *vallaſti per circuitum*, ipſum dæmonem eundem Iob circumire inſinuant. Id quod
1.Pet. 5.8. expreſſè ſignificauit D. Petrus dicens, *Fratres, ſobrij ſtote, quia aduerſarius veſter Diabolus tanquàm leo*
Simile. *rugiens circuit quærens quem deuoret.* Et quemadmodum dux arcem expugnaturus illam circuit, & murum & antemurale conſiderat, vt eâ parte illam aggrediatur, quâ eandem videt infirmam, & in ruinam propenſam: ſic etiam dæmon circuit conſiderans, quem circumuenire & deuorare co-
Greg. lib. 29. Moral. cap. 14. natur. Id quod D. Gregorius docet, dicens, Rimatur dæmon debiliora, *vt illâ parte hominem aggrediatur, quâ illum videt infirmum.* Nam vnicuique obiicit illud peccatum in quod ipſum videt ex natura ſua inclinatum ſeu propenſum, & ita ſenibus, quos longa ætas puſillanimes reddit, proponit auaritiam, iuuenibus verò, qui nimis confidentes exiſtunt, prodigalitatem, ſanguineis, vitia carnalia, melancholicis, amaritudines & ſcrupulos, ſapientibus, ſuperbiam, rudibus, ignorantiam, pauperibus, inuidiam, diuitibus, delicias, inferioribus, odium, ſuperioribus, tyrannidem, timidis denique multas obiicit in via Dei difficultates, magna nimis autem perſuadet Deum minora non curare, cui dæmonis aſtutiæ vt occurratur neceſſaria eſt

maxima

maxima circunſpectio, & debet vnuſquiſque diligenter aduertere ſuum ſtatum, ſuam propenſionem,& ſuum peccatum: nemo enim eſt, qui peccatum aliquod non habeat ſibi quaſi peculiare,& domeſticum. Quapropter D.Ioannes Euangeliſta dicebat, *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Et idem inſinuabat Dauid, dicens: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper*, vbi vitium carnale vocat peccatum ſuum, quia illi erat quaſi domeſticum & peculiare, quod ſemper contra ſe eſſe aſſerebat, quia continuum & importunum illi bellum inferebat. Et à talibus peccatis maximè cauere debemus, quod ille faciet, qui (vt docuit Ariſtoteles) ab ipſis in eorum extrema oppoſita declinauerit: ſi quis enim ſe in auaritiam procliuem ſenſerit, conari debet quaſi prodigaliter diuitias ſuas elargiri, vt ita liberalis euadat, & ſic de cæteris. Sicut enim quando nauis periclitatur, quia de ſe eſt in alteram partem propenſa, nautæ ne ipſa pondere, quod defert, ſubmergatur, totum ipſum in aliam partem deducere conantur, vt ita rectâ, & ſecurâ nauigatione procedat, ſic etiam quando aliquis ſe ſenſerit propenſione aliquâ vel ex natura, vel conditione, vel ſtatu, vel conſuetudine promananti, in aliquod vitium peculiariter procliuem aut facilem, nitatur, quantum fieri poſſit, in oppoſitam partem declinare. Quemadmodum enim piſcis iudicatur eſſe viuus, quando contra ictum fluminis enatat, mortuus verò quando ipſius fluxu deorſum defertur: ita etiam anima viuere iudicanda eſt, quando contra naturæ, ingenij, & conſuetu-

1. Ioan. 1. 8.

Pſ. 50. 5.

Simile.

Simile.

dinis inclinationem nititur & opponitur, mortua verò, quando ab illa ſe deferri patitur. Quapropter cùm ſe Chriſtus eſurire ſentiret, ac proinde ad ſumendum cibum ſe conſequenter eſſe propenſum conſideraret, lapides in panes conuertere noluit, licèt id efficere poſſet, vt nos doceret, quomodo nos habere debeamus, quando quâ parte debiliores ſumus, nos ipſos aggreditur dæmon, de

Pſal. 11. 9. quo, & de ipſius ſequacibus dicit Dauid, *quòd impij in circuitu ambulant*, vt ſcilicet circumueniant & decipiant quos deuorare procurant.

Dic vt lapides iſti panes fiant, &c. Ad explicationem quanti, nempe, quid laboris vterque, nempe Deus, & dæmon ſenſerit, & qualiter ex hoc certamine euaſerit, eſt aduertendum, pluris fieri bonum honoris & famæ, quàm bonum vitæ apud homines bene de rebus ſentientes: ſæpiſſimè enim euenit, ſi vetera memoriâ repetamus, vt vitam quàmplurimi profuderint, & amiſerint, ne famæ & honoris detrimentum aliquod paterétur. Nam Cato Vticenſis, vt ab humanioribus literis exemplum primum accipiamus, cùm à Iulio Cæſare victus eſſet, & vitam ab eo propter ſingularem ipſius clementiam certò ſperare poſſet, eam tamen ita contempſit, vt cùm vulnus, quo ſibi mortem conciſcere decreuit, lethale non putaret, illatis manibus viſcera ipſa ruperit, ac tandem diem ſuum obierit, ne ſub nota captiui, & victi eiuſdem

1. Reg. 31. 3. Cæſaris ampliùs viueret & ſuperſtes eſſet. Inuenitur etiam in ſacris literis memoriæ proditum, quòd cùm à Philiſtæis profligatus eſſet exercitus Saulis, ipſe armigero ſuo iuſſit, vt ipſummet interficeret,

ficeret,dicens: *Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me illudentes mihi*, quod facere dum recuſaret armiger,ipſe in ſe manus iniecit, ſibique mortem intulit, plus opprobium ignominioſæ mortis, quàm eiuſdem mortis acerbitatem pertimeſcens. Quòd ſi honor mundi, qui in ſola opinione & vanitate quâdam apud homines conſiſtit tanti ab ipſis æſtimatur, vt pro eius conſeruatione mortem ſæpe obire non dubitent, quid de vero honore,qui in virtute conſiſtit, dicendum eſt. Sacra ſcriptura dicit in perſona Dei, *qui contemnunt me erunt ignobiles*, vt detur intelligi, eos, qui Deum magni faciunt,& non offendunt, nobiles eſſe, & in vero honore conſtitutos. Hunc ergo verum honorem,qui in ſeruiendo Deo, & non offendendo eum,conſiſtit,multò pluris faciūt ſerui Dei, quàm vitam, quam millies profundunt, vt minimum talis honoris detrimentum non patiatur. In Daniele refertur, quòd cùm Suſannæ quidam impudici ſenes mortem minitarentur, ſi cum ipſis non conſentiret,ipſa ingemuit, dicens: *Anguſtiæ ſunt mihi vndiq; ſi enim hoc egero,mors mihi eſt, ſi autem non egero,non effugiam manus veſtras,ſed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus hominum,quàm peccare in conſpectu Domini*. Quòd ſi iuſti tanti faciunt honorem & gloriam non offendendi Deū, quanti ipſum faciet ipſe iuſtitiæ author Deus?qui de ſe ait, *Ego Dominus, & gloriam meam alteri non dabo*, quod de vita nuſquàm dixiſſe legitur. Et quia hunc honorem & gloriam non peccandi tanti facit ipſe Deus, cùm potuerit pati & paſſus,

1.Reg.2. 30.

Dan.13. 22.

Iſa.42.8.

fuerit, & potuerit mori, & mortuus fuerit, non tamen peccauit, nec peccare potuit, & moleſtiſſimè tulit, ſi ipſum aliquis contra hunc eundem honorem ad peccatum committendum prouocabat. Vnde cùm Petrus amore fortaſſe motus eum à morte, de qua habebat mandatum à Patre, prohibere vellet, eidem quaſi irâ incenſus dixit, vt habetur in Euangelio, idem ferè quod diabolo hîc

Matt. 16. 23. dixit, nempe, *Vade poſt me Satana*, quo loquendi modo declarauit, quàm moleſtè ferebat, eſſe ad peccandum ab aliquo contra ſuum honorem prouocatum, quantóque opprobrio & iniuriâ afficiebatur, quando cùm talis & tanta perſona eſſet, ad hoc ipſum à dæmone impudenter tentabatur.

Pſal. 68. 20. *Deus, tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam*, aiebat ipſe per os Dauid, quaſi diceret, loquens cum Patre æterno, tu ſolus Domine, qui cognoſcis quantâ reuerentia meæ perſonæ diuinæ debeatur, & quanto reſpectu digna ſit, cognoſcis etiam quantâ iniuriâ & opprobrio afficior, quando ad vilitatem peccati

Similia. contra te committenda prouocor. Quemadmodum ſi aliquis Comes, Marchio, vel Dux illuſtriſſimus, & Regi vel Imperatori familiariſſimus, prouocetur ab aliquo vili & abiecto homine de perduellione in eundem Regem vel Imperatorem verba faciente, vt contra ipſum proditionis crimen committat, cohiberi non poteſt, quin in hominem ad tale facinus perpetrandũ prouocantẽ ſtricto gladio inuehatur, vt de tali ſibi illata iniuria vindictam ſumat, & temerarius talis tentator intentati dedecoris det pœnas debitas: & quẽadmodum

admodum etiam ſi princeps aliqua clariſſima ab abiecto aliquo & vili homine tentetur, incitetúrque ad committendum ſtuprum, cuius vel ſola cogitatio ipſam facit erubeſcere, & fremere, teneri omninò non poteſt quin vociferetur, & ingemiſcat, & magna acceptæ iniuriæ ſigna demonſtret: ſic etiam diuina illa Chriſti perſona, cum qua nullam aliam comparare fas eſt, quando de grauiſſima in Deum Patrem offenſa, de ſacrilegio, de idololatria, de diabolo adorando, & eidem genu flectendo compellabatur ab ipſomet diabolo, quid ſentiret? quid faceret? quod ſupplicium de tali audacia & temeritate ſumeret? Suſtinuit quidem illam iniuriam & opprobrium in multa patientia propter nos, vt nobis ipſis ſui infiniti amoris ſpecimen præberet: nam multò acerbius illi fuit id quod contra eius honorem tendebat, quàm flagella, & vulnera, quæ eiuſdem vitam expugnabant. Ecce quid laboris, quid iniuriæ, quid opprobrij in hoc certamine paſſus fuit Chriſtus Dominus, ex eo glorioſæ victoriæ compos euaſit, & ad eum acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei, glorioſi tanti certaminis triumphum lætiſſimo plauſu celebrantes. Nam, quemadmodum de eo dicit Paulus, quòd *vidimus Ieſum* propter crucis ignominiam *gloriâ, & honore coronatũ*, ſic etiam hîc dicere poſſumus quòd opprobrium & iniuria ipſi illata à dæmone, fuit eidem via & medium ad talis triumphi, victoriæ, & honoris aſſecutionem, quam ipſi Angeli fortaſſe celebrabant, dicentes illud, *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius*. Et illud, *ſedenti in*

Hebr.2.

Apoc.12.10.

Apoc.5.13.

throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſta, in ſecula ſeculorum.

Dæmon verò in hoc certamine ſuo etiam modo multa acerba tulit: nam fuit eius caput variis ictibus in eodem certamine percuſſum, id quod ſignificauit Propheta, dicens de Chriſto, *Tu per-*
Habac. 3. 13. *cuſſiſti caput de domo impij*. Et Dauid, dicens etiam,
Pſ. 73. 14. *Tu confregiſti capita draconis*, quia de eo dici etiam poteſt, quòd tanquam Hydra Lernæa multa capita habet, hoc eſt multa tentationum genera. Et hoc prædixerat Deus, quando dixit ſerpenti lo-
Gen. 3. 15. quens de muliere quam deceperat, *Ipſa conteret caput tuum*, quia nimirùm de muliere oriturus erat Chriſtus Dominus, qui dæmonem, per ſerpentem repræſentatum, in capite ita erat percuſſurus, vt ipſummet caput eius contereret.

Qualis autem ex ipſo certamine euaſerit, colligitur non ſolùm ex eo quod eius caput fuerit grauiter percuſſum, confractum, & contritum, ſed ex eo etiam quòd de Sennacherib populi Iſraëlitici inimico, & dæmonem ſignificate dicitur, *Po-*
Iſa. 37. 13. *nam circulum in naribus tuis, & frænum in maxillis tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti*. In quibus verbis, gloſſa Gregorij habet, Omnipotentiæ Dei circulum Diabolus in naribus portat, vt cùm bonorum mortem ardentiùs anhelat, ab eorum vita vacuus redeat. Itaque accommodatè illi, qui ſolitus eſt circumire, & in circuitu hominum ambulare, vt eos decipiat & deuoret, circulus in naribus poſitus fuit, quod idem fuit atque frænum maxillis eius adhibere, eiúſque potentiam compeſcere, & immanitatem refrænare, remanſit ita-
que

que eius poteſtas adeò à Chriſto Domino fracta & imminuta, vt non ſolùm Porphyrius, Chriſtiani nominis hoſtis, id aſſeruerit, ſicut refert Euſebius Cæſarienſis, ſed etiam ipſe Diabolus, ſicut ſimiliter refert D. Athanaſius illud idem diuo Antonio primo heremitarum patri apertè fuerit confeſſus. Voluit autem Chriſtus ita eius vires infringere & potentiam imminuere, vt deinceps nemo ſit, qui eidem præ timore non audeat reſiſtere, id quod adeò vehementer poſtulabat Dauid dicens, *Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam*, quaſi diceret, Hanc orationem meam Domine precor vt exaudias, nempe vt me liberes à timore dæmonis inimici mihi infeſtiſſimi, à quo timore oppreſſus, eidem ſæpe reſiſtere non audeo. Reſiſtat ergo fortiter, & conſtanter tam victo, tam profligato, & tam debili hoſti vnuſquiſque, vt ex quocumque certamine cum eo inito victor euadat in hac vita, condecoratus coronâ gratiæ, cui in alia ſuccedit corona gloriæ, quam, (&c.)

Euſeb. Cæſar. lib. 4. prepar. Euang. c. 1.

Pſal. 63. 2.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM MATT. 17. I.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix, &c.

ESI quidem gratia res tam ordinata ad gloriam, vt ipſa gloria abſque ea nullo modo dari poſſit, & hunc gratiæ ad gloriam ordinem & habitudinem ſignificauit Paulus in-
Rom.8.29 quiens, *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* In quibus verbis perſpicuè cernitur ordo, quem gratia Diuinæ prædeſtinationis, vocationis, & iuſtificationis ad gloriam habet: qui ipſe ordo in propoſitis verbis ex Matthæi deſumptis

ſumptis etiam inſinuatur, dum dicitur quòd eos, quos Chriſtus Dominus aſſumpſit, per donum gratiæ, de quo ait Dauid, *Domini eſt aſſumptio noſtra*, nempe Petrum, Iacobum, & Ioannem, & quos duxit in montem excelſum, hos mirâ ſuæ gloriæ viſione, & admirabili ſui ipſius Tráſfiguratione, in eodem monte recreauit, quam etiam ob cauſam ait Dauid *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Et Paulus, *Gratia vita æterna*. Ex quibus conſtat, quòd non solùm ad viſionem Diuinæ gloriæ, hoc eſt, ad poſſeſſionem ipſius, neceſſariò prærequiritur gratia, ſed etiam ad viſionem, hoc eſt ad cognitionē eiuſdem gloriæ, ipſamet gratia omninò neceſſaria eſt: dicitur enim, *Et in lumine tuo videbimus lumen*. Patet igitur, quòd qui de gloriæ cognitione ſumus acturi, vt eius deſiderio inflammemur, maximè indigemus lumine gratiæ, vt eo illuſtremur. Hanc ergo gratiam poſtulemus ab eiuſdem authore, nempe Deo, per interceſſionem eius, quæ eadem gratia fuit plena, quæ eſt Virgine Maria, &c.

Pſal. 88. 9.
Pſ. 83. 12.
Rom. 6. 23
Pſ. 35. 10.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, *Iacobum, & Ioannem, &c.*

DEſcribitur & inſinuatur in his verbis modus quo homines ab hoc abiecto & miſerabili vitæ humanæ ſtatu, poterunt ad æternam cœli beatitudinem aſcendere, qui idem modus innuitur à Pſalmiſta, quando ipſe dicit Deo: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo di-*

Pſ. 83. 6.

ſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Vbi illum beatum fore ſignificabat, qui auxilium gratiæ adeò accipiens in eo vitæ modo, quem ſibi ſequendum elegit, diuino iuuamine aſcenſiones quaſdam, quaſi quoſdam ſcalæ gradus, ædificat, quibus ad cœleſtem gloriæ montem aſcendere poſſit. Quod facit accipiens benedictionem

Pſ. 88 9. gratiæ à Domino, Domini enim eſt aſſumptio noſtra, vt dicitur, quâ benedictione de vna virtute in aliam progrediens, ad æternam beatitudinem ab omni terrena contagione alienam, & ab omni miſeria omninò ſeparatam ſegregatámque tandem

Pſa. 64. 5. peruenit. Quapropter dicitur etiam, *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti*, de eo qui æternæ beatitudinis compos per Dei gratiam euaſurus eſt. Et quòd hæc ſupræma beatitudo & fœlicitas deſignetur per montem excelſum ſeorſum, ad quem Chriſtus Dominus diſcipulos, quos ad hoc aſſumpſit & elegit ex cæteris, viâ acliui duxit, ex eo

Pſ. 23. 3. oſtenditur, quia de ea dixit Dauid, *Quis aſcendet*

Iſa. 56. 7. *in montem Domini*, &c. Et Iſaias, *Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos*, &c. Eſt ipſa æterna beatitudo mons tam altus, & tam purâ & ſerenâ luce colluſtratus, vt ad ipſum minimè pertingant craſſi illi laborum ac miſeriarum vapores, qui ex hac calamitoſa lacrymarum valle

Pſal. 90. 10. continuò exhalantur: veriſſimè námque de eo dictum eſt, *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Porrò

Porrò ex his omnibus colligitur, debere vnumquenque per difficilem & accliuem virtutis viam laborioſum & contribulatum iter, progrediendo de virtute in virtutem, facere, ad hoc vt mediantibus etiam diuinis gratiæ auxiliis, excelſum cœleſtis gloriæ montem ſeu culmen conſcendat, vbi videat Deum Deorum in cœleſti Sion, & transfiguratam humanitatem Chriſti Domini, *in quem* ibi *deſiderant Angeli proſpicere*, ſicut D. Petrus af- *1.Pet.1.12* firmat, id quod planè colligi poteſt ex alio loco ſacræ Scripturæ, vbi refertur, quòd videns Ioannes *Apoc.7.* immenſam & admirabilem omnipotentis Dei in cœlo commorantis maieſtatem & gloriam, & innumerabilem beatorum illi ibidem aſſiſtentium multitudinem diuino quodam ſplendore mirabiliter fulgentem, quodammodò ſtupefactus, vnum de ſenioribus illius ciuitatis ſanctæ Hieruſalem, ciuibus, de admirandis illis rebus quas videbat, interrogauit: id enim videtur ſonare quod ibi dicitur, nempe, *Et reſpondit vnus de ſenioribus, & dixit mihi, Hi, qui amicti ſunt ſtollis albis, qui ſunt*, & vnde *venerunt*? & paulò pòſt addit, datam Sibi reſponſionem, nempe, *Iſti ſunt, qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni, ideò ſunt ante thronum Dei*, & paulò inferiùs adiicit, *Non eſurient, nec ſitient ampliùs, neque cadet ſuper illos Sol, neque vllus æſtus*. Et denique, *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, &c. Ex quibus omnibus verbis, id quod paulò antè dictum eſt ſignificantibus, nempe per virtutem difficultates, per labores, & tribulationes in montem gloriæ, ad quem illæ

non

non attingunt, eſſe aſcendendum, illa ſolùm acerba Ioannis accuratiùs & copioſiùs exponemus, nimirum, *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis qui ſunt, & vnde veniunt?* & illa ipſis reſpondentia, videlicet, *Hi ſunt qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.*

Eſt igitur ſtatim circa illa prima verba quærendum, quare D. Ioannes, qui Iob ſingulare ingenij acumen aquilæ confertur, imò aquila meritò appellatur, tam diminutus fuerit in ea interrogatione? *Simile.* Qui enim de equitibus magno apparatu iter facientibus, & in aliquod oppidum ingredientibus curioſè interrogat, non ſolùm quærit quínam ſint, & vnde veniant, ſed etiam quò vadant, & ad quid vadant: ad has enim omnes interrogationes quas circa Magos poſſet & deberet aliquis efficere, *Matt. 2. 1.* reſpondit Euangeliſta dicens. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.* Et paulò pòſt addit, *adorare Dominum*, quaſi dicat, Si quis quærat, quínam ſint illi homines, ſunt Magi, ſi vnde veniant, ab Oriente venerunt, ſi quò vadant, vadunt Hieroſolymam, ſi ad quid vadant, vadunt adorare ipſum Dominum Ieſum recenter natum. Cur igitur his prætermiſſis interrogationibus illarum tantùm meminit Ioannes, nempe, quínam eſſent & vnde venirent illi qui ſtabant ante thronum Dei? ad quod reſpondendum eſt, multò magis mirandum eſſe, ipſum potuiſſe os aperire ad loquendum, quam diminutum, & minus curioſum fuiſſe ad interrogãdum. *3. Reg. 10. 4.* In ſacris literis enarratur, quòd videns Regina Saba omnem ſapientiam

tiam Salomonis, domum, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum & ordines miniſtrantium, veſtéſque eorum, & reliquum ipſius apparatum, non habebat vltra ſpiritum. Quid igitur mirum, ſi ſpiritum ad loquendum non habuerit is, qui videbat non Salomonis, ſed Dei ſapientiam, & cœleſte ipſius domicilium, & ſublimiſſimum thronum, & infinitam multitudinem beatorum nicantes veſtes habentium, & in diuina illa domo, vbi manſiones multæ ſunt, habitantium, & reliquum magnificentiſſimũ cœleſtis illius curiæ apparatum diuinæ maieſtatis pleniſſimum. Quod ſi vt alibi dicitur, videns ipſe Daniel, Angelum, quaſi quendam virum veſtitum lineis, cuius renes erant accincti auro obrizo, & corpus eius quaſi chryſolitus, & facies eius veluti ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, &c. in tantam admirationem raptus eſt, vt in eo non remanſerit fortitudo, ſed ſpecies immutata in eodem fuerit, emarcueritq; & non habuerit quidquam virium, quid faceret Ioannes videns infinitam ſimilium Angelorum multitudinem, & beatorum turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat? Magis quidem mirandum fuit quòd aliquid tunc loquutus fuerit, quàm quod aliquid interrogatione dignum inter loquendum omiſerit. *Dan 10.5*

Sed nec videtur tunc omiſiſſe aliquid interrogatione dignum: nam quemadmodum ſi quis videret aliquos in ſua patria exiſtentes, & in ſuis domibus commorantes, abs re eſſet ſi quæreret de illis, quò irent, & ad quid irent, ſiquidem in *Simile.*

ſua

ſua patria & domibus erant, non autem abs re eſſet quærere de eiſdem, quínam fuerint, & vnde venerint: ſic etiam abs re videretur Ioannes interrogare de iis, quos in cœleſti Hieruſalem, patria ipſorum, & in peculiaribus gloriæ manſionibus habitantes conſpeciebat, quò, & ad quid irent, quod tamen ſine cauſa non fecit, quærens quínam eſſent, & vnde venirent.

Sed adhuc circa hoc ipſum dubitatio reſtat diſcutienda: nam interrogãs Ioannes de beatis illis, quinam eſſent, videtur ſignificare ſe illos non cognoſcere, cùm tamen inter ipſos eſſet beatiſſima Dei mater, quam multo tempore (quia Virgo Virgini commendata eſt vt ait D. Hieronymus) comitatus fuit, & vndecim Apoſtoli cum cæteris Chriſti Domini diſcipulis, cum quibus etiam fuit diu conuerſatus, & quàmplurimi alij viri ſanctitate præſtantes, quos dum viuerent cognouit: quomodo igitur illos iam non cognoſcit, & de ipſis quærit, *Hi qui ſunt, & vnde veniunt*? Ad hoc tamen facilis eſt reſponſio. Nam quemadmodum quando Chriſtus transfiguratus eſt, ita, ſicut ait hic Matthæus, reſplenduit facies eius tanquàm Sol, vt, ſicut etiam ait Lucas, fuerit facta ſpecies vultus eius altera, ſic etiam adeò in monte cœleſtis gloriæ ſunt viri Sancti transfigurandi, vt iam non qui fuerunt, ſed alteri videantur, & alteræ facies eorum, quia nimirum fulgebunt ſicut Sol. Illi itaque, qui præ nimiâ afflictione, laborum tolerantiâ, & iniuriarum acceptione triſtes, anguſtiati, & melancolici videbantur, cùm diuinæ gloriæ ſplendor eos penetrauerit, hilares, pulcherrimi & lætiſſimi

lætiſſimi exiſtent & apparebunt. Sicut enim nubes,quæ antequàm Sol oriatur,obſcuræ, nigræ,& triſtes apparent,orto iam eodem Sole,à cuius radiis penetrantur admirabilem decorem, & ſingularem pulchritudinem præ ſe ferre videntur: ſic etiam de iuſtis in hac ærumnoſa vita afflictis, & ſplendore Solis iuſtitiæ iam in gloria illuſtratis ratiocinandum eſt. Exiſtent enim in ea vita gloriâ & honore coronati, & (vt aiunt Theologi mirabiliter inſigniti cicatricibus vulnerum illorum, quæ pro Chriſto pertulerunt,quæque ipſos triſtes & diſformes aliquando apparere fecerunt, & per eas vulnerum cicatrices, quaſi per veſtium ſciſſuras,mirus ſplendor, & ſingularis decor, veluti ex aureo thorace, exibit. Miminè igitur mirum fuit, quòd Ioannes etiam ſibi notos, & propinquos nõ cognouerit in gloria, ſiquidem eorum veſtis, color, imò vultus, & facies facta erat altera, & à priori mirum in modum diſſimilis:fulgebãt enim ipſi ſicut Sol, & veſtimenta eorum facta erant alba ſicut nix, quia lauerant ſtolas ſuas, & dealbauerant eas in ſanguine Agni, qui ſanguis igne ſeu calore charitatis decoctus (quale dicitur eſſe lac, quod à Medicis ſanguis calore decoctus diffinitur) quaſi candidum lac dealbare poteſt, id quod ſine ipſa charitate efficere non ſolet.

Simile.

In 4. diſt. 44.

Cùm itaque de his quæreret Ioannes ab vno ex ſenioribus,quinam illi eſſent, & vnde veniſſent, accommodatè eidem reſponſum eſt, ipſos, eos eſſe,qui venerũt ex tribulatione magna,ſeu, quod idem eſt,ex tot ac tantis tribulationibus, vt tota eorundem vita eſſet vna continua tribulatio, quaſi dice

ſi diceretur, per iſta, hoc eſt, per labores & tribulationes ad hæc bona progrediendum, & perueniendum eſt. Id quod Paulus & Barnabas in Lyſtris & Iconia, vt refertur in Actis, prædicabant fidelibus, exhortantes eos, vt in fide permanerent, & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, quam doctrinam priùs tradiderat Chriſtus Dominus diſcipulis in monte, quando eiſdem dixerat, eos beatos eſſe futuros, foréque conſecuturos regnum cœlorum, qui vitam in paupertate, continentiâ, lacrymis, iniuriis, opprobriis, patientiâ, & aliis difficilibus rebus traducerent. Quamobrem qui talis regni coronam ſunt conſecuturi, multas tribulationes ferre, & multos labores tolerare, multúmque elaborare debent, illa ſiquidem ex natura eiſdem non debetur, nec ipſâ naturâ tantorum bonorum hæredes exiſtunt. Nam de ſe dixit ipſe Filius Dei, cui gloria quaſi vnigenito à Patre debebatur, ſicut refertur ab Euangeliſta, quòd oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, quomodò igitur homo ſine laborum patientia intrabit in alienam? Vidit Iacob dormiens, ſicut eſt in Geneſi, ſcalam quandam, eiúſque ſummitati Dominum innixũ, & per eam Angelos aſcendentes, vt nimirum ex ea viſione intelligamus, quòd neque Angelis ipſis conceditur ſine meritorum ſcala ſeu virtutum gradibus aſcendere. Quid ergo de miſeris, & abiectis hominibus dicendum eſt: Per quindecim gradus olim aſcendebatur ad Hieroſolymitanum templum, ad cuius aſcenſum compoſitũ fuit canticum graduum, & per ſex ad thronum Salomonis,

Act. 14. 22.

Matth. 5.

Luc. 24. 26.

Cap. 28. 12

nis,ſicut habet Hugonis Cardinalis gloſſa, vt typicè ſignificaretur nec ad templum cœleſtis Hieruſalem,nec ad Thronum diuini Salomonis nempe Chriſti Domini perfectè transfigurati eundum eſſe ſine aſcenſionibus, gradibus, & virtutum meritis,quæ in bonis operibus, & laborum tolerantia ſeu patientia conſiſtunt. 3.Reg.10.

Stultus quidem, & à mente alienus eſt ille meritò iudicandus,qui cùm aliquod regnum vel imperium eidem iure hæreditatio non debeatur, illud tamen abſque vllo labore ſe fore aſſecuturum & poſſeſſurum ſperat, quâ tamen reputatione dignus non eſſet, ſi ipſummet regnum, coronam, ſeu imperium,fortitudine, induſtriâ, & labore in bello adhibito, ſicut olim Romani Imperatores fecerunt, ſibi comparare conarentur, ad quem prorſus modum ille habendus eſt à mente alienus,qui regno cœleſti, quod eidem ex natura minimè debetur, potiri, & diuinâ eiuſdem coronâ decorari vult,cùm tamen nolit ad hoc ipſum aſſequendum labores & tribulationes perferre, imò non ſolùm hoc ſingularis eſt ſtultitia, verùm etiã eſt ipſâ Luciferi ſuperbiâ, quæ fuit (vt ait D. Anſelmus,& D.Thomas) ipſum Luciferum velle & appetere gloriam(quæ ipſi reuelata eſt) tanquàm debitam ſuæ naturæ, & non tanquàm comparandam promerendámque operibus, quæ ſunt media ad hoc ipſum neceſſaria, & per quæ ad illud idem peruenitur. *Contriti ſunt montes ſeculi*, ait Propheta, *incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Quod dictum eſſe de Angelis malis intelligit D.Bernardus explicans Pſalmum, *Qui ha-* Anſelm. Thom. 1. p.q.63.art. 3. Hab. 3.6. Bernar. in Pſ.90. 1.

bitat in adiutorio Altiſſimi, &c. ideò námque ipſi præcipitati & contriti fuerunt, quia in æternam gloriam ire conati ſunt, & non per eas vias & iti-
Simile. nera, per quæ ad ipſam ire neceſſe eſt. Quemadmodum enim ex ſcintillis à ſilice percuſſo prodeuntibus, illæ quidem quæ ſurſum in altum exiliunt, ſtatim extinctæ pereunt, illæ verò quæ deorſum verſus terram tendunt, viuunt, conſeruantur, creſcunt, & maximè eleuantur: ſic ſimiliter de Angelis dicendum eſt, qui námque ſe humiliauerunt, & per hanc viam ad gloriam conſequendam neceſſariam progreſſi ſunt, ad eam peruenerunt, iux-
Luc.18.14 ta illud Chriſti Domini dictum, *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, qui autem à rectâ viâ aberrantes in ſuperbiam elati, ipſam gloriam propriis meritis adipiſci voluerunt, miſerabili ruinâ in infernum præcipitati ſunt, in qua etiam miſeria illi homines conſtituti ſunt, qui beatitudinem æternam naturaliter appetunt & volunt, mediáque ad ipſam conſequendam à Deo præordinata reſpuunt, ac nolunt, in cœlúmque ſine gradibus, & aſcenſionibus aſcendere præſumunt & conantur.

Homo igitur, qui ſicut Angelus ſe habere non poteſt, faciat ſaltem hac in re, quod Romani Im-
2.Tim.2. peratores imperij conſecutione fecerũt: *non enim*
5.
Verſ.3. *coronabitur*, vt ait Paulus, 2. Thimoth. 2. *niſi qui legitimè certauerit*, quapropter ibidem adiicit, *Labo-*
Apoc. 2. *ra ſicut bonus miles*, quod idem vnicuique ſic dici-
10. tur, *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabitur tibi corona vitæ*, quam quidem ipſe Paulus vocat incor-
1. Cor. 9. ruptam, cùm talis non ſit ea, quam tot ac tantis laboribus homines ſibi comparare conantur: ait enim, *Illi quidem corruptibilem coronam accipiunt,*

nos

nos autem incorruptā, quod diſcrimen inter vtrámque coronam interiectum, apertè colligitur ex illo loco Pſalmiſtæ, vbi de beati corona dicitur, *Poſuiſti Domine in capite eius coronam de lapide pretioſo*, qui inmirum permanens eſt, & à corruptione maximè alienus: ex alio item, vbi de ſua corona loquentes peccatores dicunt, *Coronemus nos roſis antequàm marceſcant*, quod idem inſinuat D. Ambroſius dicens, *Nobis enim non terrenis & marceſcentibus floribus, ſed æternis conſerta gemmis in modum Regalis diadematis ſpiritualis corona ſeruatur.* Peccatores itaque antequàm tribulationem patiantur, coronant ſe marceſcibili coronâ confectâ, nempe ex roſis, quæ facile decidunt & breuiter areſcunt, poſtquàm coronam tribulatio æterna, & nullis vnquam ſeculis interitum illos inſequetur: ibunt enim in ignem & ſupplicium æternum, vt habetur in Euangelio, iuſti autem, vt ibidem dicitur, ibunt in vitam æternam. Ipſi námque iuſti, vt etiam dicitur, *in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſſimum, ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* Quod diadema ſeu corona æterna eſt, cùm tamen tribulatio, poſtquàm tribulationem dari conſueuit, ſit leuis & momētanea, iuxta illud Pauli *quod leue & momentaneum eſt tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis*: nec ſequitur aliqua contradictionis implicatio ex eo, quòd leuis & momentanea dicatur ea tribulatio, ex qua venerunt illi, qui venerunt ex tribulatione magna ad gloriam, quâ perfruuntur. Nam ſi

Pſ. 20 4.
Sap. 2. 8.
D. Amb.
Matth. 25. 46.
Sap. 5. 16.
2. Cor. 4. 17.

ipſa cum eiuſdē gloriæ æternitate cōparetur, mo
Pſal.89.4. mētanea procul dubiò iudicabitur, quia *mille anni ante oculos Dei, tanquàm dies heſterna quæ præteriit,* vt ait Dauid, ſi verò ipſiuſmet tribulationis acerbitas & grauitas comparetur cum ſuppliciorum æternorum acerbitate & grauitate, facilis quidem & leuis habebitur. Propterea igitur de beatis, de quibus dicitur, quòd ſunt *circumamicti veſtimen-*
Apoc.4. *tis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ*, dicitur
Apo.7.14. etiam alibi, quòd *venerunt ex tribulatione magna, & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, & hoc ſimiliter loco dicitur, quòd Chriſtus poſtquàm cum tribus illis diſcipulis Petro, Iacobo, & Ioanne viâ accliui ad iter faciendum difficili & laborioſa ſeorſum in montem excelſum aſcendit, ita transfiguratus eſt ante eos, vt facta fuerit facies eius altera, reſplenduerítque ſicut Sol, & veſtimenta eiuſdem facta fuerint alba ſicut nix.

Et transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol. Voluit Dominus ſui corporis trāſfiguratione & ſplēdore hominibus oſtēdere, quâ veſte & habitu eſſent in cœlo induēdi: ſicut enim (vt ait
Phili.2.7. Paulus) in terris fuit *habitu inuentus vt homo*, ſic etiam homines ipſi diuinis veſtibus, quæ erant albæ ſicut nix, diuinóque ſplendore ſunt in eodem
Phil.3.21. cœlo mirabiliter exornādi: Dominus enim *reformabit corpus humilitatis noſtræ* vt ait ipſe D. Pau-
1.Ioan.3. lus, *configuratum corpori claritatis ſuæ*, quia *cùm ap-*
2.Matth. *paruerit in gloria*, vt dicitur, *ſimiles illi erimus, fulge-*
13.43. *bunt námque iuſti*, vt etiam dicitur ab Euangeliſta, *ſicut Sol*, quâ ſimilitudine inſinuantur illæ quatuor diuinæ dotes, quibus beati ſunt in cœlo condecorandi. Sicut enim Sol habet claritatem, quâ

totum

totum terrarum orbem colluſtrat, & agilitatem, quâ velociſſimè ab ortu vſque ad occaſum mouetur, & ſubtilitatem, qua in intimis terræ viſceribus aurum & lapides pretioſos ingenerat, & impaſſibilitatem, quæ in eo perſpicuè cernitur, quòd licèt per loca valdè immunda tranſeat, non tamen in aliquam corruptionem incurrit: ſic etiã quicumque beatus multò perfectiùs has dotes, claritatem nempe, ſubtilitatem, agilitatem, & impaſſibilitatem habet. Id quod D. Paulus ſignificat ita de illis loquens, *Sic erit in reſurrectione mortuorum, ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione,* (hoc eſt, in impaſſibilitate) ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria (hoc eſt, claritate) *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute* (hoc eſt, in agilitate) *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*, in ſubtilitate, nempe quam habebit) quæ quidem quatuor dotes correſpondebunt quatuor etiam virtutibus, quæ ipſas in hac vita præceſſerunt, prudentiæ quidem, quæ recta ratio agibilium eſt, ac ideò aſſimilatur claritati ipſa claritas, fortitudini autem, quâ homo ſeſe laborum tolerantiæ corruptionis effectrici offerre non dubitat, impaſſibilitas, temperantiæ verò, quâ quiſque redditur ad ſeruiendum Deo facilis, prõptus, & paratus, agilitas, iuſtitiæ deniq;, quę litiũ difficultates, & negotiorum intricationes penetrare & diſſoluere debet, reddendo vnicuique quod ſuũ eſt, ſubtilitas. Vt igitur ſignificaret Chriſtus Dominus diſcipulis, eos eſſe in gloria quatuor his diuinis dotibus exornandos, ſe in ſuæ glorię manifeſtatione, & ſui corporis trãsfiguratione exhibuit reſplẽdentẽ ſicut Solẽ, qui omnes has do es aliqualiter repręſentat,

Simile.

1. Cor. 15. 42. 43. 44.

Ex eo autem quòd Chriſtus Dominus ante eos diſcipulos fuit ita transfiguratus, tam inſperatâ, admirabili,& incredibili voluptate perfuſi remanſerunt, videntes ſe in ſplendore & claritate, eidem
1.Ioã.3.2. quodammodo ſimiles, iuxta illud, *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus*, proximè citatum, vt de ſe & cęteris dixerit Petrus, *Bonum eſt nos hic eſſe*, ſignificans, incredibilia illa bona, quibus tunc fruebatur, ea eſſe quę ſola mentem ſatiare, & cor quietum
Pſ.16.15. reddere poſſunt. *Satiabor* (inquiebat Dauid) *cùm apparuerit gloria tua*, quia nimirum nihil extra ipſam ſatiat. Innumera quidem bona acceperat ipſe de manu Dei, quando ipſummet ex debili puero adeò robuſtum, fortem, & magnanimum virum fecit, vt feroces vrſos, & prodigioſum Gigantem Goliath occiderit, & ex paupere & men-
Pſ.39.18. dico (verè enim de ſe dicebat, *Ego autem mendicus ſum & pauper*) ditiſſimum & potentiſſimum Iſraëlis regem conſtituit, & propterea, dicebat, aliorum etiam infinitorum bonorum tam ſpiritualiũ
Pſ. 102.2. 3.4.5. quàm temporalium memor exiſtens, *Benedic anima mea Domino & noli obliuiſci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & in miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum*, & nihilominùs his omnibus bonis, quibus deſiderium repletum habebat, minimè ſatiatus erat: ſiquidem dicebat, *Satiabor cùm apparuerit gloria*
Pſ.16.15. Simile. *tua*. Sicut enim hydropicus quamuis aquâ ita repleatur, vt plus illius capere non valeat, adhuc tamen ſitit, nec omninò ſatiatus remanet: ſic etiam

licèt

licèt homo quibuſcumque huius vitæ bonis deſiderium ſuum ita adimpleat, vt eorum tædio afficiatur, adhuc nihilominùs verè ſitiens & eſuriens remanebit, quouſque ad ſtatum gloriæ perueniat, in quo exiſtentes Sancti *non eſurient nec ſitient ampliùs*, vt dicitur, quia nempe habebunt illam diuinæ eſſentiæ fruitionem, quæ ſola verus fructus dici poteſt, qualis in rebus humanis nunquàm reperitur, licèt in eiſdem aliqualis delectationis vmbra interdum inueniatur. Quod ſponſa de Deo ſub nomine ſponſi ſignificato inſinuauit dicens, *ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo* quia creaturæ (de quibus dicitur, quòd ſunt velut vmbra) licèt tanquàm arbores infructiferæ poſſint homini aliqualem delectationis vmbram præbere, fructum tamen reddere non valent, ex quo animi ſatietas emanet. Quapropter Paulus de ipſis creaturis ad Romanos verba faciens ait, *Quem fructum habuiſtis ex his in quibus modò erubeſcitis?* Quia ergo de rebus humanis, ex quibus ſola vmbra delectationis reſultat, fructus, qui mentem expleat, carpi non poteſt, inde fit quòd ſolo in cœlo, qui Deo fruuntur, nec ampliùs ſitiant nec eſuriant.

Apo. 7. 16
Cant. 2. 3.
Sap. 5. 9.
Rom. 6. 21

Cùm venerit quod perfectum eſt, inquiebat etiam Paulus, *euacuabitur quod ex parte eſt*, ſignificans quodcumque huius vitæ bonum imperfectum eſſe, nec omninò mentem ſatiare, nec animum quietum reddere: licèt enim adeò in hac vita ei tanta magnitudo reuelationum, vt dicitur, proueniret, vt ne ipſum per ſuperbiam extolleret, valdè metueret, dicebat tamen de ſe, *cupio diſſolui, & eſſe*

1. Cor. 13.
2. Cor. 12. 7.

cum Chriſto,innuens ſe nec talibus etiam ſpiritualibus bonis plenè ſatisfieri, nec quieſcere poſſe. *Simile.* Sicut enim paſſerculus in cauea incluſus, quamuis in ea ab iniuriis temporis,calore nempe & frigore,defenſus,quidquid ſibi velit, habeat, nõ tamen quieſcit, ſed ſemper diſſolui procurat, quia nempe ſuâpte naturâ cupit liberè volitare per aërem, qui eidem eſt quaſi centrum, ita etiam quibuſcumque huius vitæ bonis homo in ea fruatur, in eiſdem tamen non quieſcit, quod quidem minimè mirum eſt,quia(vt inquit Auguſtinus) feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec perueniamus ad te, in cuius nempe conſpectu nobis veniet quod perfectum eſt, & euacuabitur quod ex parte eſt. *August. in confeſ.* *Simile.* Nũquàm profectò vas triangulare perfectè adimpleri poteſt per aliquid rotundum & circulare: ad quem modum nec noſtra anima, quæ quodammodò triangularis eſt,quia tres habet potentias, intellectum ſcilicet,memoriam, & voluntatem, poteſt perfectè adimpleri per totum id quod inueniri poteſt in mundo, qui rotundus eſt & circularis. Quapropter ad hoc vt perfectè & non ex parte adimpleatur, indiget aliquâ re etiam quodammodò triangulari, diuinâ nimirum eſſentiâ, vbi tres diuinæ perſonæ reperiuntur, vnde ad hanc etiam aliqualem gloriæ oſtenſionem diſcipulis factam, quæ eos tam mirabiliter & perfectè recreauit, ipſæ tres diuinæ Trinitatis perſonæ aliqualiter aſtiterunt,Pater quidem in voce,vt docet Hieronymus, Spiritus ſanctus in nube lucida,vt ait Origenes, & Filius in transfiguratione,vt refert Euangeliſta.

Quod

Quod ſi D.Petrus in huiuſmodi manifeſtatione diuinæ gloriæ in hac vita facta, ita lætus, & contentus remanſit, vt propter eam dixerit, *Bonum eſt nos hic eſſe*, quid de ſe diceret, & quid de ſe ſignificaret, ſic in vita æterna diuinam eſſentiam, & tres diuinas perſonas perſpicuè, & clarè videret? Refert ſacra pagina detentas fuiſſe in modum montis aquas Iordanis quouſque Iſraëlitæ ipſum Iordanem in terram promiſſionis tranſirent, quod poſtquàm ipſi fecerunt, eaſdem aquas etiam maximâ alluuione fluxiſſe. Quo quidem accommodatè ſignificatum eſt, quòd dum iuſti, per Iſraëlitas ſignificati, ad terram promiſſionis, nempe cœlum, non tranſeunt, detenta ſunt fluenta gloriæ in modum montis magnitudine infiniti, quæ poſtquàm ipſi in eam terram deſiderabilem tranſierint, mirabili & infinitâ quâdam alluuione fluent. Quod prædicens Iſaias ait, *Tunc videbis & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuũ*, & mirabitur quidem, quia, (vt ait Paulus) *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe*, dilatabitur autem, quoniam vt ait D. Ioannes, *maior eſt Deus corde noſtro*, quod etiam per os intelligit Dauid, quando ait, *dilata os tuum, & adimplebo illud.* Quam quidem promiſſionem & cæteras de gloria in diuinis literis factas, intellexit Dauid, non ſolùm eſſe Deum adamuſſim adimpleturum, ſed etiam vltra eaſdem multò plus facturum, cùm in alio Pſalmo dixit, *Et in verba tua ſuper ſperaui*, quia multò maiora & ampliora dona in vita æterna elargitur Deus, quàm ea quę in hac pollicitus fuit.

Exod. 14. 21.

Iſa. 60. 5.

1. Cor. 2. 9.

1. Ioan. 3. 20.

Pſ. 80. 11.

Pſal. 118. 81. & 1 8.

Cùm

Rom. 8. 18 Cùm igitur, vt ait Paulus, *non ſint condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*, ſiquidem adeò bonum eſt nos in ea eſſe, vt alio bono non indigeamus, bonum arbitremur & tanquàm bonum ſequamur in hoc tempore acceptabili vitæ multa pati, multos labores & tribulationes tolerare, & viâ virtutum difficili & accliui de virtute in virtutem ire, & aſcendere per gratiam, vt videamus Deum Deorum in cœleſti Sion, per gloriam, quam, &c.

***

HOMILIA

Digitized by Google

HOMILIA IN ILLVM LOCVM LVC. 11. 21.

Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.

QVEMADMODVM quando fortis aliquis dux arcem aliquam vel vrbem armis occupauit ſuámque fuit, quibus partibus tanquàm debilioribus & ruinæ proximioribus illam aggrediens ingreſſus eſt, eiſdem ipſam diligentiùs cuſtodire nititur, ne iterum per eaſdem partes ipſammet amittat: ſic etiã dæmon, quẽ hîc Chiſtus Dominus fortem, & armatũ appellat hominem, quem per linguam, aures, & oculos tanquàm per debiliores eiuſdem partes inuadens in ſuam poteſtatem redegit, & occupauit quaſi domum & atrium ſuum cuſtodit claudendo ipſius oſtium, nimirum os, ianuas nimirum oculos & aures, reddendóque eundem mutum in lingua, vt ait D. Lucas hoc loco, & in oculis cęcum, vt ait Matthęus alio, & in auribus ſurdum, vt D. Chryſoſtomus & Theophylactus aſſerunt, ne eundemmet quibus fortaſſe partibus ipſum occupauerat & ceperat, per eaſdem partes amitteret: ſunt enim hę hominis partes, nempe lingua, aures, & oculi in ruinam maximè procliues. Id quod ſacræ literæ de

Simile.

Ca. 12. 22.

ræ de ipſis apertè teſtantur, dicẽtes de lingua qui-
Prou.12. dem, *Propter peccata labiorum ruina proximat ma-*
13. *lo*, de auribus verò, *Caue tibi & attende diligenter*
Ecc.13.16 *auditui tuo, quoniam cum ſubuerſione ambulas*, de
Iob.31.1. occulis denique, *Pepegi fœdus cum oculis meis*, ne
ſcilicet limites rationis vagando tranſirent, vani-
tatémque illam viderent, à qua vt ipſius oculos
Deus auerteret, petebat Dauid ab eodem Deo di-
Pſal.118. cens illi, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem,*
37. *&c.* Solet itaque ipſe dæmon, quando id ſibi con-
uenire iudicat, homines mutos, ſurdos, & cæcos
efficere, & ita non dubium eſt, quin me nunc
conetur facere quaſi vnum de illis concionatori-
Iſa.56.10. bus, de quibus dicitur, quòd ſunt *canes muti non*
volentes latrare, auditores verò ſimiliter nitatur
Luc.8.10. tales reddere, *vt videntes non videant, & audientes*
non intelligant, vt etiam dicitur, quod idem eſt ac
eoſdem ſurditate, & cæcitate afficere. Sed Filius
1. Ioan. 3. Dei, qui (vt inquit Ioannes) *in hoc apparuit, vt di-*
8. *ſoluat opera diaboli*, quique (vt habetur alibi) *bene*
Marc.7. *omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui*, per
ſuam diuinam gratiam, ipſâ quoque gratiâ nunc
efficiet, vt ſicut locutus eſt mutus iſte, de quo in
Euangelio hîc agitur ego etiam, qui quodammo-
dò mutus ſum, quæ debeo loquar, auditores au-
tem quæ vtilia ſunt audiant, & audita accipiãt, &
exequantur, eandẽ ergo gratiam efflagitemus ab
eodem Dei Filio, per interceſſionẽ piiſſimæ ipſius
matris Mariæ, dicentes eidem, *Aue Maria, &c.*
Ca.12.22. *Cùm fortis armatus, &c.* Refert D. Matthæus,
quòd poſtquàm Chriſtus Dominus plurimos, qui
eum ſequebantur, à ſuis morbis & languoribus
curauit,

curauit,oblatus eſt eidem, vt etiam curaretur, homo quidam dæmonium habens, mutus & cæcus, qui ſimiliter ſurdus exiſtebat,vt D.Chryſoſtomus arbitratur, & quòd ab eodem curatus eſt, circa quam dæmoniaci homines hiſtoriam duo præſertim operæpretium erit conſiderare. Primum eſt, quare Deus permiſerit illum ſic à dæmone corporaliter affligi, vt nec loqui,nec videre, nec audire poſſet, præterquam quòd eundem ſuarum fraudum & tentationum armis ſpiritualiter vulneratum, ſuaque fortitudine valdè proſtratum haberet. Secundum vero eſt, quare ipſe dæmon eundemmet hominem ita afflixerit, tenuerit, & tanquàm atrium ſuum cuſtodierit, quod de quibuſcumque aliis infirmis, & malè à dæmonio vexatis quæri ſimiliter poterit?Et quidem, vt primum illud intelligatur,ſciendum eſt, hoc eſſe diſcrimen inter ſpirituales morbos, quales ſunt peccata,& corporales,quales ſimiliter illi ſunt, quos infirmi patiuntur.Quod ad hoc vt corporales cognoſcantur,opus eſt vt priùs doleat, ſicut patet in podagra,& pleuretide,quarũ hæc per laterum,illa verò per talorum dolorẽ deprehẽdi & manifeſtari ſolet.Ad hoc verò vt ſpirituales morbi,quales ſunt culpæ & peccata,doleãt, & per dolorem curẽtur, neceſſe eſt vt priùs ipſorũ malitia grauitaſque cognoſcãtur.Ideò namq; impij peccatores de peccatis ſuis nec dolẽt nec pœnitẽt, quia nẽpe cæcitate per ipſa peccata inductâ affecti, ea nõ cognoſcunt nec deplorãt.Propterea igitur permittebat Deus, vt hominũ corpora à dæmone morbis vehemẽter affligerẽtur,vt ipſorũ animi per ea,quæ ſenſu didicerunt, *Simile.*

cerũt,ſurgerent ad incognita, quæ non nouerant, ſeu,quod idẽ eſt, vt per corporales morbos quos experiebantur in corpore ſpirituales, nempe peccata,quibus anima magis affligitur,cognoſcerent, atque cognita ita dolerẽt & deplorarẽt, vt ab illis, vnico hoc remedio adhibito,ſalubriter curarẽtur, vnde planè colligi poteſt peccatũ eſſe quendam grauiſſimũ morbũ tantò magis periculoſum peccatoribus,quantò minùs cognitum ab ipſis,remediúmque & medicamen eiuſdem à cognitione ipſius debere incipere, vt ab eodem morbo per dolorem & gemitus liberentur.

Porrò grauiſſimus iſte peccati morbus, in quẽ anima fortis & armati dæmonis armis vulnerata peccando deuenit, ex eo procedit quòd ipſa ex ſtatu cœlo multò ſuperiori,nempe ex ſtatu diuinæ gratiæ, quæ participatio quædam eſt diuini eſſe, cœlum ipſum infinito exceſſu ſuperãtes cadit miſerabili ruinà in ſtatum alium inferno multò inferiorem,nempe in ſtatum peccati ſeu culpæ,omnia

Pſal. 85. 13. mala pœnæ, quibus damnati apud inferorum regionem cruciantur, mirum in modum excedentes,id quod ſignificauit Dauid dicens Deo, *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*, hoc eſt,ex ſtatu, ſeu loco inferiori ipſo inferno, nempe ex ſtatu peccati.

Qui caſus, vt quantus & quàm miſerabilis ſit meliùs intelligatur, oportet etiam aduertere pec-

Pſal.37.5. catum maximum pondus habere, & vehementer grauitare de quo Dauid conquerebatur dicens,

Iſa.1.4. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*, propter quod

etiam

etiam Iſaias gemitus emittebat dicens, *Væ genti peccatrici & populo graui iniquitate.* Et non ſolùm efficit iſtud grauiſſimum peccati pondus, vt ſit maior & miſerabilior peccatis caſus & ruina, ſed hoc ipſum magis efficit ipſa fortitudo dæmonis, qui quaſi horridum fulmen ſuper eundem peccatorem cadit, quando ille cadit, iuxta illud, *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*, ac ipſius animam maximè conterit, licèt illa contritio in corpore minimè percipiatur. Quemadmodum enim quando fulmen corpus aliquod humanum percutit, ipſum in cinerem redactum ſæpenumerò relinquit, cùm tamen omninò intactum illud aſpicientibus appareat: ita ſimiliter quando fortitudine dæmonis tanquàm fulminis homo peccans percuſſus eſt, tam contritus & dilaceratus, tum ex ſuo caſu, tum etiam ex percuſſione dæmonis ſuper ipſum cadentis remanet, licèt talis non appareat, vt dignus ſit qui deploretur lacrymis Hieremiæ, de tali animæ contritione & dilaceratione dicentis, *Deducant oculi mei lacrymas per diem & noctem, & non taceant, quoniam contritione magnâ contrita eſt filia populi mei plagâ peſſimâ vehementer.* Quæ verbum multiplicatio, quanta ſit animæ contritio & dilaceratio, patenter oſtendit, quam tamen ſi peccator ſimilibus lacrymis non deplorat, id ex eo prouenit, quia (vt dicitur de quodam peccatore) miſer, & miſerabilis, & cæcus ita exiſtat, vt non videat nec cognoſcat ſuam maximam miſeriam & calamitatem, quam in ciuitate peccatrice Hieruſalem exiſtentem deplorauit Chriſtus Dominus, quando, vt refertur

Luc. 10. 18.

Simile.

Hier. 14. 17.

Apoc. 3. 17.

fertur ab Euangeliſta, videns eam, hoc eſt, aſpiciẽs & conſiderans illam maximâ colluuione ſcelerũ refertam, & tantis cæcitatis tenebris inuolutam, vt neque ipſa ſcelera deploraret, neque remedium quod ipſis adhibebatur acceptaret, fleuit ſuper il-
Luc. 19. 42. lam dicens, *quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*, &c. In quibus Chriſti Domini lacrymis, & ratione earum quam aſſignat, nempe, *quia ſi cognouiſſes & tu*, quæ ſcilicet ego cognoſco & video, perſpicuè cernitur, quòd cauſa peccatorum ciuitatis illius perditiſſimæ erat cęcitas, ignorantia, & defectus cognitionis eorundem, & remedium ipſis neceſſariò adhibendum erat, in primis ipſorum viſio, cognitio, & conſideratio. Quamobrem oportet vt quicunque homo in peccati morbo exiſtens, ſi vitam, ſalutem, & quæuis alia bona ſpiritualia comparare, & ab eiuſdem peccati malis eripi velit, nitatur quantùm potuerit, cæcitate & ignorantiâ depulsâ, ſuam infirmitatẽ, & mala cognoſcere: cognito námque infœlici & abiecto ſtatu in quem proiectus eſt, intellectâ laſſitudine, laceratione, & contritione qua affectus eſt, comperto denique pondere & grauitate quibus opprimitur, fieri non poterit, quin eodem pondere & grauitate preſſus, gemat, malitiâ & reatu commotus pœniteat, & tanti caſus contritione dilaceratus, dicat illud Auguſtini: *Heu me, de quanto*
Auguſt. Medit. ca. 38. *bono in quantum malum cecidi? quò tendebam, & quò deueni? vbi ſum, & vbi non ſum? ad quem*
Idem Soliloq. cap. 6. *aſpiraui, & nunc in quibus ſuſpiro?* Et alibi: *Væ mihi,*

mihi, vulnerauerunt me, & non ſenſi, quia nihil eram, quia ſine vita eram, quæ eſt Verbum, per quod facta ſunt omnia. Et paulò pòſt de ſuis inimicis, nempe de dæmonibus loquẽs ait: *Ibam poſt eos cæcus & nudus, & laqueatus funibus peccatorum.* Quibus verbis ſuum caſum, ſuam lacerationem, ſuam infirmitatẽ, & ſuam cæcitatem ſignificat, ſuiſq; lacrymis & gemitibus ſimul oſtendit, quam iam de ſuis malis cognitionem haberet, & quomodo ipſis remedium adhibere conaretur.

Cæterùm huius eiuſdem rei priùs Dauid illuſtre admodùm exemplum præbuit hominibus imitandum: nam cùm laboraret mortifero illo peccati morbo in quem inciderat per ſpatium vnius anni, ſine eo quod ipſum cognoſceret, licèt optimus ſimilium morborum medicus eſſet, miſſus ad ipſum, vt ex *2. Reg. 12.* colligitur, alius etiã medicus, nempe Propheta Nathan, vt eundem viſitans ſimul curaret: ſicut enim quando in aliquo oppido duo ſunt *Simile.* medici, ſi vnus in morbum incidat, opus eſt vt ab alio curetur, quia ſeipſum curare neſcit, nec valet, nec debet, cùm hoc eidem ſit iure canonico prohibitum, quoniã poſſet phreneſi laborare, & aliquid mortiferum ſibi applicare: ſic etiam ex duobus illis ſpiritualibus medicis in ciuitate Hieruſalem habitantibus, Dauid nempe, & Nathan Prophetis, viſitauit Nathan Dauidem laborantem grauiſſimo quodam peccati morbo, quem tanquàm cæcus & ignorans minimè cognoſcebat, & propoſitâ parabolâ Deone ſatis notâ, ſicut loco citato patet, ipſum in culpæ cognitionem ita adduxit, vt dolens dixerit, *Peccaui Domino*, cognitóque peccato contra Dominum commiſſo, compoſuerit Pſalmum quin-

quageſimum, quem incœpit maximum gemitum emittendo, dicens, *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam*, cuius gemitus cauſam paulò pòſt aſſignat, inquiens, *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco,& peccatũ meum contra me*,&c.& inferiùs, *Domine Deus ſalutis meæ, libera me de ſanguinibus*,quaſi diceret illud,*Domine Deus ſalutis meæ* nunc tandem ſcio,& cognoſco me eſſe ægrotum,& periculoſiſſimo ſanguinis morbo laborare, precor te vt me ab eo cures & liberes. Quòd verò per nomen,*ſanguinibus*,peccatum, & præſertim peccatum carnis,ſignificetur, patet ex Propheta, vbi de eo dicitur,*Et ſanguis ſanguinem tetigit*;& ex Euangeliſta, vbi etiam dicitur, *Qui non ex ſanguinibus,nec ex voluptate carnis*:& ex Apoſtolo, vbi habetur, *Caro & ſanguis regnum Dei non poßidebunt*. Accommodatè autem peccatum per ſanguinem ſignificatur, quia ſicut ipſe ſanguis inter cæteros humores maximè corpus deturpat,ſic peccatum inter cæteras res animam coinquinat.

Oſe.4.2. *Ioã.1.13.* *1.Cor. 15. 50.*

Cùm ergo peccator morbo ſanguinis laboraret, vt ab eo curetur, neceſſe eſt vt ipſius vena aperiatur & ſcindatur,támque corrupti & venenoſi ſanguinis fiat ab eo emiſſio. Eſt autem *os iuſti vena vitæ*,vt dicitur à Salomone, quæ tunc aperitur, & venenoſus ſanguis emittitur,quãdo aliquis ſuum peccatũ confitetur. Dicit enim Gregorius, quòd peccati virus ſalubriter aperitur in cõfeſſione, quod peſtiferè latebat in mẽte. Vnde fit,quòd ſi aliquis tanquã mutus non aperiat os ſuum ad hoc ipſum, vt dicitur *Pſal.37*. omninò à remedio deſtituetur. Ad quam miſeriam inſinuandam Chriſtus Dominus,cùm (vt refertur à D.Marco)ei adduceretur quidam mutus, inge

Prou. 10. 11. *Gregor. hom. 40.* *Ca. 7.32.*

ingemuit; cúmque hic dæmoniacus ſimul eſſet ſurdus, vt ait Matthæus, & cæcus, vt aſſerit Chryſoſtomus, dicitur à Luca mutus duntaxat, vt nempe oſtenderet miſeriam ipſius in eo quòd mutus eſſet maximè conſiſtere. Neceſſe eſt ergo quòd aperiatur os tanquàm vena vitæ, vt tam peſtifer ſanguis emittatur, & non quòd quomodolibet aperiatur, ſed quòd bene aperiatur. Sicut enim cùm non bene *ſimile.* ſcinditur vena, nec bene aperitur, licèt aliquis ſanguis per eam emittatur, nimirum ſubtilis & colatus, non tamen emittitur ille qui putridus, corruptus, & morbidus eſt; ſic etiam ſi quis aperto ore, hoc eſt, clarè & diſtinctè, & cum omnibus circunſtantiis requiſitis peccata ſua non confiteatur, ſed vel ipſa, vel ipſorũ circũſtãtias ſilentio prætermittat, nõ euadet ex tali ſanguinis emiſſione ſanus, imò ægrotus remanebit. Quod ipſe Dauid reformidãs, poſtquàm ſe morbo ſanguinis ægrotare ſignificauit dicens Deo, *Libera me de ſanguinibus*, paulò pòſt ab eodẽ *Pſ.50.16.* ſuppliciter efflagitauit vt ſibi labia aperiret, dicens, *Domine labia mea aperies, & os meũ*, &c. Et alibi: *Nõ* *Verſ. 17.* *declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas ex-* *Pſa.140.* *cuſationes in peccatis.* Qui enim excuſationibus in *4.* confeſſione vtitur, in tali ſanguinis emiſſione ſanguinem colatum, & non ſanguinem putridum emittit, quia non bene aperit os, ſeu venam vitæ, ad illud emittendum. Quapropter dicebat ipſe Dauid de ſe, quòd attinet ad ſui peccati excuſationes, *Obmutui,* *Pſal.38.* *& humiliatus ſum, & ſilui à bonis*, quaſi diceret, Ita *3.* obmutui in reddendis mei peccati excuſationibus, vt illas etiam, quæ bonæ ad illud extenuandum videbantur, ſilentio prætermiſerim. Poſſet enim dicere ſe nunquàm quæſiuiſſe videre Berſabæam, ſed à

caſu & fortè fortunâ eam vidiſſe; nec hoc ſibi contigiſſe dum per vias otioſè vagaretur, ſed dum in ſolario domus ſuæ paulisper ad aliqualem recreationem ſumendam ambularet; poſſet rurſus adiicere ſe vidiſſe eam, quæ pulchra nimis erat, nudam lauãtem ſe, quæ omnia cuiuſcunque cupiditatem poſſent irritare, & in Venerem, ſuppoſitâ humanâ fragilitate, vnumquemque, licèt fortem, procliuem reddere. Nec ſe voluiſſe mortem Vriæ, quem accerſiri iuſſit, vt in ea occaſione habendo rem cum Berſabæa ſua vxore iam prægnante arbitraretur ipſam ex ſe concepiſſe, & quoniam ipſe Vrias noluit ad domũ ſuam ire, nec propterea cum ipſa vxore rem habuit, ne peccatum tanti Regis, & Prophetæ detegeretur, & illud ſcientibus in ſcandalum & ruinam eſſet, ſe etiã iuſſiſſe, vt ſecretò occideretur. Quod cùm ita fieri nõ poſſet abſque aliorum multorum occiſione, ideò eiuſdem occiſionis multorum cauſam conſequẽter fuiſſe. Hæc, & alia poſſet Dauid in ſui peccati excuſationem, & extenuationem dicere Prophetæ Nathan, quibus tamen omiſſis, apertè & diſtinctè eidẽ
2. Reg. 12.13. dixit maximo gemitu emiſſo, *Peccaui Domino*: &
Pſal. 50. 6. alibi ipſi Domino, *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*, vbi alia tranſlatio habet, *Tibi tibi ſoli peccaui, & grande malum coram te feci*; & cùm ſic loquutus fuiſſet mutus, venam vitæ, nimirum os, in confeſſione ita aperiendo, à medico Nathã audiuit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te*, quaſi diceret, Qui talem ſanguinem per venam emiſit, iam ſanus factus, & tu ſimiliter tali ſanguine emiſſo à morbo omninò liberatus exiſtis; vbi etiam ponderanda eſt illa coniunctio, *quoque*, quando dictum eſt, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum a te*: innuitur enim
per

per illam, quòd nec ſolus homo, nec ſolus Deus peccatum emittit: ſed homo, & Dominus quoque ſimul cum illo hoc ipſum facit. Quia ergo in ægroto homine, qualis erat iſte dæmoniacus, tam neceſſaria eſt ad ſalutem emiſſio tam venenoſi & talis ſanguinis, quale eſt peccatum, ideò dæmon fortiter cuſtodit oſtium ipſius, hoc eſt, os, ſeu venam vitæ, per quam ipſa emiſſio fieri debet; at hanc dæmonis cuſtodiã, quæ etiam ad aures & oculos dæmoniaci pertingebat, permiſit Deus in eius corpore, vt per eam cognoſceret illam quæ erat etiam in anima, cognitámque deploraret, & gemitibus proſequeretur, vt tandem ſanus euaderet.

Cauſam autem propter quam dæmon ſic cuſtodiuit hominem illum, & in eo tanquàm in atrio ſuo habitauit, eſt, quia corpus hominis, qui in peccato exiſtit, eſt domus, ſeu habitaculum dæmonis, & eſt ſimul carcer animæ eiuſdem hominis. Sicut enim (vt ait Auguſtinus) eadem domus ſolet eſſe habitaculum vnius hominis, nempè cuſtodis, & carcer alterius, nempe eius qui vinctus tenetur in eo, vt patet in vnoquoque carcere, & in vinctis, cuſtodibúſque ipſius: ſic etiam idem corpus peccatoris, quod habitaculum eſt dæmonis, qui ipſum cuſtodit, miſerrimus animæ peccatricis carcer ſimul exiſtit. Referunt Diuinæ literæ, Regem Salomonem præter domum Regiam, quam in ciuitate Hieruſalem habebat, aliam quandam in ſaltu ædificaſſe, quæ eidẽ ad recreationem inſeruiret. Quo figuratũ eſt, diuinum Salomonem, nempe Deum, præter regale palatium, quod in illa, quæ ſurſum eſt Hieruſalẽ, nempe in cœlo, habet, vbi ſupremum eiuſdẽ ſolium eſt, domum quandam deliciarum & recreationis in ſal-

Simile ex D. Auguſtino.

tu huius mundi ædificaſſe,hominem ſcilicet,de quo
Prouerb. 8. 31. ait quodam loco, *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominũ,*
& hanc recreationis domum Diuina ſapientia ſibi
ædificauit. Cùm igitur vnuſquiſque homo domus
1. Cor. 3. 16. & tēplum ſit Dei, iuxta illud Pauli, *An neſcitis quia*
templum Dei eſtis? maximè miſerandum eſt, quòd
ipſum, ſi peccator exiſtit, dæmon tanquàm atrium
ſuum cuſtodiat, & quòd omnia, quæ in eodem ſunt
pacificè ita poſſideat, vt de dæmone in ipſomet ha-
Luc. 11. 21. bitante verè dicatur, *In pace ſunt omnia quæ poßidet.*
Et hanc calamitatem & miſeriam videtur deploraſſe
Pſal. 78. 1. Pſalmiſta, dicens; *Deus, venerunt gentes in hæredita-*
tem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, & po-
ſuerũt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Templum
enim & hæreditatem Dei, nempe hominem, poſt-
quàm dæmon ſuum facit, eius animam, per Hieruſa-
lem ſignificatam, cuſtodit quaſi poma in horto ſuo;
vbi quando ad maturitatem magis peruenerunt, di-
Simile. ligentiùs cuſtodiuntur. Sicut enim quando aliquis
hortum habet, dum arbores floribus virent, vel ea-
rum poma ad maturitatem non perueniunt, nõ mul-
tum curæ in ipſo cuſtodiendo ponit, aliter tamen
facit quando eiuſdem fructus ad ipſam maturitatem
peruenire incipiunt: ſic etiam quando homo ad ma-
turitatem peccati appropinquat, hoc eſt, ad duritiem
cordis, ad contemptum & profundum peccatorum,
magis ac magis ipſum cuſtodit tanquàm pomum
menſæ ipſius aptum; efficítque, quantum poteſt, ne
clamor & ictus Dei pulſantis ad oſtium cordis eiuſ-
dem audiatur, ac proinde omnia in ipſomet quietè
poſſidet: poſſidet namque eius honorem, diuitias, &
ſalutem. Nam ſi de peccatore ſenſuali ſit ſermo,
quocunque pergat, omnes quos poſt tergum relin-
quit,

quit, ipſum maledico dente carpunt; ſicut de ſe ſignificauit Dauid dicens, *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea*; quaſi diceret, Quocunque vado, poſt terga quàmplurimos relinquo me ipſum maledico dente carpentes, adulterumque, & alienæ vxoris raptorem ad inuicem appellantes. Poſſidet etiam diuitias, imò & ſalutem ipſam, quæ in ſenſuali turpitudine conſumi ſolent, ſicut experientia teſtatur; poſſidet denique viſum, linguam, auditum, & reliquos ſenſus, quos ſibi ſemper inſeruire facit: ſiquidem oculi nihil aliud niſi vanitatem vident; lingua ſola verba otioſa, turpia, & maledica loquitur; aures detractiones duntaxat, & alia eiuſmodi exaudiunt; & hæc quidem & alia talis peccatoris pacificè, & quietè poſſidet: ſiquidem bono quodam, quod ſolum in ipſo reperiri poteſt, etiam orbatus exiſtit: id enim boni quod in peccato inuenitur, nempe inquietudo, metus & perturbatio, iuxta illud, *Non eſt pax impiis*: cor enim impij quaſi mare feruens, quod nullo modo quieſcere poteſt. Et illud, *Non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorũ meorum*: & illud Iobi, *Quis reſtitit ei, & pacem habuit*? minimè in tali peccatore reperitur, quippe cùm ſine vllo ſcrupulo iam viuat, ac proinde ſic totum ipſum dæmon poſſidet, vt in pace ſint omnia, quæ in ipſo poſſidet.

Pſal. 37. 8.

Iſa. 48. 22.

Pſal. 37. 4.

Cap. 9. 4.

Quod verò corpus peccatoris, quod eſt domus & habitaculum dæmonis, ſit ſimul carcer obſcurus & horridus, cuſtodia tenebroſa, fœtida & miſerrima animæ ipſiuſmet peccatoris, oſtendunt apertè non ſolùm plurima ſacræ Scripturæ loca, verùm etiam ipſamet quotidiana experientia: cum enim peccator inciderit in foueam quam fecit per peccatum, ita te-

nebris obrutus remanet, vt videre non poſſit: cumq; funes peccatorum circumplexi ſint illum, vt dicitur,
Pſal. 118. 61. & collum animæ ipſius ſit vinculis ligatum, iuxta il-
Iſa. 52. 2. lud, *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion*, loqui non valet, ac proinde mutus exiſtit. Quin etiam fœtidum valdè & horridum eſt habitaculum illud, quia tale illud efficit peccatum. Quod innuit Dauid dicens,
Pſal. 13. 3. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt*, vbi alia tranſlatio habet, *Omnes fœtuerunt*: quod etiam intel-
Luc. 5. 8. ligens D. Petrus, dicebat, *Exi à me, Domine, quia ho-*
Ibid. 7. 37. *mo peccator ſum*. Et cùm Maria Magdalena ad Chriſtum veniret, vt ab eo peccatorum ſuorum veniam impetraret, attulit alabaſtrum vnguẽti pretioſi, propter ſuauem eius odorẽ, vt fœtore, quẽ peccata ipſa ex ſe emitterent, eundem Chriſtum Dominum non afficeret: quam etiam ob cauſam ipſe Dauid de Deo
Pſal. 50. 11. dicebat, *Auerte faciem tuam à peccatis meis*. Conſtat igitur peccatoris corpus cuſtodiam & carcerem eſſe obſcurum & fœtidum, in quo exiſtentes non vidẽt, non audiunt, non loquuntur, imò nec odorem bonum percipiunt, nec ſuam maximam miſeriam ſentiunt, de quibus propterea ait Pſalmiſta,
Pſal. 113. 5. *Aures habent, & non audient, oculos habent, & non videbunt, nares habent, & non odorabunt, non clamabunt in gutture ſuo*, quia nimirum cùm ſenſus habeant, ſuam calamitatem & miſeriam nec ſentiunt nec cognoſcunt.
Simile. Quemadmodum enim ſi mulier aliqua carcere perpetuo incluſa in eo infantem & peperit & enutriuit, ipſe iam puer factus ſæpenumerò hilaris ludit, nec aliquando ſuæ miſeriæ ſigna oſtendit, quapropter eius mater interdum eidem dicit ipſiuſmet miſeriam cognoſcens: Ah fili, quomodo ſi ſcires & cognoſceres tuam maximam miſeriam, eam deplorares? ſic etiam

etiam meritò idem dicere poſſumus iis, qui horribilibus carceris animæ peccatricis malis aſſuefacti, ſuũ infœliciſſimum ſtatum non cognoſcunt, quæ omnia optimè intelligens Dauid Deo dicebat, ***Educ de cuſtodia animam meam***, à qua ſe ab ipſo Deo eductum exiſtimans ſimiliter aiebat, ***Exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeria, & de luto fæcis.*** Reliquum eſt ergo vt vnuſquiſque per corporales infirmitates, quas patitur in corpore, ſpirituales animæ morbos, nempe peccata, cognoſcat, & eadem cognita deploret & gemat, intelligátque ſe per peccatum in foueã obſcuri admodùm, fœtidi, & horridi carceris incidiſſe, in eaque miſerandam vitam degere, quapropter inde exire per pœnitentiam, & gratiam totis viribus procuret, vt bonis operibus æternam conſequatur fœlicitatem gloriæ, quam, &c.

Pſ. 141. 8.
Pſ. 39. 3.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. 6. 5.

Cùm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum, Vnde ememus panes, vt manducent hi? &c.

EO' tendere ſolent oculi, vbi cor poſitum exiſtit, vnde factum eſt, vt oculi Domini in eam hominum, quos vidit, multitudinem, reſpexerint, quam intimo cordis ſui affectu vehementer diligebat. Ex eo autem quòd oculos ſubleuando ipſam ad ſe venientem vidit, ſtatim ſubſequutum eſt, quòd ita eiuſdem miſertus fuerit, vt illicò ipſiuſmet neceſſitati ſubuenerit, quia nimirum ex eo quòd Deus in nos oculos conſicit, ſemper ſubſequitur quòd nobiſmetipſis miſereatur. Quapropter Dauid illud ſolum à Deo poſtulabat, dicens,
Pſa.21.2. *Deus Deus meus, reſpice in me.* Et alibi, *Domine, quan-*
Pſ.34.17 *do reſpicies.* Item, *Domine ad adiuuandum me reſpice.*
Pſal. 39. 14. Et, *Reſpice in me Domine, & miſerere mei.* Et denique,
Pſal. 24. *Reſpice, & exaudi me Domine.* Ex quibus Pſalmorum
16. locis planè colligitur, idem ferè eſſe Deum in homi-
Pſ. 12.4. nem reſpicere, ac ipſius hominis miſereri, ipſumque
depre

deprecantem exaudire. Neceſſe eſt igitur vt Deus noſtri miſereatur, ipſum in nos ſuos conuertere oculos, quibus nos videat; vt autem ipſe in nos oculos conuertat, oportet vt piiſsima eiuſdem mater priùs in noſmetipſos ſuos miſericordes oculos coniiciat: id enim ab eâdem frequenter poſtulat Eccleſia dicens, *Eia age aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte*; vt ergo Deus ſuos oculos, quibus nos videat, in nos coniiciat, noſtri miſerẽdo, noſtræque neceſsitati gratiæ ſubueniendo, efflagitemus à piiſsima eiuſdem matre, vt ſuos priùs miſericordes oculos ad nos conuertat, aduocata apud ipsũ pro nobiſmetipſis exiſtendo, & ad hoc ipſum eidemmetipſi dicamus illam communi conſuetudine vſurpatam ſalutationem, nempe, *Aue Maria*.

Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus, &c. Ideò Deus qui inſpector ſeculorum dicitur, oculos in monte exiſtens, vt multitudinem ad ſe venientem & aſcendentem videret, ſubleuaſſe & extuliſſe enarratur, vt ſimul ſignificetur quanta in eiuſdem oculis modeſtia fuerit, & quàm demiſſos & deiectos ipſos ſemper habuerit, vt nos ad oculorum modeſtiam & circunſpectionem ſimul erudiret. Habetur enim in Eccleſiaſtico, *Virginẽ ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore eius*; & iterum ibidem, *Noli circunſpicere in vicis ciuitatis:* nam illi dicuntur, *habentes oculos plenos adulteriis*, qui hoc mortiferum adulterij crimen, quaſi venenoſam potionem, per oculos ſumunt. Quamuis enim ipſe videndi actus mortifer non ſit, cùm peccatum mortale non exiſtat, ex eo tamen inordinato mors animæ vt plurimum ſubſequitur. Quemadmodum enim (vt ait Chryſoſtomus) non vbi primùm ceruo, vel cuicumque alteri animali infigitur

Eccleſ. 9. 5.
Verſic. 7.
2. Pet. 2. 14.

Simile ex D. Chryſoſtomo.

vene-

venenoſa ſagitta, ipſum ſtatim moritur, quod tamen fit poſtquàm venenum paulatim ſerpit: ſic etiam nō vbi primùm aliquis oculos in mulierem coniecit, eiuſdem anima mortua eſt mortiferi peccati morte, verumtamen ex tali inordinato videndi actu emanauit, quòd poſteà cogitando & conſentiendo in
Simile. ipſam mortem paulatim deuenerit. Quia ſicut latrones domum aliquam ad furandum inuaſuri, latrunculos præmittere ſolent, nempe pueros, qui (quoniā exigui ſunt, & per exigua foramina ingredientes in ipſam, in quacunque eius parte ſe abſcondere poſſunt, quapropter cauere ab eiſdem homines non ſolent) oſtia poſteà & ianuas ipſiſmet latronibus adaperiunt, per quæ oſtia intrantes eoſdem homines & expoliant & interficiunt: ita etiam de venialibus videndi actibus quaſi de latrunculis quibuſdam putandum eſt; ſiquidem ab eiſdem cauere non ſolent quàmplurimi, ac proinde in animam venialia peccata facillimè ingrediuntur, quæ mortalia, qualia ſunt adulteria, & alia ſimilia vitia carnis quæ ipſam occidunt & expoliant, in eandem introducunt: ſunt enim oculi quaſi oſtia quædam conſcientiæ, per quæ ſi rationis claue non ſunt clauſa, infinita propemo-
Cap. 31. I. dùm mala ingrediuntur. Quamobrem pepigit Iob fœdus cum oculis ſuis, vt non cogitaret de virgine, quia ex viſu cogitatio, & ex cogitatione cupiditas, & ex cupiditate conſenſus, & denique mortiferum peccatum procedere ſolent, ac proinde ad euitandum peccatum ipſum ea etiam, ex quibus procedit, eui-
Num. 6. tare neceſſe eſt. Quia Nazaræis prohibitum erat vi-
3. num bibere, prohibitum etiam erat illis quidquid ipſam eiſdem in memoriam adducere poſſet, nimirum acetum racemi, imò & minuta quædam botrorum

rum grana, quæ ex ipſis relinquuntur; quo etiam modo prohibens Chriſtus Dominus homicidium, prohibet quoque quodcunque verbum iniuriam ſonans, quod ad ipſum homicidiũ via eſſe poſſit. Quo oſtẽditur, debere vnumquẽque ponere ad euitandũ peccatum non ſolùm murum, ſed etiam antemurale inter ſe & ipſum, fugiendo etiam remotiſſimas (ſi fieri poteſt) ipſiuſmet peccati occaſiones. *Math.6.*

Et quidem non admodùm remota occaſio peccati eſt ipſe inordinatus videndi actus: nam vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, & iudicans de guſtu, & delectatione ipſius (quod ſolus guſtatus iudicare poſſet) communis totius mundi ruinæ cauſa extitit. Videntes etiam filij Dei (qui erant filij Seth) filias hominum (quæ erant filiæ Cain) quòd eſſent pulchræ, vt refertur eodem in libro, elegerũt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant, & vniuerſalis diluuij in cauſa fuerunt. Cùm Sichem Dinam filiam Iacob vidiſſet, eam adamauit, & inde eiuſdem Dinæ ſtuprum & ipſiuſmet Sichem, & multorum aliorum occiſio, & vrbis deuaſtatio ſubſequuta ſunt. Nec mirum eſt, quòd mulier illa, nempè Dina, cùm egrederetur vt videret, tantum malum ſuis oculis in Sichem efficeret, vt eam adamauerit, rapuerit, & virginem oppreſſerit: ſiquidem quando mulieres homines vident, in eoſdem quaſi ſagittas oculos iniiciunt, quibus plerumque eorum animas occidunt, quod innuitur alio loco, vbi dicitur, quòd iniecit domina ſua oculos in Ioſeph, & denique Dauid vidit mulierem ſe lauantem ex aduerſo, &c. & voluit ſcire quænam eſſet, & tulit eam, & habuit rem cum ipſa, & multa alia mala fecit, quæ ex eo quòd eam vidit *Geneſ. 3. 6.* *Cap.6. 2.* *Geneſ.34 2.* *Geneſ.39 7.* *2. Reg. 11.2.*

vidit ortum habuerunt. Ex quibus omnibus Diuinæ Scripturæ locis planè oſtenditur, quot & quanta mala ex hoc, quod eſt videre, ſeu ex viſione inordinata oriãtur, & quãta proinde in vniuſcuiuſq; oculis requiratur modeſtia, quæ licèt vniuſcuiuſq; caſtitatẽ & virginitatem non faciat, ipſa tamen mirum in mo-
Simile. dum defendit & conſeruat; non aliter quàm vagina, quæ licèt gladium non acuat, eiuſdem tamen acumẽ maximè conſeruat, & tuetur. Eam igitur modeſtiam vt Chriſtus Dominus homines doceret, adeò demiſſos & deiectos oculos etiam in monte exiſtens habebat, vt ad videndam multitudinem ſurſum ad ſeipſum aſcendẽtem ipſos extulerit & ſubleuauerit.

Et vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum. Non ſolùm conſiderabat iter quod ad ſe venientes faciebant, ſed dies quos in ipſo itinere conſumebant, imò & eorundem greſſus dinumerabat, vt
Marc.8. 2. omnium ab ipſo mercedem acciperent. *Miſereor ſuper turbam*, inquiebat Chriſtus, *quia ecce iam triduo ſuſtinent me*; vnde dies itineris ad ſe facti enumerabat, & de greſſibus aiebat Iob, *Tu quidem greſſus meos*
Cap. 14. 16. *dinumeráſti.* Omnia quidẽ diligenter perſpicit Deus, nec minima etiam ſine magno præmio prætermittit,
2. Tim.1. 12. quapropter dicebat Paulus, *Certus ſum quia potens eſt Deus depoſitum meum ſeruare*; & meritò, quia, vt
Hebr. 6. 10. etiam ait idem Apoſtolus, *Non eſt Deus iniuſtus vt*
Matth 10.30. *obliuiſcatur operis tui*, etſi minimum ſit: nam, *omnes capilli capitis tui numerati ſunt*, vt habetur alio in loco, vbi per capillos, cogitationes, quæ adhuc in opera non prodierunt, imò & ipſa exigua, & minima opera deſignantur, quæ tamen ipſe Deus, ac ſi multa & magna eſſent, magni æſtimat, & magnis multiſq; præmiis proſequitur; quod enim leue & momentaneum

raneum eſt, tribulationis noſtræ, æternum operatur in nobis gloriæ pondus, vt ait Paulus, & ita de iis, *2. Cor. 4. 17.* qui fruſtulum panis, potum aquæ, & partem veſtis tritæ conſciſæ & corioſæ, & infimum domi angulũ ſuis pauperibus erogauerunt, quaſi ipſi aliquid magnum, ſufficiens, & integrum dediſſent, dicturus eſt ipſemet Deus, ſicut refertur ab Euangeliſta, *Venite benedicti patris mei, percipite* &c. *eſuriui, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & operuiſtis me.* *Matth. 25. 34.* In quibus verbis Chriſtus Dominus quod paruum & minimum fuit, magnum reputat & eximium. Ad quem etiam modũ de dimidiato pallio dixit (quaſi ipſum eſſet integrum) Martinus hac me veſte contexit, dimidium pallij, veſtem, quaſi eſſet integrum, appellans: quin etiam vnicuique ſeruo ſuo vltimâ iudicij die dicturus eſt, vt in eodem loco habetur: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui;* *Verſ. 21. 23.* vbi ſimiliter illa pauca, quæ fidelis ſeruus fecerat, ad multa inſeruierunt, & quaſi multa & magna æſtimata ſunt ab eo qui omnia conſiderat, & minutiſſima etiam videt vt retribuat: quapropter videns multitudinem illam ad ſe venientem, eius miſertus eſt: ait enim ſic in Euangelio, *Exiens vidit turbam multam Ieſus, & miſertus eſt ſuper eos*, eandémque turbam *Marc. 6. 34.* bonis quàmplurimis affecit, licèt tam paruum opus eſſet, ipſam ad eundem venire.

Quod tunc faciebat Chriſtus Dominus, quia potiùs ad operis circunſtantias, quàm ad eiuſdem magnitudinem reſpiciebat: non enim quomodolibet veniebat illa hominum multitudo, ſed veniebat maximo cum ſpiritus feruore, & feſtinatione. *Pedeſtres,* inquit

Ca. 6.33. inquit Marcus, *de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc,& præuenerunt eos*; hoc eſt,non equitando,ſed pedibus iter faciendo, & non ambulando, ſed quaſi currendo vndique tali velocitate ad locum illum confluebant,vt Chriſtum Dominum cum diſcipulis recto tramite nauigante præuenerint, præceſſerint, & præiuerint, licèt per ambages illuc iter fecerint.

Simile. Sicut enim ſæpenumerò vas ex vili materia, imò & ex pretioſa, qualia ſunt argẽtum & aurum,confectũ, magni æſtimari ſolet, quia miro artificio elaboratũ eſt,quod patet in vrſeo, luteo, & in aliis huiuſmodi rebus,in quibus pretioſior eſt ſæpe modus & artificium,quàm ſubſtantia,quæ interdum reſpectu ipſius artificij parui penditur: ſic etiam in operibus humanis,quale erat illud,nempe venire illam multitudinẽ ad Chriſtum Dominum,pluris ab ipſo ſolet ſæpenumerò fieri modus,feruor, & circunſtantiæ eiuſdem operis, quàm ipſiuſmet operis ſubſtantia; quamuis igitur quia multitudo illa hominum venit ad eum, ipſius miſertus ſit, eámque in ſolitudine cibo refecerit,& multis beneficiis affecerit,tamen multò magis illud fecit, quia cum magno feruore, ſpiritu, & feſtinatione ad ipſum venit.Feruor autem, quo homines illi Chriſtum ſequebantur, in cauſa fuit vt cibi,& potus ad iter faciendũ neceſſarij penitus obliti ad ipſum venerint. Quod quidem facientibus, & primùm regnum Dei quærentibus omnia ad victum & veſtitum neceſſaria proculdubiò adiiciẽtur, ſicut

Pſal. 54. 23. ipſe Chriſtus Dominus eiſdem eſt pollicitus. *Iacta* (inquit Pſalmiſta) *ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*, ſeu, quod idem eſt, quaſi mater erga infantem, quẽ peperit & nutrit, ſe erga teipſum habebit,ſi in ipſo totam curam,ſpem,& fiduciam quaſi

infantu

infantulus in matre collocaueris. Quo quidem de duobus admonemur, & de rerum temporalium cõtemptu,obliuionéque,& de totis curis, cogitationibúſque noſtris coniiciendis, & conferendis in Deũ: vnde proculdubiò nobis auxiliũ veniet, iuxta illud. *Leuaui oculos meos in montem, vnde veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino,&c.* & alibi, *Ad te leuaui oculos meos,&c.* & paulò pòſt, *Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominũ Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Sicut enim ſerui & ancillæ ad manus dominorum, dominarumque ſuarum reſpiciunt, ab eiſdem veluti infantes à matribus auxilium ſuſtentationemque ſperantes: ſic ob hoc ipſum oculi noſtri ſemper ad Dominum reſpicere debent, temporalium rerum penitùs obliti. *A fructu frumenti, vini, & olei ſui, multiplicati ſunt,* ait Dauid de quibuſdam hominibus totam ſuam fiduciam in his rebus ponentibus & dicentibus vnoquoque ſuæ animæ illud diuitis auari quod refertur in Euangelio; nempe, *Requieſce anima mea, epulare & bibe: habes enim multa bona repoſita in annos plurimos.* Sed tamen addit ipſe Dauid, confidant hi bonis auibus in ſimilibus rebus, & ſecurè dormiant: nã ego illis opinionibus carens, in pace in idipſum dormiã & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me; vbi inſinuatur ſpes, quæ eſt etiam donum Dei, eſſe illa virtus, quam vt ait Paulus, ſicut anchoram habemus tutam ac firmam, quâ nixis, & ſuffultis nobis, in Deoque ſperantibus, ipſe Deus numquàm deficiet.

Pſa.120.1. *Pſal.122.1.& 2.* *Simile.* *Pſal.4.8.* *Luc. 12.19.* *Hebr. 6.19.*

Cæterùm valdè mirandum eſt, homines de rebus ad animam pertinentibus, quæ maioris ſunt põ-

deris & momenti, nempe de ipſius animę ſalute maximè in Deo ſperare; de rebus verò temporalibus quæ parui ponderis, & nullius momenti ſunt, nimirum de iis quæ ad ipſius corporis ſuſtentationem & ſalutem ſpectant, plurimum eſſe diffidentes; quod non ſolùm multùm mirandum, ſed magis deplorandum eſt: non enim reſtituunt ablatum, & multò minùs pauperibus & mendicis eleemoſynā præbent, nec à contractibus illicitis omninò ceſſant, quia metuunt ne fame poſteà pereant, vel ſaltem ad penuriam tandem redigantur, nec tamen ipſorum animas fore perituras reformidant, multum ſibi de diuina miſericordia in ſpiritualibus pollicentes, cùm circa temporalia interim maximè diffidentes exiſtant. Vt autem Chriſtus Dominus omnibus perſuaderet ſe in rebus ad victum & veſtitum neceſſariis non defuturum ipſis, quando ipſummet ſequuti fuerint, hiſtoriam hanc de quinque panibus & duobus piſcibus, quibus abundè ſaturauit quinque millia hominum ipſum ſequentium, voluit à quatuor omnibus Euangeliſtis diffusè referri, vt nimiæ noſtræ circa temporalia diffidentiæ obuiaret, & vt perſuaſum haberemus, nobis Deum quærentibus neceſſaria non defutura, quantumcunque eorum propter ipſum obliuiſcamur.

Dixit ad Philippum, &c. Talis autem erat Philippus, vt ait Chryſoſtomus, qui poſteà dixit, *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, proptereà igitur priùs eum erudiebat. Alcuinus verò ſimiliter ait, *Interrogabat igitur, non vt ignorata diſcat, ſed vt diſcipulo adhuc rudi propriam tarditatem oſtendat, quam ipſe in ſe perpendere non volebat*. Illi itaque, qui inter diſcipulos magis egebat diuinæ potentiæ oſtenſione,

& pro

& propriæ tarditatis cognitione, priùs opitulaturus, priùs etiam eundem interrogat, quàm cæteros, vt ex eo diſcamus, illis, qui in maioris cuiuſcunque rei neceſſitate ſunt cõſtituti, priuſquàm cæteris ſubueniendum eſſe; id quod natura & naturæ author Deus faciendum eſſe docent: quando enim alicui *Simile.* ſcinditur vena, vel quæcunque percuſſio infligitur, natura ipſa illi parti ſciſſæ, vel percuſſæ, tanquàm infirmiori, & cuicunque alteri infirmæ ita ſubuenire intendit, vt totum percuſſi ipſius ſanguinem (ſi non impediatur) eidem elargiatur & effundat, nec etiam natura ipſa patitur locum aliquem intra totius mũdi orbem eſſe vacuum, quin ipſum ſtatim adimpleat, vel per aſcenſionem corporum grauium ſurſum, vel per deſcenſionem leuium deorſum, vel per rarefactionem circunſtantium, ſi aliter adimpleri non poteſt. Ex quo patet, naturam partibus in maiori neceſſitate conſtitutis priùs quàm cæteris, imò & cum earundem rerum aliquali diſpendio ſolere opitulari. De Deo autem dixit Dauid, *Et factus eſt Dominus* Pſ.9. 10. *refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Quaſi dicat, Oculi Domini in pauperem reſpiciunt, vt eiuſdem indigentiæ potiùs quàm diuitum, qui etiam eſurierunt, & eguerunt, vt alibi dicit, Pſal. 33. 11. ſubueniat, & eius auxilium opportunum eſt, vt inſinuat Paulus dicens, *Adeamus ergo cum fiducia,* &c. *Hebr. 4. 16.* *vt inueniamus gratiam in auxilio opportuno,* quod nobis non deeſt quando ſumus in tribulatione conſtituti, ſi illud nobiſmetipſis denegari peccata noſtra non promerẽtur. Quod etiam inſinuat Dauid, peccatoris perſonam agens, dum dixit, *Vt quid Domine* Pſ.9. 22. *receſsiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?* Adiuuat itaque Deus vnumquemque (ſi mo-

dò eius maxima peccata id non impediant) in quacunque neceſſitate conſtitutum, elargiendo id, quo ex ipſa exire poſſit: quapropter dicebat etiam Dauid
Pſal.24.17. ipſi Deo, *De neceſſitatibus meis erue me.* Hoc autem facere non ſolent homines, qui in opportunitatibus, proximis non opitulantur, ſed extra opportunitates, & quando eorum auxilium minimè neceſſarium eſt, inuiſunt quidem eos, ſed non quando infirmi & in carceribus conſtituti, ſed quando liberi & ſani exiſtunt, comitantur etiam illos eiſdémque adhærent quando proſperâ vtuntur fortunâ, & maximâ diui-
Simile. tiarum copiâ circunfluunt: ad eundem modum quo vmbræ abſente nebulâ, & præſente nitidiſſimo Sole, eiuſdem Solis ſplendore illuſtratos comitantur, quando verò ipſos in paupertatem, penuriam, & calamitatem redactos vident, eòſdem penitùs deſerũt, & ab eorundem ſocietate longè recedunt. Quod prophanus quidam Poëta ſic ſignificat:

Ouid.lib.1.Triſt. *Dum fueris fœlix, multos numerabis amicos,*
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

De qua etiam re ſanctus Propheta Iob meritò con-
Cap.6.15. querebatur, dicens, *Neceſſarij quoque mei receſſerunt quaſi torrens, quæ raptim tranſit*; quaſi diceret, Mei amici (qui ideò neceſſarij dicuntur, quia amicorum neceſſitatibus tẽpore opportuno ſuccurrere debent) receſſerunt & euanuerũt ab oculis meis quaſi tor-
Simile. rentes hyemales, quæ, quo tempore fontes paſſim ſcaturiunt, & ab ipſis maxima, ſuauis, & dulcis aquæ copia emanat, paſſim etiam offenduntur, & viatores iter facientes impediunt: quo verò tempore fontes ſicci exiſtunt, & aquâ omninò carent, verno ſcilicet & æſtiuo tempore, quando ipſi torrentes neceſſarij eſſent ad defectum fontium ſupplendum, ſimul deficiunt,

ficiunt,nec propterea iter facientes aquam aliquam habent, quam bibere, quâque ſe refrigerare poſſint: ad quem omninò modum ſe habent vt plurimùm homines,qui in opportunitatibus,& quando neceſſarij ſunt, non ſunt neceſſarij, hoc eſt, amici, quod tamen ſunt, quando neceſſarij non ſunt,hoc eſt,extra opportunitates & tribulationes, occaſionéſque earum; id quod nõ ſolùm erga proximos, ſed etiam erga ipſum Deum faciunt, cùm tentationis tempore, quo firmi & conſtantes eſſe deberent, ſæpiſſimè deficiunt; quamobrem de filijs Ephraim conquerebatur Dauid, dicens, *Filij Ephraim intendentes & emittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli*; & ſimiliter de his & aliis hominibus tempus faciẽdi, *Domine, diſſipauerunt legem tuam*, quando ſcilicet ipſam debebant adimplere. Talis quidem nõ eſt Deus,qui adiutor in opportunitatibus & occaſionibus hominibus exiſtit,& præcipuè ijs qui eius opportuno gratiæ auxilio magis indigent, ſicut indigebat præ cæteris diſcipulis Philippus, vt ex Chryſoſtomo & Alcuino adnotauimus, qui propter propriam tarditatem meritò poſſet Chriſto Domino dicere id,quod pater cuiuſdam dæmoniaci ipſi Chriſto Domino dicebat,ſicut refert Euangeliſta, nempè, *Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam*, quam vt in Philippo adiuuaret, potiùs ipſi,quam alijs diſcipulis dixit, *Vnde ememus panes*,&c.

Pſ.77.9. *Pſal. 118. 126.* *Marc. 9. 24.*

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ad eundem prorſus modum,quo,ſicut refert Marcus, conuocatis diſcipulis ſuis ait illis, *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me*, quaſi conſulens illos, dixit hîc Philippo, *Vnde ememus panes, vt manducẽt hi?* cõſulens de hac re ſimiliter illum, vt nos doceat *Cap.8.2.*

non ſolùm doctos & ſapiẽtes viros, ſed etiam rudes, quales erant Apoſtoli, quantumcunque ſapientes ſimus, debere in noſtris rebus conſulere; ſiquidem ipſe Chriſtus Dominus, qui eſt ſapientia Patris, Philippum hîc, & omnes Apoſtolos illic conſuluit. *Ecce ſedes poſita erat in cœlo* (ait D. Ioannes) *& ſupra ſedẽ ſedens, & in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſupra thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes:* in qua viſione inſinuatur, Diuinam ipſam Dei maieſtatem etiam in cœlo formam quandam concilij habere, vt in terris, vbi ignorantia graſſatur, conſilium neceſſariò quærendum & audiendum eſſe, ſimul inſinuetur. Salomon dicit, *Qui ſapiens eſt, audit conſilia*; Sapientes erant tres illi Magi qui Chriſtum recenter natum quærebant, & ſplendenti ſtellâ ducebantur, & tamen interrogabant vbi natus eſſet, dicentes (ſicut refert Euangeliſta) *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Quapropter quantumcunque tu ſapiens & prudens ſis, *ne innitaris* (vt ait Salomon) *prudentiæ tuæ: nam omnia illi deſunt*, inquit Bernardus, *qui nihil ſibi deeſſe putat*; & licèt habeas ſcientiam, quæ ſicut fulgens ſtella te illuminare & ducere poſſit, tu tamen etiam minùs ſapientes & prudentes non dedigneris interrogare, & ab illis conſilium audire. Sapientiſſimus erat Moyſes, & Ægyptiorum ſcientijs inter ipſos excellẽtiſſimus, & omnium Prophetarum maximus, ſicut Theologi communiter ſentiunt cùm D. Thoma; & tamen, vt refertur in Exodo, à ſocero ſuo Iethro, viro alioqui rudi, conſilium audiuit & accepit, quando eidem dixit, *Audi verba mea atque conſilia, &c.* & infrà, *Prouide autem de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, &c.*

Apoc. 4. 3. *Prou. 12. 15.* *Matth. 2. 2.* *Prou. 3. 5.* *Bernardus.* *Thom. 2. 2. q. 174. artic. 4.* *Cap. 18. 6.*

Itaque Moyſi conſuluit Iethro, & ab eodem rudi qui

di quidem ipſe Moyſes ſapientiſsimus conſilium accepit, eiuſdemque conſilio virorum ſapientum & ſeniorum cõcilium inſtituit, qui ipſummet Moyſem adiuuarent. Quapropter nihil quod graue & ſerium ſit homini faciendũ eſt abſque cõſilio in omni tẽpore, & præſertim eo quo fuerit aliquâ amoris, odij, aut iræ paſsione affectus, vnde qui quando aliquid turpe, vel rationi diſſonum, & deordinatum abſque conſilio fecerunt, hanc in ſui defenſionẽ adhibent, quia nimirum amore, vel odio, vel irâ inflammati conſilium ab aliis petere & accipere non potuerunt: nec hoc fuit præ paſsione illâ in eorum poteſtate; nõ propterea culpâ carere, imò maiori reprehenſione & ſupplicio digni ſunt iudicandi. Non aliter quàm illi, qui cæci exiſtentes propterea ſe nolle aliòs, qui ipſos ducant, ſequi dicũt, quia cæci ſunt, cùm ob hoc ipſum duntaxat quia cæci ſunt, ſibi duces quærere & adhibere deberent, ne paſſim corruerent. De Rege Aſſuero refertur quòd iratus Rex, & nimio furore ſuccenſus interrogauit ſapientes, qui ei ex more regio ſemper aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio ſcientium leges & iura maiorum, cuius exemplum cuique Chriſtiano inſeruire debet, vt maiori cũm ratione quando aliquâ paſſione, imò & quando aliquâ propenſione affectus fuerit, conſilium ab aliis petat & ſumat; & fortaſſe Chriſtus Dominus maximâ pietate & miſericordiâ motus erga eos qui ipſum ſequebantur, de ipſis cibo reficiendis in deſerto agens, Philippum interrogauit dicens, *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* quod fecit, eiuſdem conſilio minimè indigens, vt nos doceret conſilium petere & ſumere ab aliis, etiam quando nos miſericordiâ commotos & in aliquos propenſos ſentimus,

Simile.

Eſther 1. 12.

præſertim ſi ab aliis ſumpturi ſumus id, quo ipſos iuuare intendamus, ſicut de panibus diſcipulorum aliis erogandis conſiderare poſſumus.

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Non loquitur, inquit Ioãnes Ferus, de cibis delicatioribus: hi enim magis ad voluptatem, quàm ad neceſſitatem quæruntur: voluit itaque docere, vt cibum non ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem ſumamus, iuxta il-
1. Tim. 6. 8. lud Pauli, *Habentes victum, & quibus tegamur, his contenti ſimus*; ad quem modum Andræas dixit ipſi Chriſto, *Domine, eſt puer vnus hîc quinque panes hordeaceos & duos piſces habens, ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Quibus verbis non qualitatem, ſed quantitatem cibi conſiderandam eſſe ſignificauit, nec tam de guſtu, ſapore, & ſuauitate, quàm de copia, & abundantia rationem eſſe habendam inſinuauit: poſſet enim dicere; ſunt quidem in comitatu noſtro nõnulli panes, ſed ſunt hordeacei, & indigni, quibus tu te quærentes, & ſequentes reficias; attamen de hoc non curat, quia non neceſſarium, ſed curioſum erat; curat autem de quantitate, dicens, *Sed hæc quid inter tantos?* Homines verò è contrà ſunt curioſitatis amatores, & neceſſitatis nihilominùs ſæpe obliuiſcuntur, & ita ex cibis, qui magno pretio emuntur, magnam voluptatem percipiunt; ex cibis verò paruo pretio venditis nullam prorſus, quod ex animæ vanitate potiùs quàm ex corporis propenſione prouenit. Quapropter dicebat Hieremias de ſimilibus,
Thren. 1. 11. *Dederunt pretioſa quæque ad refocillandam animam*; & propter hanc animæ refocillationem dicebat diues ille auarus, quem refert Euangeliſta, *Requieſce*
Luc. 12. 19. *anima mea, habes multa bona repoſita in annos plurimos, lætare, comede, & bibe*: quibus verbis inſinuat,

animam

animam comedere & bibere, quod quidem non de cibo, nec de vino, quibus corpus reficitur & ſuſtẽtatur, ſed de vtriuſque, nempe de cibi curioſitate, & ſapore, & de vini ſuauitate, & pretio verificari poteſt; ſiquidem his videtur anima diuitum delectari, efficereque vt poſtquàm corpus ſaturatum eſt (quod nec animalia bruta faciunt) adhuc quaſi eſuriens maximâ voracitate comedas, incitatum variis ſaporum adinuentionibus, quas ipſa anima excogitat, & quibus ipſamet quodammodo delectatur; cæterùm talis anima vana eſt, & ideò non eſt, quia vanitate & aëre ſicut Camæleon paſcitur, ſancta: & quidem accipit in vanum animam ſuam, qui ideò cibo, potuque delectatur, quia magno pretio emuntur. De Dauide refertur, quòd cùm flagraret cupiditate aquæ ciſternæ cuiuſdam, quæ erat in Bethlehem iuxta portam, intelligentes eius deſideriũ tres viri fortes, irruperunt caſtra Philiſtinorum & hauſerunt aquam de ciſterna, & attulerunt ad ipſum, qui noluit bibere, ſed libauit eam Domino, dicens: *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc, vt ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* noluit ergo bibere; itaque potum illum aquæ, eo ipſo quo magno pretio emptus fuit, ſanguinem nempe virorum illorum ad effundendum expoſito, noluit Rex Dauid bibere. Quod conſiderare debent, qui ita ſplendidè epulantur quotidiè, vt nullam pauperibus eleemoſynam poſſint erogare, ac proinde in cauſa ſunt, vt pauperes ipſi fame pereant; quapropter cibus eorundem & potus ſanguine pauperum emi dici poteſt, quia diuitibus non ſupereſt, quod dare poſſint eleemoſynam pauperibus, atque ideò penitùs deficiunt: non ergo cibis delicatioribus &

pretioſis ad voluptaté, ſed aliis duntaxat ad neceſſitatem vtamur: cùm enim Chriſtus Dominus de cibo, quo eſſet ad ſe venientes refecturus, loqueretur interrogans Philippum vnde illum eſſent empturi, ſignificauit parui pretij futurum eſſe, ſiquidem ipſe, & eius diſcipuli tam pauperes exiſtebant, vt magnũ pro eo dare non poſſent, & vnde magno emere valerent, non habebant. Quam quidem ipſorum paupertatem inſinuauit Philippus ab ipſo Chriſto Domino interrogatus, quando eidem reſpõdit, ducentorum denariorum panes non ſufficere, vt modicum quis acciperet, vbi mentionem ducentorum denariorum fecit per exaggerationem, quia tam parum cognoſcebat de pecunia & denariis (maxima enim erat collegij illius paupertas & penuria) vt illa ducentorum denariorum copiam & ſummam maximam arbitraretur, cùm tamen vt modicum quis ex tot millibus hominum acciperet, parua & inſufficiens exiſteret. Vnde ergo poſſent magno pretio aliquid comparare, qui ferè nec denarios, imò neque eorum cognitionem habebant? Illo ergo cibo potúque ſolùm vtamur, quorum vſus ad neceſſitatem requiritur, ab illis verò penitùs abhorreamus, quorum curioſitas & pretium magnum eſt, ac proinde ad voluptatem ſpectat.

HOMILIA IN ILLVD IOAN. 8. 46.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

EX hominibus quidem ſolus Chriſtus Dominus omnibus dicere poteſt, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quia nec peccauit, nec peccare potuit; ex mulieribus verò ſola ſacratiſsima eiuſdem mater illud idem ſimiliter dicere valuit, quia licèt peccare poſſet, nunquàm tamen de facto peccauit, de qua propterea Spiritus ſanctus cum ipſomet Chriſto Domino loquens ait, *Collum tuum ſicut turris eburnea,* *Cant. 7. 4.* quia quemadmodum collum inter corpus & caput *ſimile.* quaſi medium inter vtrumque cōſiſtit: ſic inter nos, qui vnum corpus ſumus in Dei Eccleſia, & inter Chriſtum, qui eſt noſtrum caput, de quo dicit D. *Coloſſ. 1. 18.* Paulus, quòd ipſe eſt *caput corporis Eccleſiæ,* ipſa Virgo eiuſdem mater medium ſeu mediatrix exiſtit vtriuſque extremi, nempe Dei & hominis aliquid participans, ſicut in cæteris mediis ſuorum extremorum reſpectu fieri conſueuit: nam cùm Chriſtus Deus noſter nec peccauerit, nec peccare potuerit, homo autem potuerit peccare & peccauerit, ipſa tamen de homine ſolùm habuit poſſe peccare, de Chriſto autem

Digitized by Google

autem Deo noſtro non peccare de facto, licèt ipſa potuerit peccare. Quapropter non ſolùm dæmoni, cuius caput contriuit, iuxta illud, *Ipſa conteret caput tuum*: ſed etiam quibuſcunque hominibus meritò potuit dicere, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quod certè valdè conueniens fuit, quia cùm peccatoribus per peccatum à Deo ſeparatis futura eſſet medium & mediatrix, vniés illos cum ipſo in Chriſto, non debebat eſſe peccatrix (nec enim proditor pro proditoribus intercedere bene poteſt.) Cùm ergo ab omni peccati labe immunis & libera ideò producta fuerit à Deo, vt pro peccatoribus mediatrix coram ipſo Deo exiſtens, ab eodem ipſis veniam & gratiam impetraret, ab illa poſtulemus, vt pro nobis, qui, cùm peccatores ſimus, eâdem veniâ & gratiâ indigemus, ad ipſam impetrandam nunc intercedat, quod faciamus dicentes, *Aue Maria*, &c.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Inuehitur Chriſtus Dominus in Iudæos, quòd ſibi ipſi eiſdem veritatem dicenti nō crediderint. Et quoniam tribus de cauſis dicenti non creditur, nempe quia eius vita parum honeſta ipſum efficit indignum cui credatur; deinde quia eiuſdem doctrina falſa, vel ſaltem improbabilis exiſtit; poſtremò quia auditorum nequitia talis eſt, vt veritati fidem non adhibeant: oſtendit ſe & purum & immaculatum eſſe, & doctrinam ſuā ſinceram, & veram exiſtere, vt ſimul conſequenter oſtendat, ab ipſorum Iudæorum nequitia prouenire, quòd ſibi veritatem eiſdem dicenti minimè credāt. Quod igitur attinet ad primum horum trium, quorum vnumquodque ſigillatim explicabimus, maximo ſupplicio dicit Paulus eſſe eorum impietatem, &
Rom. 1. 18. culpam puniendam, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent,

detinent, ſeu, quod idem eſt, qui ſuâ turpi vita efficiunt,vt veritatem quam prædicant & docent, non fructificet: quod veriſſimum eſt, quia (vt ait Gregorius) *loquendi authoritas perditur,quando vox opere non adiuuatur.* Quapropter dicebat etiam Seneca, *Talis ſit tibi magiſter,vt ſit idem dicens, & faciens:* nam delicatus magiſter inquiebat D. Greg. pleno ore diſputat de ieiuniis,& talium magiſtrorũ doctrina non bene recipitur,nec creditur; vnde excellentiſſimus docẽdi modus eſt,vt aiebat D. Bernardus, dum faciendo,quæ prædicãtur,aliis factibilia oſtenduntur,& qui quæ docet, prætermittit, ſimilis eſt,vt etiam ait D.Gregorius, illi mulieri, quæ ſicut refertur in ſacra pagina, puerum quem vigilans lactauerat, dormiendo occidit. Cùm autem Chriſtus Dominus ita ſe erga Synagogam geſſerit, vt de ea ſub nomine vineæ ſignificata verè dixerit, *Quid eſt quod vltra debui facere vineæ meæ,& non feci?* bene ſequitur,nõ propterea ipſius doctrinæ credendũ nõ eſſe, quia quod docebat & debebat facere,nõ fecit; potuit igitur meritò dicere, *Quis ex vobis me arguet de omiſsionis peccato?* quod idem de peccato commiſſionis ſimiliter potuit affirmare: erat enim omninò impeccabilis, quia Deus erat, peccare verò non naturæ eſt,ſed perſonæ; cùm ergo eius perſona diuina eſſet, & ille homo verus, eſſet Deus, peccare nullo modo poterat. Quam in eo impeccabilitatis cauſam tradiderunt Athanaſius,* D. Damaſcenus,Cyrillus, & Anſelmus,quod etiam ex eo cõfirmatur,quia cùm Chriſtus,Deus ſit,vt dictum eſt,& Deus ſit eſſentialiter,& ſubſtantialiter bonus, hinc fit,quòd per peccatum non potuerit vllo modo eſſe malus, quãcunque eidem peccandi occaſione ſuperueniente, quod tamen

Greg. lib. 19. Moral. ca. 5.

3. Reg. 3. 19.

Iſa. 5. 4.

** Athan. lib. de incar. chr. & corpo. eius adu. prope finem.*

Damaſc. lib. 3. de fide, c. 21.

Cyrill. lib. 10. in Io. c. 40.

Anſel. lib. 2. Cur Deus homo, c. 10. & 16.

tamen in reliquis hominibus,imò & in Angelis,qui ex accidente boni ſunt,aliter ſe habuit; ſiquidem ſuperueniente eiſdem tentationis contactu,deficere & peccare potuerunt. Hoc diſcrimen reperitur inter ſtatuam auream ex ſolido auro confectam, & inter ſtatuam deauratam exteriùs, interiùs verò ex luto confictam, quòd licèt ſecundùm externam ſuperficiem valdè ſimiles videantur, ſi tamen ea quæ duntaxat deaurata eſt, ab artifice inſtrumẽto ſolito contingatur ſtatim detegitur,quòd ex luto ſit compacta, illa verò quæ aurea exiſtit,quantuncunque quocunque inſtrumento contingatur,ſemper aurum præſefert, nec aliquid quod aurum non ſit,in ipſa detegitur. Ad quem modum, licèt Chriſtus Dominus, & quicũque alius homo iuſtus valdè ſimiles ſecundùm exteriorem virtutem fuerint, homo tamen tentationis contactu petitus, ex luto confectus eſſe oſtenditur, & bonitas, quæ eidem accidentalis erat, ab eodem facillimè depellitur; at verò Chriſtus Dominus,qui ſubſtantialiter bonus exiſtit, quò magis tentationis contactu erat petitus, eò magis bonus eſſe oſtendebatur, nec aliud in ipſo fieri erat poſſibile etiam ſecundùm humanam naturam,quæ de ſe flexibilis eſt, propter vnionẽ ipſius ad diuinum verbum.

Simile.

Quemadmodum enim virga de ſe flexibilis æneæ ſeu aureæ columnæ liquamine aliquo adhærens flecti non poteſt, quia nec ipſa cacumina flexibilis eſt: ſic etiam natura humana de ſe in peccatum flexibilis verbo Diuino vnita inflexibilis remanet, perinde ac diuina ipſius verbi voluntas,patet igitur,Chriſtũ Dominũ fuiſſe impeccabilem. Quòd verò de facto non peccauerit, illud etiam ex plurimis veteris & noui Teſtamenti locis,& ex acerrimorum inimicorum

rum teſtimoniis planè oſtenditur. *Quæretur peccatū illius*, ait Dauid, *& non inuenietur*, ab ipſis Iudæis nēpe, imò nec ab ipſo dęmone maiorem quàm ipſis ſolertiam & perſpicacitatem habēte, de quo ipſe Chriſtus dicebat, *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, mali nimirum; quapropter de eo aſſeueranter ait Petrus, *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, quod non ſolùm ipſe dixit, ſed etiam ſignificarunt quàmplurimi eundem maximo odio perſequentes, mulier enim Pilati illi dicebat, ſicut refertur in Euangelio, *Nihil tibi, & iuſto illi*; & ipſe Pilatus, qui ſciebat quòd per inuidiam tradidiſſent eum, etiam dicebat, *Innocens ego ſum a ſanguine iuſti*, imò & ipſe perditiſſimus Iudas ſimiliter dixit: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*, quod Iudæi minimè negantes. eidem tantummodò dixerunt, *Quid ad nos? tu videris*, quaſi dicerent, Tu debebas videre, an iuſtum hominem traderes, nos autem non tenebamur hoc aduertere. Pſa.9.15. Ioan.14.30. 1.Petr.2.22. Matth.27.19. Verſ.24. Ibid.v.4.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Verbum arguere hoc loco non eſt idem, quod argumento, ratione, vel oſtenſione conuincere, quo pacto ſumitur ab Apoſtolo dicente, *Potens ſit eos, qui contradicunt arguere*, quam ſignificationē innuit verbum ἐλέγχειν, quod in contextu Græco eſt, & Latinè ſonat, argumento conuincere, vt ex Elenchis Philophi conſtat. Dixit ergo Iudæis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* in hac ſignificatione, & non dicit, Quis ex vobis reprehendet, aut accuſabit me de peccato, quia illi potuerunt per iniurias & calumnias ipſi peccatum imponere, quod tamen eorum nullus probare nec oſtendere potuit. Quidam enim ex illis de ipſo dicebant, vt ait Euangeliſta, *quia bonus eſt*, alij autem dicebant, Tit.1.9. Io.7.12.

Digitized by Google

Ioan. 18. 30. dicebant, *non, ſed ſeducit turbas*, alij denique, vt refertur alibi, *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*; quæ & multa alia ſimilia de ipſo impudenter dicebant, & minimè oſtendebant, de quibus proinde dicebat Dauid, perſonam Chriſti Domini
Pſal. 108. 5. innocentiſſimi agni agens, *Poſuerunt mihi mala pro*
Pſal. 34. 12. *bonis, & odium pro dilectione mea*. Item, *Retribuebãt mala pro bonis, & pro eo vt me diligerent, detrahebant*
Simile ex Plin. lib. 8. c. 18. *mihi*. Quod quidem Iudæi faciebant, quia quemadmodum, ſicut Plinius refert, Camelus in fonte bibens, ſuâ deformitate, quam in ipſo videt, quodammodò perterritus ipſius fontis aquas manibus turbat & inficit, ne ſeipſum in eo ampliùs difformem conſideret & deſpiciat: ita etiam iidem Iudæi puriſſimam Chriſti famam & vitam, iuxta quam ipſorum vita turpiſſima oſtendebatur & apparebat, falſis teſtimoniis conturbare, & iniquis detractionibus inficere nitebantur.

Cur igitur homo quantumcunque iuſtus ſit, moleſtè feret, & non facilè patietur ſe maledicis peccatorum dentibus carpi & corrodi, cùm præſertim nullus inueniri poſſit, in quo aliquid vituperatione dignum non reperiatur. Totus vndique circundatus armis videbatur eſſe Rex Achab in poſtremo
3. Reg. 21 prælio quod cum Rege Syriæ iniuit, ſicut ſacra pagina enarrat, & tamen cum more regio tam bene armatus eſſet, in eodem prælio iniectâ quâdam ſagittâ, quæ partem quandam inermem inuenit, percuſſus & vulneratus fuit. Ad quem modum quicunque homo, quantumcunque virtutum præſidio circunſeptus & vallatus ſit, aliquo tamen non caret defectu vituperio digno & detractioni expoſito. Si ergo maledicæ, ſeu potius infernales Phariſæorum

linguæ

linguæ puriſſimis Chriſti Domini operibus defectũ ſæpenumerò imponere fuerunt auſæ, cùm, *omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ ſint*, vt dicebat Propheta, cur non patienter tolerabimus quidquid malum de nobis, noſtríſque operibus, dictum à maleuolis fuerit? *Iſa.64.6*

Illud autem nobis duntaxat maximè reformidandum eſt, nempe oſtendi in nobis, noſtríſque operibus aliquod vitium, aliquémve defectum, de quo poſſimus non ſolùm accuſari, ſed argui, ſeu, quod idem eſt, argumento conuinci, & minimè timendum, nec valdè ſentiendum, quod pro bonis detrahatur nobis; ſiquidem Chriſtus Dominus potuit veriſſimè dicere, *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi.* Nemo certè erit à ratione tam alienus, qui non potiùs Chriſto, quàm bono latroni velit in ſuis laboribus & calamitatibus aſſimilari; & Chriſtus quidem falſis teſtimoniis, latro autem veris accuſati in cruce obierunt. Quapropter potiùs à Deo poſtulare debemus, vt nos à teſtimoniis veris, quàm à falſis liberet: hæc enim mala culpæ, illa verò mala pœnæ ſunt, ac proinde multò ipſis minora: imò aliâ ratione ſunt bona, & quæ Chriſtus propter noſtram ſalutem paſſus eſt, cùm fuerit quàmplurimis detractionis & falſis accuſationibus à Iudæis laceſſitus. Quapropter ipſis non dixit, Quis ex vobis dicet in me fuiſſe, aut eſſe peccatum: ſed, Quis ex vobis arguet me de peccato? ſeu, quod idem eſt, Quis veſtrûm me de peccato conuincet, illud mihi, aut alteri ad oculum oſtendendo, aut aliquid vnde meritò argui poſſim demonſtrando? Quod etiam inſinuauit, quia multi ſunt, qui peccato quidem in rei veritate carent, & nihilominùs aliquid habent *Pſal. 34. 12.*

vnde ſaltem apparenter argui & inſimulari poſſint ab hominibus, quod etiam maximè nocet. Quamobrem admonebat D. Paulus Epiſcopum irreprehenſibilem debere eſſe, hoc eſt, nō habentem vnde argui vel probabiliter poſſit. Erat autem Chriſti vita tam expers peccati omni ex parte, támque innocens & exemplaris, vt in ea non reperiretur quod vel probabiliter ei poſſet à tot inimicis & perſecutoribus obiici, vel opponi. Ad cuius imitationem quicumque verè Chriſtianus, & maximè is qui Eccleſiaſticus eſt, debet ita ſe habere, vt non ſolùm peccatum in eo non ſit, ſed neque aliquid de quo ab hominibus probabiliter reprehendi poſſit. Qui enim iuſtus eſt, debet eſſe qualis erat Loth, de quo dicit D. Petrus, *aſpectu enim & auditu iuſtus erat*; & de Zacharia & Elizabeth ſimiliter dicit Euãgeliſta, non ſolùm quòd erant iuſti coram Domino, ſed etiam quòd erant ſine querela apud homines; & de Moyſe dicit Eccleſiaſticus, quòd erat dilectus Deo & hominibus, quapropter querela de illo non habebatur, nec murmuratio audiebatur. Et eſt valdè neceſſarium, quòd in iuſtis nec aliquid ſit quod reprehenſione dignum appareat, quia eorum exemplũ tam efficax eſt, vt ad ſui imitationem non ſolùm moueat, ſed cogat; quod inſinuauit D. Paulus cùm quodammodò reprehendens D. Petrum illi dicebat: *Cogis Gentes Iudaizare?* & ratio erat quia D. Petrus cœremonias legis coram Gentibus obſeruabat, & eius exemplum Gentes ad idem faciendum quodammodò compellebat, & non eſt putandum ipſum id facientem peccaſſe; non enim deerant cauſæ quę illum idipſum facientem à peccato excuſarent: ſed quia quodammodo reprehenſibilis apparebat,

1. Tim. 3. 2.

2. Pet. 2. 8.

Luc. 1. 6.

cap. 45. 1.

Gal. 2. 14.

parebat, vt ibidem innuitur, exemplo, quo Gentes ad Iudaizandum mouebat, ideò reprehendebatur à D. Paulo, ſignificante iuſtis & peccato carentibus etiam oportere, quòd nec aliqualis reprehenſionis & murmurationis occaſio in ipſis reperiatur, quantumcunque opera, quæ faciunt, de ſe bona exiſtant: debitum enim erat peccato Hebræorum pro idololatria ſupplicium illud, quo Deus ſe eos percuſſurū ſignificauit: à quo tamen ſupplicio infligendo ſe cōtinuit ipſe Deus, quia fidelis eius ſeruus Moyſes eidem dixit ipſum ad miſericordiam prouocans, *Ne quaſo dicant Aegyptij: callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus*, &c. Et Dauid ſimiliter eidem dixit, *Adiuua nos Deus Salutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum, ne fortè dicant Gentes, Vbi eſt Deus eorū?* Quibus in locis ſignificatur, quòd Deus aliqua, quæ iuſtè fieri poſſent ab ipſo, non fecit, propter id quod Gentes de ipſo dicerent, ipſummet apparenter ſaltem, licèt ſine aliqua ratione, reprehendentes. *Exo. 32. 12.* *Pſal. 78. 9.*

Quòd attinet ad ſecundum illud, nempe eius doctrinam, & veram & non improbabilem eſſe, hoc ipſum inſinuat dicens, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Erat Chriſtus ille de quo ait Petrus, *qui peccatum non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius*; & erat, ſicut refert Lucas, *vir potens opere & ſermone*, ac proinde poſt oſtenſionem ſuæ innocentiæ in operibus, volebat etiam oſtendere ſuam in doctrina puritatem, vt non credendi nullam prorſus excuſationem haberent. Porrò ipſius doctrinam veram eſſe, ipſumque veritatem docuiſſe, Chriſtiani etiam nominis hoſtes apertè confeſſi ſunt: nam Io- *1. Pet. 2. 22.* *Ca. 24. 19*

Lib. 18. Antiq. Iudaic. c. 6. ſephus Matathiæ filius, vir doctrinâ, & ingenio inter Iudæos excellentiſſimus, & Chriſtiani nominis inimicus infeſtiſſimus, præclarum hoc de Chriſto ſcribit teſtimonium, quod diuus Hieronymus in catalo-
Cap. 13. go de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, refert, & tale eſt: *Eodem tempore* (inquit Ioſephus) *fuit Ieſus vir ſapiẽs, ſi tamen virum eum oportet dicere: erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt; plurimos quoque tam de Iudæis, quàm de Gentibus ſui habuit ſectatores, & credebatur eſſe Chriſtus: cúmque inuidiâ noſtrorum Principum, cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominùs qui eum primùm dilexerunt, perſeuerauerunt: apparuit enim tertiâ die viuens, multa, & hæc, & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus, & vſque hodiè Chriſtianorũ gens ab hoc ſortita vocabulum non defecit.* Ex quibus omnibus verbis illa maximè ad rem, quam proſequimur, faciunt: nempe, *erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui vera ſuſcipiunt*: inſinuant enim vera eſſe, quæ Chriſtus prædicabat, operáque eius, ipſa, quæ prædicabat, non improbabilia, nec incredibilia, ſed credibilia reddere (ſermonem enim ſuum confirmabat ſequentibus ſignis mirabilibus,
Marc. 16. 20. quorum patrator erat, ſicut poſt Aſcenſionem per manus diſcipulorum feciſſe refertur) apud eos præſertim, qui quia veritatis erant amatores, vera libenti animo audiebant & ſuſcipiebant. Quales non erant perditiſſimi iſti Iudæi, quibus dicebat, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

Philo etiam Iudæus Alexandrinus, eruditione inter cæteros Iudæos eximius, & ingenio, ſapientiâque Platoni ſimillimus, ſummis vſque in cœlum laudibus extollit Chriſtianos in Ægypto præſertim

degen

degentes,& hanc Euangelicam Chriſti Domini veritatem ſequentes, ſicut referunt Euſebius & D. Hieronymus. Et, quod magis mirandum eſt, circa hanc viam, quâ Chriſtus eundum eſſe in cœlum docuit, damnati apud inferorum regionem exiſtentes hoc idem aſſerunt dicentes, *Ergo errauimus à via veritatis.* Conſtat igitur tum ex doctiſſimorum Iudæorum teſtimoniis, tum etiam ex damnatorũ confeſſione, Chriſtum veritatem eiſdem docuiſſe, à qua ipſi aberrare voluerunt. Vbi notandum eſt poſſe vnumquemque facillimo negotio copioſum ſermonem contexere ex noſtro in Pſal. 50. commentario, in quo hanc veritatis materiam latè proſequimur, explicantes verſum illum, *Ecce enim veritatem dilexiſti,* &c. *Euſeb. li. 2. cap 15. & 17. Hier. Cata. ſcript. Eccleſ. ca. 21. Sap. 5. 6.*

Ex dictis huc vſque ſubſequenter illud tertium colligitur, nempè ex Iudæorum nequitia & malitia prouenire, vt ipſi veritatem dicenti, eámque vitæ innocentiâ confirmanti non crederent, quibus proptereà dicebat; *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis,* innuens Iudæos ideò verba ſuá nolle audire, nec eiſdem obedire, quia non ex Deo, ſed ex diabolo, ſeu, quod idem eſt, mali & impij erant; de quibus dicitur, quòd *excæcauit eos malitia eorum*, quia nempè malitia ipſorum efficiebat quòd eſſent *filij mẽdaces, filij nolentes audire legem Dei*, vt habetur alibi: nolebant enim intelligere, vt bene agerent. Quapropter vitulis & tauris circumferuntur, dum de ipſis dicitur in perſona Chriſti, *Circundederunt me vituli multi, & tauri pingues obſederunt me.* Quia quemadmodum tauri, vt hominem maiori & ſæuiori ictu, ſeu impetu percutiant, oculos priùs claudunt: Sic *Ioan. 8. 47. Sap. 2. 21. Iſa. 30. 9. Pſ. 22. 13. Simile.*

etiam Iudæi, vt Chriſtum,quem contrarium operibus ſuis reputabant, perſequerentur, nec quicquam eſſet quod eorũ in ipſum impetus retardaſſet, eiuſdem doctrinam,quæ ipſorum oculos aperire poſſet, *ſimile.* audire nolebant. Experientiâ compertum eſt elephantes non poſſe niſi cum magna difficultate adduci vt in aquam ingrediantur, cuius cauſa eſt, quia ipſa aqua, in qua ſe intuentur, eiſdem ſuas difformitates manifeſtat: ad quem modum, propter hoc ipſum Principes præſertim & pontifices Iudæorum ad aquas Euangelicæ veritatis, ad quas Chriſtus Dominus omnes vocabat, venire nolebant,id quod in Herode Galilææ rege, & in Anna pontifice patuit: ſiquidem huic interroganti Chriſtum de ſua doctrina, quaſi eam nunquàm audiuiſſet, reſpondit *Ioan. 18. 20.* ipſe, *Ego palàm loquutus ſum, interroga eos qui me audierunt*, &c. ille verò,nempè Herodes, dicebatur eſſe cupiens ex multo tempore videre Chriſtum, quaſi ipſum nunquàm vidiſſet, nec audiuiſſet.

Nec hoc in illis,& aliis eiſdem ſimilibus mirum *Ioã.3.20.* fuit, ſiquidem qui malè agit, odit lucem, vt dicebat Chriſtus; & eius doctrina lucerna, & lumen erat, *Pſal. 118. 15.* iuxta illud, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*; Vnde cùm ipſi Iudæi,& præcipuè eorum principes, malè agerent, Euangelicæ veritatis lucem odio habebant, ipſamque execrabã- *ſimile.* tur.Hoc diſcrimen inter volucres cœli ſeu volatilia, & animalia terreſtria reperitur, quòd terreſtria animalia noctu lumen fugiunt,volucres verò ad ipſum ſe recipiunt, illud quærunt,& ſequuntur:& ſimiliter homines de terra terreni Euangelicæ veritatis lumen deuitant, homines verò de cœlo cœleſtes, hoc eſt, qui ex Deo ſunt, illud quærunt, & verba Dei

Dei audiunt, quæ idem lumen ex ſe emittunt. Non ſolùm autem Iudæi vt plurimùm hoc tunc faciebãt, ſed Chriſtiani etiam, quod magis dolendum eſt, vt plurimùm illud idem nunc faciunt: neque enim ſacras conciones frequentant, imò diebus feſtis, quibus illæ habentur, quamcunque abeundi occaſionem accipiunt, vt eiſdem non interſint. Vnde ſicut Hieremias ſimilem ſui temporis calamitatem deplorans aiebat, *Viæ Sion lugent, eò quòd non eſt qui veniat ad ſolemnitatem:* Sic & nos hoc tempore poſſumus meritò dicere illius miſeriam deplorãtes: Viæ templi lugent, eò quòd non eſt qui veniat ad conciones, vt verbum Dei audiat. Illud maximum ſupplicium comminabatur Iudæis Deus per Prophetã, nempe, *Emittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini*; quo ſupplicio eos affecit, cùm in pœnam peccatorum ipſorum, Euangelicis concionatoribus eoſdem fecit carere, & non minori ſupplicio Chriſtianos aliquos propter eorundẽ peccata percutit: licèt enim famem verbi Dei non experiantur inter tot eiuſdem verbi concionatores, faſtidium tamen ipſiuſmet verbi Dei habent, ac proinde ipſum nolunt audire. Quod præcognoſcens Iſaias dicebat, *Veni, & non erat vir, vocaui, & non erat qui audiret*; vbi editio ſeptuaginta Interpretum habet, *Vocaui, & non erat qui obediret*, inſinuans idem etiam eſſe, audire & non obtemperare, ac non audire; in qua etiam ſignificatione idem verbum ſumitur in Geneſi, vbi dicitur, *Quia audiſti vocem vxoris tuæ*, &c. Hoc eſt, quia audiſti & obediſti voci vxoris tuæ, &c. Secundùm quod ſignificatum dicebat etiam Chriſtus hoc loco, *Qui ex Deo eſt*, verba Dei audit, hoc eſt,

Thren. 1. 4.

Amos 8. 11.

ca. 50. 2.

Ca. 3. 17.

libenti, & hilari animo audit, & promptâ voluntate obedit, quod impius minimè facit. Dicimus autem eum qui ex Deo eſt libenter verba Dei audire, quia eius anima, ſub nomine Sponſæ ſignificata, ait ipſi
Cāt. 2. 14. Deo Sponſi perſonam gerenti, *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*. De qua dulcedine
Pſal. 118. 103. loquens Dauid dicit, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo*. Dulce quidem eſt ei,
Simile. qui à patria exulat, de eadem audire nuntia, & quidquid boni de ea dicatur, quia de ea audit, eius recordatur, & talis recordatio eum in ſuo exilio conſolatur, præſertim quando in exilio captiuus detinetur, quod de ſe ſignificabant Hebræi in Babylonica
Pſal. 136. 1. captiuitate conſtituti, quando dicebant, *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion*: ad quem modum vnuſquiſque iuſtus dum exul à cœleſti patria captiuus in hoc mundo, per Babylonem ſignificato, exiſtit, libenter audit quempiam de ipſa patria cœleſti ad ipſum verba facientem, ipſique in memoriam adducentem infinita bona, quæ in ea iuſtis reſeruata reperiuntur,
Pſal. 121. 1. ac proinde cùm hoc audit, dicit cum Dauide, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, ſtantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem*. Quâ lætitiâ non afficiuntur terreni, quibus quæ ſurſum Hieruſalem non eſt patria, ſed hic mundus terrenus, in quo arbitrantur ſe habere perma-
Hebr. 13. 14. nentem ciuitatem, contra id quod D. Paulus docuit, nec aliud audire volunt; de quibus propterea
Pſa. 134. 17. dicit Dauid, *Aures habent & non audient*, quia nimirum audiendi potentiis quodammodò carent. Peculiare de hac re myſteriũ videtur eſſe incluſum in eo quod in ſacris literis ſcriptum reperitur: habetur

betur enim, quòd cùm Iudæi Aaron Sacerdoti dixerunt, *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*, ipſi eis dixit, *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me*, vbi mirũ eſt, non poſtulaſſe ab eis catenas, torques, annulos, & alia aurea ornamenta, quæ plus auri poſſent habere, ſed ſolas inaures, ſeu murenulas aureas minus auri in ſe; vt plurimùm continentes; attamen illud diuinâ permiſſione ita fuiſſe factum videtur, vt ſcilicet ſignificaretur ex eo, quia homines inauribus, audiendi deſideriis aures ſignificatis, priuantur (quod fit quando non audiunt) prouenire, quòd vel fidem non acquirant, vel acquiſitam amittant, ac proinde ſic in peccata labantur, quo vſque tandem in idololatriam miſerabiliter deueniant: nam, vt ait D. Paulus, *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Et paulò pòſt, *Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti*. Dixit etiam idem Apoſtolus de his, qui ex eo, quòd verbum propheticum, ſeu prophetias non audiant, & ſequantur, bonum conſciétiam amittunt, quòd eam repellentes, circa fidem naufragauerunt. Quia verò animam maximè oportet talibus inauribus, ſeu audiendi deſideriis nõ eſſe priuatam ipſi, ſub nomine Sponſæ, & amicæ ſignificatæ, eas pollicebatur diuinus Sponſus, dicens ei, *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argẽto*, hoc eſt, inaures dabimus auribus tuis, quæ quoad ſubſtantiam ſint aureæ, & magis precioſæ, & quoad modum ſint argentatæ, quia, vt plurimùm, materiam non ſuperat opus, licèt hoc aliquando contingat. Promittere itaque videtur Deus animæ amicæ ſe illi daturum ea auxilia gratiæ, quibus adducta deſideret, & velit verba ſua audire, & non

Exod. 32. 2.

Rom. 10. 14. 17.

1. Tim. 1. 19.

Cant. 1. 11.

quomodolibet, ſed maximâ auiditate, iuxta quod
Eccleſ. 3. 31. dicitur, quòd *auris bona audit cum omni concupiſcentia ſapientiam*, quod idem eſt, ac dicere, quòd aures illius, qui ex Deo eſt, verba Dei maximâ auiditate audit.

Non ſufficit nos verba Dei libenti animo audire, vt verè dicamur ex Deo eſſe, niſi ſimul eiſdẽ promptâ voluntate obediamus: ait enim D. Ioannes, *Nos ex Deo ſumus, qui nouit Deum, audit nos, qui non eſt ex Deo, non audit nos*, hoc eſt, non obtemperat nobis. Non dicit Chriſtus eos eſſe beatos, qui ſolùm audiunt verbum Dei, ſed & qui cuſtodiunt illud; In Apocalypſi ſimiliter dicitur, *Beatus, qui legit, & audit verba Prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt*; & ipſe Chriſtus Dominus alibi, *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti qui ædificauit domum ſuam ſupra petram.* Iuxta quod dicebat etiam Dauid, *In corde meo abſcõdi eloquia tua, vt non peccem tibi*; quia nimirum nõ ſolùm verbum Dei audiebat, ſed illud in cor intromittebat, & ſic illi obtemperabat, vt nullum peccatum committeret. Qui autem illud audiunt, & ei non obediunt (quod idem eſt, ac non audire) maius peccatum habent, & meritò de eiſdem dici poteſt illud D. Petri, *Melius eſſet eis viam veritatis non cognouiſſe, quàm poſt cognitam retrorſum conuerti.* Et quemadmodum de illis, qui ex Deo ſunt, verè dicitur illud, *Audierunt autem verbum Dei, quot quot erãt præordinati ad vitam æternam*; Sic eſt de his, qui nõ ex Deo ſunt, verè etiam dici poteſt illud Pauli, *Terra ſæpè ſuperuenientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem ſpinas, & tri*

1. Ioan. 4. 6. — Luc. 11. 28. — Apoc. 1. 3. — Matth. 7. 24. — Pſal. 118. 11. — 2. Pet. 2. 21. — Act. 13. 48. — Hebr. 6. 7. 8.

& tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem. Quæ verba rationem eandem reddunt, quam Chriſtus Dominus aſſignat, quare ſcilicet ipſius doctrinę Iudæi non crediderint, & non obtemperauerint; & ratio eſt, quia terra reproba erat, & propter ſuam nequitiam & malitiam erant etiã maledicto proximi, & germinabãt tribulos & ſpinas, hoc eſt, pro gratiarũ actione & benedictionibus, maledictiones & opprobria proferebãt, dicentes, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? &c.* Oportet igitur multò aliter ſe habere Chriſtianos, & non ſolùm verba Dei libẽti animo audire, ſed eiſdem maximâ prõptitudine obedire, & non eſſe ſimiles illis de quibus ait Propheta. *filij populi tui audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, & in canticum oris ſui vertunt illos, quaſi carmen muſicum, quod ſuaui, dulcique ſono canitur.* Sunt enim nonnulli, qui quando conciones audiunt, verborum conceptu, & eloquentiæ ſuauitate delectantur, nihil interim de his, quæ facere admonentur cogitantes aut memoria retinentes, inſtar eorum, qui muſicam audientes, nõ ad id quod canitur, ſed ad id duntaxat quod ſonat dum ſonat, tantummodò aduertunt, & nullius alterius rei recordantur. Ex quibus omnibus rectè colligitur, ex Iudæorum nequitia ſolummodò prouenisse, quòd Chriſti Domini doctrinæ non minùs veræ quàm vitæ innocentiâ, & miris operibus confirmatæ, non crediderint, nec audiuerint, nec denique obtemperauerint; quapropter tamquàm ij, qui non ex Deo fuerunt, igne, diabolo, & angelis eius parato apud inferorum ſedes torquebuntur, ſicut qui ex Deo ſunt, in cœleſtibus domiciliis, quia verba Dei audierunt, & adimpleuerunt, æternâ cumulabuntur gloriâ, quam, &c.

Ioan. 8. 48.

Ezech. 33.31.

ſimile.

HOMILIA IN LOCVM ILLVD MATTH. 21. 4.

Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & filium, &c.

Pſal. 22. 1. DOminus regit me, nihil mihi deerit, ait Regius Propheta: quaſi dicat, exiſtente Deo mihi rege, quid boni mihi poterit deeſſe? Poſſunt quidem homines hodiernâ die ſimiliter dicere, Adueniente è cœlo nobis Deo noſtro rege (de quo vnicuique ait Propheta ab Euangeliſta hîc relatus, *Ecce Rex tuus venit tibi.*) quid boni nobis deeſſe poteſt? profectò nihil, & multò minùs diuina gratia, quam ipſe Deus Rex Regum & Dominus dominantium gratis elargiri ſemper conſueuit, ſi præſertim apud eundem Regem Angelorum Regina, nempe Virgo Maria, ad eandem gratiam impetrandam pro nobis ipſis intercedat: efflagitemus igitur ab illa vt hoc pro nobis faciat, dicamuſq; eidem, *Aue Maria*, &c.

De aduentu Chriſti Domini in lege promiſſi non abs

abs re hoc loco ad Iudæorum confuſionem;& Gentium conſolationem nonnulla in medium proferre volumus,& quia in eodem aduentu duo potiſſimùm conſiderari poſſunt,nimirũ tempus,& modus ipſius, ideò de vtroque ſigillatim nobis agendum erit. Et quidem circa priorem loci partem,nempe, *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam,&c.* tempus, ſeu temporis plenitudinem, quo prædictum erat ipſum venturum, conſiderabimus: circa ſecundam verò loci partem, de modo aduentus, circa quem Iudæi turpiter errauerunt,ſimiliter agemus. Quod ad primum attinet, in Daniele talia verba Angeli Gabrielis prædicãtis tempus aduentus Meſſiæ continentur, *Septuaginta*, inquit, *hebdomadæ abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſumatur præuaricatio,& finem accipiat peccatum,& deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna & impleatur viſio, & prophetia,& vngatur Sanctus Sanctorum.* Cuius quidem Prophetiæ verba, vt ex ipſis paret, ſoli Chriſto Domino conuenire poſſunt: hebdomadas verò has eſſe hebdomadas annorum (ſiue illi ſint Solares,ſiue Lunares) fatentur Iudæi, & colligi poteſt ex Ezechiele & Leuitico, vbi habetur, *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum*,ideſt,ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta nouem, & ſic ſumptæ hebdomadæ, ſiue computentur à temporibus Cyri,aut Darij,aut Artaxerxis, pertinent abſque vlla controuerſia ad annos Chriſti Domini. Quapropter, viuente ipſo, intelligentes ipſi Iudæi aduenisſe iam temporis plenitudinem, miſerunt ab Hieroſolymis Leuitas ad Ioannem Baptiſtam, de cuius ſanctitate multa dicebantur, vt eum interrogarent, quis

Ca.9.24.

Ezech. 44.26.

Leuitic. 25.8.

quis eſſet, an ſcilicet eſſet Meſſias in lege promiſſus, quia nempe ipſos temporis occaſio ad id mouebat; imò hæc eadem temporis occaſio in cauſa fuit, vt quàm plurimi ex Iudæis tunc magno ſuperbiæ flatu elati ſe inſolenter erigerent, & vnuſquiſque eorum ſe Meſſiam eſſe dicere non dubitaret; quorum primus fuit Iudas Galilæus: ſecundus verò Ioſephus Benzara, qui ſub Meſſiæ titulo Imperatori Adriano rebellis eſſe auſus, ab eodem Adriano expugnatus, & procul à Palæſtina, vnà cum ſuis ſequacibus, exterminatus eſt. Tertius fuit Barcozibas inſignis dux, & ob multas victorias, quas peperit, reputatus etiam Meſſias, qui etiam poſt aliquod temporis ſpatium, quo ſub eo titulo & opinione extitit, ab eodē Adriano Auguſto publico ſupplicio affectus necatus eſt. Omitto etiam quàmplurimos alios, qui ſub nomine Meſſiæ populum Iudaicū fefellerunt ipſos cateruatim ſequentem, quos Fœlix Iudææ Preſes ad internecionem deleuit, ſicut Ioſephus enarrat; qui tamen Iudæi, & ex Iudæis ipſos ſequentes, id ſibi perſuaſum habebant, nempe, tempus, quo Meſſias venturus erat aduenisse, nec aliud ad eiuſdem aduentum eſſe expectandum.

Lib. 2. de Bello Iudaico, ca. 12.

In ſacris literis continetur hæc Iacob Patriarchæ Prophetia, ***Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium,*** vbi ſimiliter tempus aduentus Domini aſsignatur, dum dicitur, non eſſe auferendum regale ſceptrum à familia & genere Iuda antè quàm Meſſias adueniret, & innuitur ſimul, vbi primùm auferendum eſſet, ipſe Meſſias eſſe aduenturus. Iam verò tempore Chriſti Domini, quis dubitat tranſlatum fuiſſe regnum Iudææ in Herodem

Gen. 49. 10.

cogno

cognomento magnum Aſcalonitam, & Idumæum genere, & minimè Iudæum, qui innocentes pueros ideò occîdit, vt inter illos eum etiam interimeret, quem futurum eſſe regem Iudæorum audiebat & pertimeſcebat? Fuerunt quidem eo rege quàm plurimæ inter Hebræos ſeditiones & diſſenſiones, ex eo ſolùm exortæ, quia pro certò habebant Meſſiam adueniſſe, quapropter non defuerunt inter ipſos, qui eundem Herodē Meſſiam eſſe putarent, & tanquàm talem reciperent & venerarentur; quapropter Herodiani appellati ſunt, vt teſtantur Tertullianus, & Epiphanius. Poſteà verò mortuo hoc Herode, cùm in regnum Iudææ ſuccederet Agrippa filius Ariſtobuli, quem Ariſtobulum ipſe Herodes magnus ex Mariane Hebræa genere genuerat, putauerunt aliqui ex Iudæis non adhuc ablatum eſſe ſceptrum regale de Iuda, quâ conſolatione eo tempore afficiebantur, ſperantes adhuc Meſſiam futurum: quam tamen ſpem omninò amiſerunt, cùm Imperatore Veſpaſiano viderunt finitam eſſe Hebræorum in regno ſucceſſionem, ipſumque regnum tranſlatum eſſe ad eundem Veſpaſianum. Quapropter quidam ex ipſis contra Imperium arma ſumpſerunt, quidam verò, de quorum numero fuit Ioſephus, vt videre eſt apud eum, ipſummet Veſpaſianum tāquàm Meſſiam acceperunt & venerati ſunt; id quod etiam referunt Suetonius Trāquillus, & Cornelius Tacitus: quam Iudæorum adulationem ipſe Veſpaſianus bene recipiens, multa conatus eſt facere, quę de Meſſia prædicta eſſe audierat: nā induſtriâ Apollonij Tyanæi magici inſignis, quem, vt ait Philoſtratus, ſecum habebat, cuidam cæco adhibitâ oris ſui ſaliuâ viſum reſtituit, & manum cuiuſdam infirmi neruos contra

Matth. 22.16.
Tertull. de præſ.
Epiphan. in Math.

Lib. 7. de bello Iud. ca. 21.
In Veſpaſ. c. 14.
Annal. lib. 2.

Philoſtr. lib. 5. in Apoll.

cõtractos habentis ipſos extendens ſanauit (quæ quomodò naturalibus remediis adhibitis fieri poſſe Medicorũ iudicio docuit Suetonius) & quia de Meſſia prædictum erat futurum eſſe principem pacis, templum magnis ſumptibus, & miro artificio fabricatum paci dicauit, cui inſcribi iuſſit, PACI:

Lib. 7. de bell. Iud. cap. 24. ÆTERNÆ, vt Illuſtriſſimus Cæſar Baronius Romanæ curiæ Cardinalis probabili coniecturâ tradit, & quia ſe filium Dauid, qualem futurum eſſe Meſſiam etiam in Diuinis prædictũ erat, aliquo colore ſimulare non poterat, omnes ex eiuſdem ſtirpe procedentes maximâ diligentiâ conquiſitos, vitâ

Lib. 3. hiſtor. c. 11. priuari iuſſit, ſicut refert Euſebius; vt etiam Iudæi omninò diffiderent Meſſiam ipſum ex tali Dauidis progenie fore aliquando naſciturum. Conſtat igitur tempus aduentus ipſius eſſe eâ tempeſtate tranſactum, nec eſſe, niſi ab ſtultis & cæcis hominibus ampliùs expectandum; ſiquidẽ Prophetiæ illæ, quæ *Daniel. 9. & Geneſ. 44.* continentur, mille ſexcẽtis & duobus ab hinc annis ſunt adimpletæ, & tãquàm adimpletæ iudicatæ non ſolùm à doctiſſimis ex Iudæis, ſed à grauiſſimis ex Gentilibus, vt copiosè huc-uſque oſtenſum eſt, vt ex præſenti Prophetia ab Euangeliſta hîc relatâ perſpicuè deduci poteſt.

Quod verò attinet ad ſecundam huius loci partem, in ea quidem declaratur modus, quo Chriſtus venturus erat, & qualiter plurima Diuinæ ſcripturæ loca, in quibus de eodem aduentu agitur, ſint intel-

Pſal. 44. 4. 5. ligenda: dicitur enim à Pſalmiſta, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime*; & infrà, *Intende,*

Pſal. 96. 1. 3. *proſperè, procede, & regna*; & alibi, *Dominus regnauit, exultet terra*; & infrà, *Ignis ante ipſum præcedet,*

Iſa. 42. 13. *& inflammabit in circuitu inimicos eius.* Et Propheta,

Dominus

D*ominus ſicut vir fortis egredietur, & ſicut prœliator ſuſcitabit zelum, vociferabitur, & clamabit, & cōfortabitur ſuper inimicos eius*: ex quibus, & aliis ſimilibus locis, colligunt Iudæi Meſſiam venturum eſſe tanquàm potentiſſimum ducem, copioſiſſimum militum fortiſſimorum exercitum ſecum ferentem, & maximâ iracundiâ inflammatum contra Iſraëlitici populi inimicos, & tanquàm inuictiſſimum regem ſummâ proſperitate fruentem, & ab hoſtibus ſuis innumerabiles victorias ſibi comparantem, & celeberrimos triumphos agentem: id enim aſſerunt literam harum Prophetiarum ſonare; & nihil aliud innuere: quâ in re miſerabiliter cæcutiunt, & non quia non vident, ſed quia id tantùm, quod craſſum & corporeum eſt, videt; illud autem, quod ſubtile & ſpirituale eſt, minimè percipiunt, quoniā oculos caliginoſos habent: quemadmodum enim *ſimile.* nebulas in oculis habentes, non ſubtiles lineas, ſed craſſa corpora percipere poſſunt; ſic ſimiliter intellectuales Iudæorum oculi, quaſi caliginoſi, non ad ſpiritum Scripturæ, ſed ad literam ipſius tantùm attingunt, ac proinde pro vno aliud admodùm re ipsâ diuerſum & reputant, & iudicant: robur enim, potentia, arma, zelus, ira, hoſtes, prælium, victoriæ; proſperitas, regnum, & imperium in his omnibus Prophetiis ſpiritualiter ſunt intelligenda, licèt primâ facie aliter accipienda eſſe videantur. Id quod apertè colligitur ex aliis diuinæ Scripturæ locis, per quæ ea, quæ adducta ſunt, & alia intelligenda veniunt: habet enim Propheta, *Non erit triſtis, nec* *Iſ. 42.4.* *turbulentus*; & iterum, *Indutus eſt iuſtitiâ, vt loricâ,* *Iſ. 59.17* *& galea ſalutis in capite eius, indutus eſt veſtimentis* *Iſ. 61.1.2* *vltionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli*; Item, *Spiritus*

Digitized by Google

Domini ſuper me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam; & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem, & diem vltionis Deo; quæ omnia ſonant, non quidem fortitudinem, robur, potētiam, victoriam, vltionem, & arma militaria & corporalia, ſed ſpiritualia, quæ conſiſtunt in patientia, manſuetudine, & in reliquis virtutibus, quibus dæmones, humani generis hoſtes infeſtiſſimi à Chriſto Domino profligati ſunt, ipſúmque genus humanum ab eorundem tyrannica poteſtate in libertatem reuocatum & vendicatum eſt.

Et quidem Chriſti regnum ſpirituale eſſe, ipſumque ſpiritualiter corda hominum rexiſſe, perſpicuè conſtat ex loco Prophetæ hîc ab Euangeliſta relato, nempe, *Dicite filia Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & filium ſubiugalis*; vbi modus aduentus ipſius exponitur, non tam in fortitudine militari quàm in manſuetudine diuina conſtitiſſe; non enim vectus curru ducto ab elephātibus, ſicut Cæſar & Pompeius, vel à leonibus, ſicut Marcus Antonius, vel à ceruis, ſicut Aurelianus, triumphantes Romam ingreſſi ſunt; Hieruſalē ingreſſus eſt, ſed humiliſſimo iumento, vt eximiam, & mirabilem ſuam humilitatem, & oſtenderet, & doceret. Veruntamen in eo humiliſſimo apparatu tantam maieſtatem & diuinitatem præ ſe ferebat, vt cùm Iudæi in eiuſdem mortem conſpirauiſſent, in vrbem, & templum ita tanquàm cordium Dominus ingreſſus fuerit, vt facto quodam quaſi flagello omnes vendentes, & ementes ab ipſo audacter eiecerit, & acerrimis verbis reprehenderit, hinc eo quòd aliquis eorum ad eum loqui, imò nec mutrire auſus

Zachar. 9.9.

auſus fuerit, quo etiam & aliis in templum ingreſſibus ad literam impleta eſt alia Prophetia dicens, quando ipſum reædificabatur, *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſima plus quàm prima*, quæ ſecundi templi magnitudo gloria in eo conſiſtit, quòd Chriſtus Dominus in ipſum fuit ingreſſus, & maieſtate ſuâ idem templum repleuit, antequàm ipſummet ſolo æquatum, & funditùs euerſum eſſet, in nulla alia re profectò conſiſtere potuit: nam neque in magnificentia, nec in artificio, nec in diuitiis, nec in cæremoniis, nec in Prophetarum vaticiniis, nec in miniſtrorum ſanctitate cum primo templo à Salomone ædificato comparari potuit; quia tanto exceſſu ipſum ſecundum ſuperatum eſt à primo, vt ſeniores Iudæorum, qui viderant primum, eius diuitias & magnificentias, videntes poſtea ſecundum, & eiuſdem paupertatem & defectum, maximos gemitus emiſerint, & maximam lacrymarũ vim profuderint, ſicut refert Eſdras Ioſephus, quam tamen ſecundi templi à primo differentiam conſiderans Aggæus, verba illa protulit, *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, plus quàm prima*, prædicẽs in illis gloriam à ſecundo templo comparandam, quando illud maieſtate Meſſiæ in ipſum ingredientis erat adimplendum. Cùm autem templum illud nouiſſimum ſit à Romanis funditùs euerſum, & ſolo æquatum, vt dictum eſt, quæri à Iudæis poteſt, quãdo in eo fuerit maior gloria, quàm in primo, niſi quãdo illud Chriſtus Dominus ingrediebatur, & omninò abs re erit ab ipſis petere quando eiuſdem ſecũdi templi futura ſit maior gloria quàm primi; ſi quidem ſecundum iam non extat. Imò ipſimet Iudæi templo, ſacerdotio & regno carent. Relinquitur er-

Aggæi 2.10.

Lib.1.c.3. Antiq. lib.11.

go tanquàm manifeſtum, Meſsiam iam adueniſſe, regnúmque eius ſpirituale eſſe: corda ſiquidem hominum tanquàm eorundem Dominus tam vehementer mouebat intrinſecus, vt non ſolùm tanquàm Rex ab Hieroſolymitanis reciperetur, tali in vrbem humilitate ingrediens, ſed etiam in templo, taliter eoſdem puniēs & reprehendens, à nemine, nec opere, nec verbis ſaltem offenderetur.

Et hoc quidem quod ex prophanis authoribus & præſertim ex Diuinis literis tam apertè colligitur, nempe regnorum arma, inimicos, & alia eiuſmodi ſpiritualiter in illis Prophetiis eſſe accipienda, rationibus etiam oſtenditur. Nam ſi loquamur de regnis & imperiis temporalibus, nemo erit, qui neget ipſa à diuina prouidentia illis fuiſſe data qui ea poſſederunt: habetur enim de ipſa, *Per me reges regnant, & legum conditores per me iuſta decernunt*; &c. datum fuit ab ipſa imperium Aſſyriis, Medis, & Perſis, inter quos valdè diuitiis floruerunt Cyrus, & Xerxes, & poſteà tranſlatum eſt ad Græcos, inter quos florentiſſimus in potentia extitit Magnus Alexander; poſteà denique tranſmiſſum eſt ad Romanos, inter quos florentiſſimi ſimiliter rerum geſtarum fuerūt Iulius & Augustus Cæſares, nec negari poteſt datū fuiſſe Imperium his gentibus, & earum ducibus à Diuina prouidentia, iuxta relatum Diuinæ Scripturæ locum: & tamen nec eiſdem gentibus, nec earundem ducibus tale regnum & Imperium promiſſum vnquàm fuit, nec de eo quidquam locutus eſt Deus, niſi per tranſennam & aliud agens. Quis igitur ſanæ mentis compos dicet ſimilis regni temporalis promiſſionem factam fuiſſe & renouatam, & vnoquoque ſeculo, & plurimis verbis inculcatam

Prouer. 8 16.

fideli

fideli Iudæorum populo, & Meſſiæ futuro eiuſdem duci, & mille ſexcentis ab hinc annis, cùm ſine tali promiſſione anteà facta, & nullâ verborum inculcatione præcedente, hoc temporale regnum & imperium datum fuerit populis idololatriæ deditis, & impiis ipſorum ducibus, Cyro, Xerxi, Alexandro, Cæſari, & ſimilibus aliis: tanta res erat, tale temporale regnum, tanta potentia erat, ruere facere muros, & arces de ſe tandem ruituras? tanta fortitudo erat mortales morte afficere, & mortuos reddere? vt quod in fidelibus hominibus tot præcedentibus demeritis & nullis præcedentibus promiſſionibus dedit, illud idem fideli populo (ſi ipſe fidelis eſſet) tot præcedentibus promiſſionibus mille ſexcentis, & duobus ab hinc annis factis, & minimè hucuſque adimpletis non dederit? Dicendum eſt ergo neceſſariò, regnum Meſſiæ ſpirituale eſſe, ſpiritualitérque eſſe accipienda, quæ ipſum erant comitatura, nempe, arma, victorias, proſperitatem, abundãtiam, libertatem, redemptionem, & huiuſmodi alia.

Quòd ſi aliquis quærat quare per bona temporalia Deus ſpiritualia ſignificauerit, & quam ob cauſam ipſa ſpiritualia dare, & præcipuè populo Iſraëlitico non propoſuerit, dicendum eſt, quòd quia animalis homo (qualis vnuſquiſque illius populi erat) non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei, vt ait Paulus, ideò ad inducendam intelligentiam ſpiritualiũ corporalium promiſſionem, & ſpem eidem populo propoſuit, quod præſertim fecit propter maximam, & penè incredibilem Hebræorum pueritiam, quæ poſtulabat, vt ipſis quaſi puerulis bona temporalia terræ primâ facie promitterentur, quorum ſpe & deſiderio adducti, & prouocati ad deſiderium cœ- *1. Cor. 2. 14.*

leſtium donorum eleuarentur: ſi enim ipſi maximũ amorem Dei in ſe experti, tum in plagis, quibus propter ipſos percuſſerat Ægyptios, tum in diuiſione maris rubri, quod ſiccis pedibus tranſierunt, ſi habentes quaſi præ oculis nubem, & in auribus vocem Domini ad eos in monte Sina ex ea loquentis, & in ore ſuauiſſimum manna, quod à cœlo pluerat: ſi denique habentes coram ſe nubẽ illam, quæ ipſos nocte illuminabat, & die ducebat, & à calore Solis in deſerto protegebat, iam iam ingreſſuri ipſam terram Canaam, vbi primùm audierunt ab exploratoribus in ea eſſe viros robuſtos, fortes, & validos, ſtatim animo cadentes, & à Deo turpiter diffidentes retrogreſſi ſunt; quid facerent ſi cùm eſſent in bona terra adeò propenſi & malorum ipſius adeò formidoloſi, eiſdem promitteret Deus ineffabilem ſui filij incarnationem, & ſpiritualia bona ipſam conſequutura, quæ tamen nec videbant, nec niſi multa poſt ſecula videre poterant; ſique ipſiſmet polliceretur fœlicitatem æternam; in alia tamen duntaxat vita poſſidendam; nullius quidem momenti eſſet apud eoſdem talis promiſſio, & nihilominùs in eorum animis operaretur.

Hæc ergo fuit vna ex cauſis, quare id quod attinet ad victoriam, quam Chriſtus Dominus in cruce ex dæmone erat reportaturus, & ad libertatem, in quam genus humanum erat ex ipſius tyrannica poteſtate vendicaturus, & ad triumphos, quos erat de inferno acturus, & ad ſpolia, quæ ex ipſo erat deducturus, hoc omne nominibus viſibilium præliorum, victoriarum, triumphorum, & cæterorum ad bellum pertinentium ſignificatur. Id verò quod ſpectat ad eiuſdem Chriſti gratiam, quæ maximè in animis hominum

minum fructificatura erat, ſimiliter ſignificatur nominibus agri, vineæ, oliuarum, & multorum aliorum ad agriculturam pertinentium, vt perſpici poteſt in quamplurimis ſcripturæ diuinæ locis, in quibus de Meſsiæ aduentu peculiariter agitur.

Cæterùm ſiquidem Iudæorum animus non ſurgit ad altiora, nempe ad ſpiritualia, deſcendemus nos cum ipſis ad infiniora, nempe ad temporalia, & demus quod pro libito deſcribant ipſi regem potentiſſimum, ditiſsimum, cui quàm plurimi alij reges, principes, & duces maximâ ſubmiſsione ſeruiant, quémque ſummis honoribus venerentur: & nullus certè ita pro libito ipſorum deſcriptus erit, qui viuens tot ac tantas ex his rebus habeat, quot & quantas ex illis Chriſtus Dominus habuit per multa annorum ſecula, etiam poſtquàm moriēs ab hac vita diſceſſit. Quis Monarcha, Imperator vel Rex ita poſt mortem filios diuites, potentes & honoribus cumulatos reliquit, ſicut Chriſti Apoſtoli ab eo relicti ſunt in ſummis Pontificibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui his temporalibus rebus mille ſexcentis ab hinc annis propter ipſum Chriſtum affluēter abundant, & ſummis honoribus, ſummáque veneratione ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus afficiantur? imò ſi de honoribus ſolùm loquamur, cui vnquàm regi in aliquam ſuam vrbem etiam cum triumpho ingredienti tantus honor fuit exhibitus, quantus huic noſtro Regi hodiernâ die exhibitus perhibetur? Non ſolùm enim tanquàm Rex, ſed etiam tanquàm Deus in vrbe Hieruſalem ſuſcipitur, & tali ab eiſdem in oculis, ſignis, & verbis declaratur. Signis quidem Deū eſſe oſtendunt, ramis ei obuiàm procedentes, quod ſoli

Deo facere ſolebant in tabernaculorum feſto, iuxta
Leuit. 23. 40. illud, *Sumetis vobis de primo fructu arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro*; verbis verò Meſſiam ſaluatorem, & Deum ſimiliter demonſtrant dicentes, *Oſanna in excelſis, benedictus qui venit in nomine Domini*, &c. Nulli ergo Regi vel Imperatori talis honor in triumphis, qualis Chriſto eſt exhibitus, ſi etiam de temporali loquamur.

Sed ad propoſitã rationem, quâ proſequebamur, reuertamur. Si Chriſtus non eſſet filius Dei, vt re vera erat, & verus Meſſias in lege promiſſus, & quia filium Dei ſe fecit, à Iudæis eſſet occiſus, nihil profectò ipſi Deo gratius, & acceptius efficere poſſent, quàm ipſum occidere, & tum propter ipſam occiſionem Diuini honoris zelo factam, tum propter perſeuerantem ipſorum legis obſeruationem, ſine eo quod diuiſione vbique commorantes inter tot, ac tam varias Gentium nationes ſe earundem ritibus, & moribus accommodauerint, aut à priſtina ſua religione in idololatriam defecerint, digni videbãtur, quos ipſe Deus maximis præmiis afficeret, ſummis bonis cumularet, & eximiis honoribus extolleret, & ſimiliter videbantur indigni, quibus factas promiſſiones mille ſexcentis ab hinc annis non adimpleret, & nihilominùs experientia teſtatur ipſos eam ſanguinis effuſionem, eam ſeruitutem, & captiuitatem, eam moleſtiam & oppreſſionem, id opprobiũ, & infamiam, à quibus per Regem, quem adhuc inaniter expectant, liberandi erant, tolerare & his, & aliis infinitis propemodùm malis circunceptos miſerrimam vitam traducere. Manifeſtè igitur cõſtat,

Chri

Chriſtum Dominum eſſe verè Filium Dei, de quo Centurio his, quæ viderat in ipſius morte permotus dixit; *Verè Filius Dei erat iſte*; & eſſe verum illum Iudæorum Regem, de quo Propheta Zacharias à noſtro Euangeliſta hîc relatus prædixit, *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mãſuetus*; ac proinde Iudæos ipſos grauiſſimum omnium peccatorum in eiuſdem occiſione commiſiſſe, ac propterea in tot mala ac tantam calamitatem incurriſſe, vt tanti peccati debitas pœnas darent. Quod quidem argumentum poſſemus multis alijs perſequi & explicare, ſi hodierna temporis breuitas ex plurimarum rerum occupatione exorta illud pateretur. *Matthæi 27.54.*

Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea, Pſal. 117. 24. Quemadmodum inuidiæ proprium eſt, de bonis alienis contriſtari, de malis verò lætari; ſic etiam charitatis eſt proprium, de alienis malis vice verſâ compati (ſicut faciebat Paulus, qui dicebat, *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non vror?*) de bonis autem alienis gaudere, ſicut ipſe Paulus Romanis faciendum eſſe conſulebat, dicens, *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus*; iuxta quod charitatis opus, qui cum Virgine ſtante iuxta crucem, in qua pendebat filius eius, tribus ab hinc diebus fleuimus, gaudere ſimul cum ipſa de reſurrectione eiuſdem filij hodiernâ die debemus audientes vicini beatæ Elizabeth, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, quãdo eidem dedit in ſenectute talem filium, qualis erat Ioannes Baptiſta, iuxta id quod prædictum erat ab Angelo, his verbis, *In natiuitate eius multi gaudebunt, & congratulabũtur ei.* Quis dubitauit magnificaſſe Dominum hodiernâ *Simile.* *2. Cor. 11. 29.* *Rom. 12. 15.* *Luc. 1. 14.*

die miſericordiam ſuam cum Virgine matre ſua, ipſamque priuſquàm alias Marias & Apoſtolos omnes fulgidiſſimis Diuini ſplendoris radiis illuſtraſſe.
Simile. Sicut enim reſurgens ab Antipodis Sol, montem inter omnes altiſſimum, priuſquàm cæteros minùs altos illuminat radiis: ſic etiam reſurgens Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter ex mortuis, ſacratiſſimam Virginem matrem ſuam, omnium Sanctorum maximam, priuſquàm ipſos omnes Sanctos glorioſiſſimi ſui corporis oſtenſione lætificauit. Quis igitur de reſurrectione filij, tanti tali matri non congratulabitur? Videtur quidē ipſa hodiè nobis dicere id, quod quædam mulier dixiſſe refertur, nempe, *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram*: Reuixit ſpiritus Patriarchæ Iacob, & dixit, *Sufficit mihi*, quando ei renunciatum eſt, vt narrant ſacræ literæ, viuum eſſe & in maximo honoris faſtigio collocatum ſuum filium Ioſeph, quem mortuum ſummo cum animi dolore reputabat. Quid ergo faceret piiſſima mater non audiens, ſed videns filium ſuum Ieſum viuentem, & admirabili gloriæ ſplendore refulgentem, quem paucos ante dies viderat mortuum, & adeò difformem, vt non eſſet ei decor, nec aſpectus? diceret profectò cum Iacob, *Sufficit mihi*, quaſi maiorem voluptatem, & lætitiam in ſe recipere, & continere non poſſet; & rurſus tunc & modò cum muliere illa Euangelica videtur nobis dicere; *Congratulamini mihi, quia pretioſam margaritam, quam perdideram, inueni.* Congratulemur ergo eidem de tanto bono in reſurrectione ſui filij, vt bonum gratiæ eius interceſſione ab ipſo Filio impetremus, & ad hoc eidem dicamus, *Regina cæli, lætare*, &c. vel, *Aue Maria*, &c.

Luc. 15. 6. 9.

Geneſ. 45. 28.

Adhibita

Adhibita toties hodiernâ verborum, quæ explicanda propoſuimus, repetitione, Catholica Eccleſia diuino ſpiritu afflata declarat, quodnam ſit ridendi tempus ex variis temporibus, quæ variis, & diuerſis rebus aſſignat idem Spiritus ſanctus, dicens per Salomonem, *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cœlo, tempus naſcendi, & tempus moriendi, tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatũ eſt, tempus flendi & tempus ridendi:* ſi enim aliquis voluerit ſcire quodnam ſit ridendi tempus, illud exponit ſancta Eccleſia dicens, hunc Reſurrectionis diem eſſe tempus exultationis & lætitiæ, in quo lætari & exultare debemus, cuius tamen lætitiæ, exultationis, & riſus cauſas declarare operæpreti um erit. *Eccleſ. 3. 1.2.4.*

Natiuitatem Chriſti ſumma cum iubilatione & exultatione celebrarunt multi Angeli cantantes, & dicentes, vt refert Euangeliſta, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus*; cæterùm hi Angeli erant multi, & non erant omnes: dicitur enim ibidem, *facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis exercitus laudantium Deum, & dicentium*, &c. At verò Reſurrectionem eiuſdẽ Chriſti Domini (quæ ſecunda ipſius natiuitas dici poteſt) ab omnibus Angelis voluit Deus celebrari veneratione & exultatione maximâ, id quod Paulus ſignificat, dicens ex *Pſal. 96. Et cùm iterum introduxit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius*, vbi particula, *iterum*, iteratam introductionem & natiuitatem per Reſurrectionem inſinuat; particula verò, *omnes*, ſignificat eam differentiam, quæ inter multos & inter omnes, inter multitudinem Angelorum, & inter vniuerſalitatem ipſorum reperitur, *Luc 2.14* *Heb. 1.6.*

repe

reperiri etiam inter Natiuitatis & Reſurrectionis lætitias, nec hoc mirum videri debet, quia cùm exitus acta probet, & vſque ad aſſequutionẽ finis optati appetitus non quieſcat, quantumcunque media ad talem finem conſequendum conuenientia applicari incipiant, perfecta lætitia eſſe non poteſt, ante optatam ipſius finis aſſecutionem. Veniebat quidem è cœlo Chriſtus Dominus bellum dæmoni, inferno, & morti illaturus, & licèt, quia tanta & talis perſona erat, nempe Diuina, lætari poterant Angeli & homines propter victoriam meritò de tali ac tanto duce ſperandam, ab eóque de tantis hoſtibus reportandam, veruntamen perfecta huius victoriæ lætitia & exultatio habenda nõ erat, niſi poſt vltimã ipſiuſmet victoriæ aſſecutionẽ, quæ erat in Reſurrectione terminanda. Sed nos iam explicemus cauſam belli, modum ipſius, & victoriam in eo reportatam, vt meliùs hodiernæ diei lætitia, quanta futura ſit, intelligatur.

Lucifer ſui ipſius amore inaniter captus ſibi inordinatè appetiit, quod Deus homini in Chriſto ad eiuſdem hominis honorem præordinauerat, ac relictâ Dei obedientiâ, & amiſsâ gratiâ propter hanc ſuperbiam ex ſummo fœlicitatis gradu cecidit in ſummam miſeriam, & deuenit conſequenter in odiũ infeſtiſſimum Dei, & in inuidiam maximam hominis quem fecit tranſgredi legem ipſius Dei, cuius obſeruatio eidem homini ſub pœna mortis fuerat propoſita, vt ſimul & ipſiuſmet hominis fœlicitatẽ, & conſilium eiuſdem Dei impediret. Elapſo igitur homine in peccatum per legis tranſgreſſionem, per quam etiam pœnam mortis cum omnibus ab eo deſcendentibus incurrit, arbitratus eſt dæmon ſe

omninò

omninò victorem euaſiſſe, quia ſciebat Deum non poſſe non adimplere verbum, quo ſignificauerat, hominem in quacunque die comederet, eſſe moriturum, & exiſtimauit ſimiliter conſilium Dei eſſe omninò impeditum, nec poſſe iam hominem conſequi honorem illum maximum, quem ipſe Deus eidem in Chriſto præordinauerat, quia in peccatum & pœnam mortis incurrerat. Neceſſarium igitur fuit ab hoc, vt Dei conſilium effectum obtineret, & dæmonis aſtutia deſtrueretur, & homo non periret, imò dæmon ſuorum delictorum pœnas daret, nec tamen Diuina iuſtitia detrimenta pateretur etiam circa hominem delinquētem, quod tale remedium, & medium ſapientia Dei inueſtigaret, vt ſine eo, quod ſuâ abſolutâ potētia vteretur, & ſine eo quòd ſuauis rerum diſpoſitio & ordo mutaretur, omnia hæc modo ſupra dicto fierent & ſe haberent. Incidit itaque dæmon in foueam quam fecit, & ſuo laqueo (vt ita dicam) ſe ſuſpendit: nam peccatum & mors, quæ in homine ad ipſius malum cauſauerat, ita ſe habuerunt, vt peccatum quidem fuerit occaſio, mors verò cauſa bonorum ipſius hominis, qui vixit, quia nō defuit mors, & euaſit fœlix & beatus, quia ſimiliter non defuit miſeria, quam tamen mortem & miſeriam tantorum bonorum hominis cauſam & occaſionem ipſe dæmon viribus & poſſe tanquàm res ſibi maximè conuenientes ordinauit. Permittente itaque illud Deo, dæmon ſuis manibus & miniſtrorum ſuorum miniſterio, de quibus dixit Chriſtus, *Ex patre diabolo eſtis, & deſideria eius vultis perficere*, ipſum Chriſtum verum hominem, & verum Dei filium cruci affixit, vbi eiuſdem opere & induſtriâ mortuus eſt, & cùm eſſet perſona illa, quæ Ioā. 8. 44.

mortua

mortua eſt diuina, & natura, in qua mortua fuit, ſimul eſſet innocentiſſima, ſanctiſſima, & perfectiſsima, & ab omni peccati labe omninò libera, eſſetque natura humana, & humani plaſmatis, continens tamen virtutem generalem & fœcunditatem potentem generare in nobis nouum eſſe, nouámque natiuitatem, quia propter hoc ipſum in ea continebamur, benefactum fuit quòd à dæmone procurata & ordinata talis mors, talis perſonæ in tali natura ſuffecerit pro morte omniũ hominum, ad quã vniuerſum genus hominum fuit iure optimo condemnatum, & ex ſe ſatisfecerit de toto rigore iuſtitiæ pro omni peccato, & hominem à ſeruitute dæmonis, in quam per ipſum peccatum incurrerat, in priſtinam libertatem & immortalitatem reuocauerit. Dæmon autem quia ſacrilegas manus in non ſibi per peccatũ ſubditum, ſed in innocentem iniecit, ſui ordinis legem tranſgrediens, dominium quod ſuper hominem habebat, amiſit, & in illius ſeruitutem incurrit iuſtè, quem iniuſtè occidit, cùm innocens eſſet, & nihil propterea morti deberet; quapropter cuius mors pro omnium morte ſuffecit, hominem à ſeruitute dæmonis in libertatem, dæmonémque in ſeruitutem hominis vice verſâ reduxit. Fuit eadẽ mors in cauſa, vt conſilium Dei effectum proſperum obtineret, & dæmonis conſilium irritum & inane remaneret, & eiuſdem pœna inuidiæ flammis amplificata mirum in modum creſceret. Ad ſingulare igitur certamen à dæmone, quaſi alter Dauid à Goliath prouocatus, Hieroſolymam petiit, & ibidem tam ſolus contra dæmonem bellum geſſit, vt non modò in initio prælij fuerit ab omnibus diſcipulis derelictus, quando relicto eo in horto omnes fugerunt, ſed

ſed etiam in maiori eiuſdem prælij conflictu pendens in cruce à ſuo ipſius æterno Patre fuerit ſimiliter derelictus, quod ipſe ſignificauit dicẽs ad ipſum æternũ Patrem, *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Ad quam ſolitudinem & derelictionem videtur reſpexiſſe Iob, quando dixit, *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine; niſi tu qui ſolus es?* vbi alia tranſlatio habet, *Niſi tu quando ſolus es*: fuit namque perfectè ſolus, quando in ſingulari crucis certamine cum dæmone habito, etiam ab ipſo Patre æterno fuit derelictus. *Matth. 27.46.* *Iob. 14. 4.*

Et licèt certamen hoc ex parte Chriſti eſſet ſingulare, vt maiorem fortitudinem oſtenderet, ex parte tamen dæmonis, qui tot ſecum habebat coadiutores, & tot ſui ſceleris miniſtros, vt meritò ipſe Chriſtus diceret eis, *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, ſingulare certamẽ minimè erat. Porrò quòd Chriſtus moriens victor euaſit, dæmon verò occidens victus remãſit, exponi poteſt ſimilitudine quãdam ex elephante & dracone deſumptâ. Refert Plinius, quòd cùm draco maximâ ſiti ſemper flagret & æſtuet, elephas autem habeat ſanguinem gelidum, & tantæ ac tali ſiti extinguẽdæ valdè accommodatum, ideò draco naturali inſtinctu motus ipſum elephantem inquirit, & cum eo hoc modo bellum gerit, dormiturus elephas arbori adhæret, vbi ſic draco eius ſanguinem ſubſuggit, vt paulatim ipſo ſanguine deficiente, ipſe etiam elephas deficiat, & mortuus ſuper eundem draconem procîdat, ipſumque ſuo maximo pondere opprimat & interimat, ac ita moriens draconis tandem victor euadat: ad quem modum dæmon, de quo dicit Dauid, *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*, &c. exæſtuans tam ardenti ſiti animarum, *Ioan. 22. 53.* *Simile ex Plin. hiſt. lib. 8. ca. 11.* *Pſal. 103. 26.*

Cap. 40. 18. marum, vt de eo dicat Iob, *Ecce, abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd Iordanis influat in os eius*, quaſi dicat, Omnes qui morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non reuertuntur (vt dicebat mulier illa in hiſtoria ſacra) abſorbebit dæmon, & non reputabit multum, ſi etiam fluuium Iordanis, (per quem intellexit Chriſtum) non abſorbeat, & cùm ipſe Chriſtus diuinus elephas arbori crucis affixus eſſet ſuâ induſtriâ, & ſuorum miniſtrorum miniſterio tantum ſanguinem ab eo ſuxit, & eduxit, ad extinguendam ſuam ardentiſſimam talis ſanguinis ſitim, vt in eâdem cruce mortuus eſſet, & moriens de ipſo infernali dracone victoriam reportaret, ipſumque infinito ſuorum meritorum põdere opprimeret & quodammodò interimeret, priuans eundem tyrannicâ illâ iuriſdictione, quam ſuper homines exercebat. Quapropter draco iſte fuit ille, quem Deus fecit ad illudendum ei, & cui meritò nos illudere poſſumus, & irridere tanquàm victũ, deceptum, & expoliatum hac potiſſimùm die, quæ tempus ridendi & exultandi eſt, ſicut Catholica Eccleſia nobis in ea declarat.

2. Reg. 14. 14.

Deuicto deinde & profligato dæmone, pro greſſus fuit Chriſtus vlteriùs, eius arcem nimirum infernum etiam expugnaturus, ipſumque ſimul expoliaturus, vt reuerà expoliauit, iuxta illud Pauli, *Expolias principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam triumphos illos in ſemet ipſo*; quod idem eſt ac expoliauit inferni principes, eoſque publicâ infamiâ affecit, faciens ſpolia, nimirum animas ſanctorum Patrum ab inferno eductas in ſuo triumpho, ad opprobrium deuictorum dæmonum & ipſius inferni, coram ſe præire, relictis in ipſo in omnem ſeculorum æternitatem

Coloſſ. 2. 15.

tatem

tatem ipſis dæmonibus,& cæteris hominum damnatorũ animis; quod quidẽ ipſe Chriſtus per Prophetam prædixit dicens, *Morſus tuus ero inferne*; quia deglutitus Chriſtus ab inferno,in eo effecturus erat, vt ipſum ſimul cum animabus ſanctorũ Patrũ quodammodò euomeret, & à ſe emitterent ad modum, quo deglutita pilora efficit,vt ſtomachus nõ ſolùm ipſam,ſed id,quod medicus intendit,à ſe per os euomat,& eiiciat:vel quia ad modum,quo aliquis pomũ partim ſanum,& partim putridum mordens, relicto eo,quod putridum eſt,ſanum duntaxat, morſu accipit: ſic relictis in inferno putridis dæmonibus, & putridis etiam damnatorum animis, animas ſolùm ſanctorum Patrum ſanas ab eodem inferno ſecum eduxit. Sicut quando in latum aliquod rete,in quod paſſerculi multi incidentes,capti tenentur,paſſer aliquis magnus & fortis ſimiliter incidens ipſum rumpit & ab eodem exitu paſſerculi omnes ipſum ſequentes quâ parte rete contritum eſt,liberi euadunt: ſic etiam à reti inferni,quod laqueus diaboli appellari meritò poteſt, Chriſtus Dominus quaſi paſſer magnus & fortis ipſo rupto exiuit,& animæ ſanctorum Patrum ipſum ſequentes ſimiliter exierunt, & liberatæ ſunt; quod Dauid de ſe,& de reliquis Patribus ſanctis,quorum animæ ibi detinebantur,ſignificauit dicens, *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt, de laqueo venantium, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*: In quibus verbis per animam noſtram Chriſtum intelligit, qui veluti anima vniuſcuiuſque noſtrûm eſt,id quo primo viuimus,mouemur,&ſumus: quod de ipſa anima Ariſtoteles docet,& omnes Philoſophi aſſerunt,& quando erectâ iſtâ diuinâ animâ de dæmonum reti viam aperuit, per quam Sancto-

Ezech. 13.14.

ſimile.

ſimile.

Pſal. 123. 7.

rum Patrum animæ ſimul cum ipſa exierunt. Habuit
Simile. etiam ſe Chriſtus, vt in auium ſimilitudinibus progrediamur, ſicut aquila cæterarum volatilium regina, quæ non ſolùm terreſtri, ſed aquatili prædâ aſſuefacta, non modò in terra, verùm etiam in aqua deprædari ſolet, & ita contingit ingredi aliquando in fluuium, vel lacum ſolam, & ex eo non ſolam, ſed ſimul cum præda exire; id quod Propheta cum Chri-
Zachar. 9.11. ſto loquens ſignificauit dicens, *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu*; in quibus verbis coniunctio, *quoque*, inſinuat quòd non ſolùm eos, quos in terra dæmon ſub ſua tyrannica poteſtate tenebat, ſed etiam illos, quos in lacu inferni, quaſi in carcere incluſos ſimiliter tenebat, virtute ſanguinis teſtamenti ſui, per ſuam etiam mortem confirmati in libertatem vendicauit, & ſecum ex eodem lacu quaſi aquila piſces eduxit. Solus itaque Chriſtus in profundum inferni lacum deſcendit, ex quo iam non ſolus, ſed quàm plurimis animabus ſanctis in libertatem reuocatis ſociatus ad ſuperas auras remeauit. Vnde patet, infernum à Chriſto Domino poſt victoriam de dæmone reportatam, fuiſſe expugnatum, ipſumque mille ſpoliis onuſtum ab eodem inferno triumphantẽ hodiernâ die exiiſſe, quapropter ipſe dies hodierna meritò tempus exultationis, riſus, & lætitiæ dici debet.

Superato denique dæmone, & expugnato, ſpoliatóque inferno à Chriſto, reſtabat adhuc illi mors ſuperanda & deuincenda, quæ ab ipſo propriâ virtute reſurgente ad hunc modum ſuperata & deuicta fuit, *Mors & vita,* ait ſancta Eccleſia, *duello conflixêre mirando,* quod tamen duellum, ſeu bellum inter duos, nimirum inter Chriſtum, qui de ſe dixerat,

Ego

Ego ſum via, veritas, & vita, & inter mortem, eſſe non potuit niſi quando eam habuit, hoc eſt, quando mortuus eſt, & cum ea de Reſurrectione decertabat; mortuus autem fuit, quãdo reſolutus eſt in animam & corpus, ex quibus cõponebatur, & quando ipſum corpus, & anima ad inuicem ſeparata, amiſsâ ipſorũ vnione, ſine qua homo conſtare non poteſt, manẽte tamen eâ vnione, quæ inter ipſummet corpus, & animam, licèt ad inuicem ſeparata, & inter diuinitatem & perſonam verbi ſemper extitit, quia quod ſemel aſſumpſit, nunquàm dimiſit, vt Damaſcenus docuit. Certamen igitur tribus illis diebus perſeuerauit; & ex eo ſi vita permaneret, mors mortua eſſet, ſi verò mors permaneret, vita finiretur, ſed quomodo res ſe habuit, & vita nempe Chriſtus de morte victor euaſit, hac ſimilitudine poterit declarari. Quemadmodum Phœnix, vt naturales referunt, præſentiens naturali inſtinctu ſe morti eſſe propinquam, ex lignis odoriferis conſtruit nidum, & in eo versùs Solem poſita, alarum motione ignem excitat, quo comburitur & reſoluitur in cinerem, in quo, volutatur vermis quidam in eo exiſtens, qui mox pullus effectus Phœnix euadit & reſurgit: ſic etiam Chriſtus, qui, quaſi altera Phœnix inter omnes aues, fuit vnus homo inter omnes homines, qualis non fuit alter, ſicut Caiphas ſpiritu Prophetico afflatus ſignificauit, dicens, *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat*, *ſciens quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo*, ſicut refertur, lignum crucis aſcendit, vbi quaſi in nido expanſis brachiis, quaſi alis anhelans, & ſuſpirans ardenti ſui diuini amoris igne incenſus fuit, & ibidem mortuus, & in animam & corpus quaſi in cinerem reſo-

Ioan. 14. 6.

Damaſc. lib. 4. orthod. fid. c. vlt.

Simile.

Ioan. 18. 14.

lutus; veruntamen cum ipſa anima & corpore, quæ ad inuicem erant ſeparata. Quapropter Chriſtus in illo triduo non erat homo, ſicut docet D. Thomas,ſed erat diuinum verbum vnitum & coniunctum quaſi diuinus quidam vermis: quod videtur ipſe ſignificaſſe dicens per Dauid, *Ego ſum vermis,& non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*. & virtute illius diuini vermis, ſeu perſonæ diuinæ vnitæ cum ipſa anima & corpore, effectum eſt,vt reſurrexerit Chriſtus quaſi altera Phœnix; id quod ſignificauit Paulus dicens, quòd Chriſtus crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute Dei per Reſurrectionem; ſcilicet ex ipſa diuinitate cauſatam,cùm corpus reſumpſit animā quam depoſuerat,& anima reſumpſit corpus, quod dimiſerat, ſicut ait ipſe D. Thomas loco proximè citato.

D. Thom. 3. p. q. 54 art 4. — *Pſal. 21.* — *2. Cor. 13. 4.*

Simile. Sed hoc ipſum quomodo factum fuerit,vt magis oſtendatur. Quemadmodum eadem imago, quæ in vno ſpeculo relucet, fracto eo in duas partes, in vtraque etiam earum tota reperitur: ſic etiam eadē diuinitas, quæ in anima & corpore Chriſti ſimul vnitis reperiebatur,in ipſis etiam per mortem ipſius ſeparatis adhuc remanſit: Quod inſinuans Dauid dixit loquens cum eo, *Effunde frameam,& conclude aduerſus eos, qui me perſequuntur, & dic animæ meæ, Salus tua ego ſum*; quaſi diceret, Sicut qui extrahit gladium ex vagina,educ tu Domine animam ex corpore aduersùs inimicos meos, quos tu moriens deuinces, & animæ meæ ſalutem dabis. Vbi eſt notandum, quòd quemadmodum euaginans gladium alterâ manu ipſum gladium, alterâ verò vaginā tenet: Sic verbum Diuinum,quando extrahens animam à corpore mortuus fuit,tam anima ipſa in ſinu

Pſal. 34. 3. — *Simile.*

Patrum,

Patrum, quàm corpus in ſepulchro exiſtens ipſi vnita permanſerunt, licèt inter ſe eſſent ad inuicem diuiſa, quæ tamen poſt vindictã de hoſtibus ſumptã iterum vnita fuerunt, cùm per Reſurrectionem anima in corpore quaſi gladius in vagina, recluſa eſt. Hoc etiam innuitur à Propheta dicente, *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ locutus es*; in quibus verbis Chriſtus ſignificatur per arcũ, qui arcus ſicut virgam, & cordam continet, ſic habebat ipſe Chriſtus humanitatem, quæ tanquàm virga flectebatur, & diuinitatem, quæ quaſi corda humanitatis virgam flectebat, & adeò incuruabat, vt tandem frangeretur manẽtibus duabus per mortem eiuſdem humanitatis partibus inter ſe ſeparatis, cum diuinitate tamen vnitis, quaſi partibus virgæ fractæ cum corda nihilominùs coniunctis. Reſurgens igitur Chriſtus ſuſcitaturus erat Diuinum illũ arcũ, vniens partes humanitatis quaſi virgæ fractæ, corpus ſcilicet & animam, quæ ad inuicem per mortem fuerant ſeparatæ, & ex tali vnione diuinâ virtute facta, ſubſecuta ſimul eſt ipſius Chriſti Reſurrectio, & totalis mortis deſtructio & victoria, vt iam quod in ipſa reperitur non ſit tam pertimeſcẽdum, quàm irridẽdum Prædixerat illud Deus per Oſeam, dicens, *Mors tua ero ô Mors*, quem locum referens D. Paulus ait, *Tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt, abſorpta eſt mors in victoria*, quæ licèt in cruce fuerit incœpta, in reſurrectione tamen fuit perfecta, & terminata: quod docet Auguſtinus, dicens, *Vt occideret mortem veſtitus eſt morte, & ſurrexit deglutita morte, & interfecta*, quapropter Apoſtolus paulò inferiùs mortem irridens ait, *Vbi eſt, Mors victoria tua? vbi eſt Mors, ſtimulus tuus?* ex morte enim videtur ſola imago &

Habac. 3. 9.

Cap. 13. 14.

1. Cor 15. 54.

Serm. de cõ. vnius Mart. 1. Cor. 15. 55.

Simile. ſimilitudo, & nihil aliud, quod noceat vel pungat remanſiſſe. Et quemadmodum pueri, & timidæ etiã mulieres ſerpẽtis venenoſi pellem paleis adimpletam,& ferè nihil præter ſimilitudinem eius in ſe habentem non timent, imò irrident, quia veneno, quo noceat, carere cognoſcunt: ſic non ſolùm viri fortes, ſed fragiles mulieres, & timidi pueri mortem contempſerunt & contemnunt,poſt hanc eiuſdem deſtructionem & interitum, nec ſtimulus ſimiliter, quo ſaltem pungere poſſit, in eâdem remanſit, quia corpus Chriſti viuum & ab omni peccati morte alienum ſuo aculeo punxit. Sicut enim apis pungens ſuo ſtimulo vel aculeo corpus mortuũ remanet adhuc viuens:mortua verò efficitur ſi pungat viuum, quia cum ſtimulo, ſeu aculeo,quo pungit, viſcera eiicit, vt communiter aſſeritur: ita etiã dum mors corpora per peccatũ mortua occidebat, viua perſeuerabat, vbi primùm verò corpus Chriſti viuum ſuo aculeo punxit, & interfecit, ipſa amiſſo ſtatim aculeo & ſtimulo interfecta remanſit.Meritò igitur illi dixit per irriſionem D.Paulus, *Vbi eſt, Mors,ſtimulus tuus*? Quis igitur dicit non eſſe hodiernam diem tempus ridendi de dæmone victo, de inferno expoliato,& de morte ſic ſuperata, & interfecta? Et quis non dicet eſſe diem lætitiæ, & exultationis in Deum viuum?

Pſal. 83. 3. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, aiebat Dauid, ſignificans peculiarem rationem, quam caro noſtra habet hac potiſſimùm Reſurrectionis die, ad hoc vt exultet & lætetur,in aliis namque diebus feſtis, quibus per anni decurſum myſteria Chriſti Domini celebrantur,de animæ vtilitatibus & de carnis laboribus feſta aguntur, ſicut patet

patet in feſto Natiuitatis, Circunciſionis, & aliis eiuſmodi, in quibus de pœnalitatibus, laboribus, & paſſionibus carnis, animæ tamen vtilibus, fit peculiaris mentio, quâ ad carnis macerationem & afflictionem incitamur & mouemur. In hac verò die non ad triſtitiam carnis, ſed ad lætitiam, non ad afflictionem, ſed ad exultationẽ prouocamur. Quapropter, qui carnis ſumus amici, & in eiuſdem bona multùm propenſa, hac ſaltem ratione, quia carnales ſumus, hanc carnis feſtiuitatem, quâ caro noſtra exultat in Deum viuum, hoc eſt, in Chriſtum ex mortuis reſurgentem, maximâ lætitiâ & exultatione celebremus: Reſurgente enim Chriſto, qui eſt caput noſtrum in nobis, qui eius membra ſumus, ſpes ſurgit fore nos ipſos aliquando cum carne glorioſa, & configurata corpori claritatis eius, aliquando reſurrecturos. Exultemus igitur, & lætemur in hac talis ac tanti myſterij die. Sed *quomodo Chriſtus reſurrexit*, vt ait Paulus, *ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, hoc eſt, puritatem Chriſti reſurgentis imitemur viuentes, vt in hac vita ab eodem conſequamur gratiam, & in alia reſurrectionis gloriam, quam, &c. *Rom. 6.4.*

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. 20.19.

Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis, Pax vobis.

PAVLO pòſt hæc verba dixit Chriſtus Dominus alia eiſdem diſcipulis, nempe, *Quorum remiſeritis peccata, remittẽtur eis*, quibus ipſos ſuæ gratiæ (cuius infuſio ad remiſſionem peccatorum præ requiritur, ſicut docet D. Thomas) inſtituit diſpenſatores: quapropter miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, à D. Paulo appellantur, ac propterea ſimul ſignificauit quanta gratiæ abundantia Euangelicæ legis tempore futura eſſet, & quàm tranſacta iam fuiſſet penuria illa ipſius gratiæ, quam egena elementa legis veteris (talia vocat ipſe Paulus eiuſdem legis veteris ſacramenta) ſecum ferebant. Quando penuria frumenti eſt magna, prudens paterfamilias horrei ſui claues ſecum defert, nec alicui eaſdem committit; imò ipſe, & nõ alius, eſt eiuſdem frumenti diſpenſator, qualis tamen non extitit, quando ipſius frumenti eſt magna copia, & abundantia; ſiquidem eiuſdem diſpenſationem ſuis tunc miniſtris confidere non dubitat: tempore legis veteris, vt dictum eſt, tanta erat gratiæ penuria, ac ideò

D.Thom. 1.2.q.118 art.6.

1. Cor.4. 1.

Gal.4.9.

Simile.

ideò tanto pretio emebatur, vt nõ minore quodammodò empta, quàm ſanguine in circũciſione ab ipſo Deo daretur, legis verò Euangelicæ tempore, in quo maxima gratiæ abundantia mundo ſuperueñit, iam non ſolum datur ipſa pro ſanguine in martyrio, ſed pro lacrymis in pœnitentia, & pro aqua in baptiſmo, & pro aliis facilibus rebus in cæteris ſacramẽtis Eccleſiæ, cuius myſteriorum diſpenſatores iam non ſolùm ipſe Chriſtus, ſed ipſiuſmet Chriſti ſacerdotes ita ſunt, vt quorum remittunt peccata, eiſdem remittantur. Tempore igitur tantæ abundantiæ gratiæ, quo tot ſunt ipſius diſpenſatores, & quo tam exiguo pretio emi poteſt, nónne à magna ipſius diſpẽſatrice Deipara nempe Virgine tanto pretio, quantum eſt eiuſdem Virginis interceſſio, facillimè ipſam comparabimus? Comparabimus profectò. Poſtulemus ergo ab ipſamet Virgine, vt ſiquidem ſtat etiã in medio noſtrûm, inter nos nempe & Deo mediatrix exiſtens, pro nobis ipſis intercedat, eidémque ad hoc ipſum de more dicamus, *Aue Maria*, &c.

Stetit Ieſus in medio, &c. Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus ſtetit ſic, vt ait Paulus, faciens pacẽ, & interficiens inimicitias in ſemetipſo, ſicut etiam ait idem alibi. De Deo, & homine loquens Iob dicit, *Non eſt qui vtrumque valeat arguere, aut ponere manum ſuam in ambobus*; & meritò, nec enim purus homo, quantuncunque iuſtus exiſtens, poterat Deum arguere, hoc eſt, argumentis conuincere, quia (vt inquit Dauid cum eo loquens) *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*, & vt etiam ait Iob, *Non iuſtificabitur homo comparatus Deo*, imò (vt inquit Iſaias) *quaſi pannus menſtruatæ vniuerſa iuſtitia noſtra*. Quapropter nullus homo

1.Tim. 2. 5.
Epheſ. 2. 16.
Cap. 9. 23.
Pſa. 142. 2.
Ca. 4. 17.
Cap. 64. 6.

purus Deum conuincere & obligare poterat, vt homini parceret, & eundem iuſtè non percuteret; nec etiam homo purus poterat in Deo manum po-
Cap. 9. 4. nere, vt eidem aliqualiter reſiſteret: *Quis enim* (vt ait Iob) *reſtitit ei, & pacem habuit?* Nec item Deus adhuc non exiſtens homo hominem manu percu-
Ca. 19. 21. teret, quin ipſum ſimul omninò conſumeret. ***Manus Domini tetigit me***, aiebat Iob, ad quem Deus paululùm extenderat manum, quâ ipſum tetigerat,
Cap. 1. 11. iuxta illud, quod continetur eodem libro Iob, ***Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet***; vbi inſinuantur omnes labores & calamitates Iob, à ſolo Diuinæ manus tactu proueniſſe. Quid ergo ab eiuſdem manus poſitione, & percuſſione proueniret? Nec igitur Deus in hominem poneret manum, quin omninò ipſum conſumeret, nec homo Deo aliqualiter manu reſiſtere, nec ipſum ratione aliquâ conuincere poterat; ac proinde verè dixit Iob, *Quis vtrunque poterit arguere, aut ponere manum ſuam in ambobus*, ſi de ſolo Deo, vel de puro homine loquamur. Oportuit ergo vt hoc Chriſtus faceret, qui mediator Dei & hominis exiſtens, in medio ſtetit eorum, dicens eiſdem, *Pax vobis:* Nam
Hebr. 4. 15. Chriſtus vt homo non eſt talis, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſicut habet Paulus. Vt Deus, & homo ipſum patrem poteſt arguere, ſeu argumento & ratione conuincere, vt homini parcat, & ſupplicia non infligat; ſiquidem pro eodem de rigore iuſtitiæ ipſi æterno Patri ſatisfecit. Chriſtus itaque ſtans in medio Dei & hominum eidem Deo
Luc. 23. 34. dicit, *Pater, dimitte illis quia neſciunt quid faciunt:* hominibus verò illud, *Quieſcite agere peruersè, &*
Iſa. 1. 16. *diſcite benefacere*; quaſi dicat, Pax vobis deinceps;

Nec

Nec tu Deus piiſſime ſuppliciis ampliùs cum peccatoribus hominibus bellum geras; nec item vos ingrati homines peccatis cùm piiſſimo Deo contendatis,quieſcite iam agere peruersè, & pax ſit vobis; & quemadmodum ſæpe contingere ſolet, vt is, qui *Simile.* alios inter ſe dimicantes, ſeſe vltrò citróque ad inuicem percutientes in medium eorundem ingrediens ſedare & pacificare procurat, percuſſus ipſe, & vulneratus ex tali pacificatione euadat: ſic etiam Chriſtus Dominus mediator Dei & hominum in medio eorum exiſtens,vt pacem inter eoſdem faceret, quinque plagis vulneratus ex tali pacificatione remanſit: Non ſolùm enim populus & principes Iudæorum ipſum vulnerauerunt, & cruci affixerũt, ſed etiam ipſe Pater æternus propter ſcelus populi ipſius ipſum percuſſit, ſicut per Prophetã ita dixit, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Oſtendẽs igi- *Iſa. 53.8* tur diſcipulis manus, & lacus in quibus vulnera illa pro conſtituenda pace acceperat, eiſdem ait, *Pax vobis*, hoc eſt, pacem habete, quam ego tanto pretio vobis emi, quantum in meis manibus, pedibúſque & latere deſcriptum videtis.

Pax vobis) Bona quidem & iucunda admodùm res eſt pax, quam propterea naſcente Domino, qui princeps pacis eſt,vt dicitur à Propheta, cantarunt Angeli dicentes, vt etiam ait Euangeliſta, *Gloria in* *Iſa. 9.6.* *excelſis Deo,& in terra pax hominibus*: & alibi man- *Luc.2.14* dauit diſcipulis ipſe Dominus, vt ingredientes domos dicerent, *Pax huic domui*, &c. & diſceſſurus è *Luc 10.5.* terra in cœlum eiſdem diſcipulis dixit, *Pacem relin-* *Ioan.14.* *quo vobis,pacem meam do vobis*,&c. Eſt quidem pax, *27.* vt docet D. Thomas,diuerſarum voluntatum con- *Thomas* formitas in bono; & quia Thomas, vnus de duode- *2.2.q.29* *art.1.* cim,

cim, non erat cum eis, quando venit Ieſus ianuis clauſis,&ſtetit in medio eorum,neque in eadem voluntate erat cum ipſis conformis, imò deformis & ſeparatus ab ipſiſmet exiſtebat, non vidit Dominum à mortuis reſuſcitatum,& miro gloriæ ſplendore refulgentem, nec ipſum audiuit ſuauiſſimâ voce eiſdẽ dicentem,*Pax vobis*. Quapropter de eo, & de cæteris patribus (talis vocabat Chriſtus diſcipulos ſuos
Ioan.20. 17. dicens Magdalenæ,*Vade autem ad fratres meos,& dic*
Pſal.132. 1. *eis*, &c.) meritò dicere poterimus illud Pſalmiſtę, *Ecce quàm bonum, & quam iucũdum habitare fratres in vnum*; Siquidem Thomas,qui cum cæteris fratribus in vnum tunc non habitabat, tantum bonum, tantámque iucunditatem eam ob cauſam amiſit, quem Dauidis verſum,quia ad noſtrum propoſitum maximè conducit eius explicatio, declarabimus latiùs.

Eſt pax,ſeu vnio res bona & iucunda,ſicut diſcordia, & diſſenſio res mala & amara exiſtit, ſeu, quod idem eſt,habitare fratres in vnum eſt bonum & iucundum, quemadmodum non in vnum habitare eſt malum,& amarum, quidquid vnum eſt; quapropter multiplicata in qualibet re vnitate,bonitas etiam in
Deut. 6. 4. ea multiplicabitur. *Audi Iſraël*, habetur in ſacris literis,*Deus tuus Deus vnus eſt*; quia ſicut in eo reperitur maxima,imò infinita bonitas,ſic etiam in ipſo talis vnitas inuenitur, & quantò magis creaturæ de hac diuina vnitate habent, tantò magis de eiuſdem bonitate participant.Quapropter, vt ea quæ bona in prima rerum productione creauit,meliora efficeret, in vnitatem vnius mundi redegit;ac proinde de Deo,
Geneſ. 1. 31. & de ipſis dictum fuit, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*; quæ enim per vnionem

formæ

formæ cum materia bona erant, & talia iudicabat, vnita inter ſe ad vnius mundi conſtitutionem, valdè bona remanſerunt, & vlteriùs in vnione procedens, totum ipſum creatum mundum magnum quidem & mirandum, in homine quaſi in mundo abbreuiato & magis vnito incluſit. Quapropter ipſe homo omnis creatura appellatur, dum ibidem dicitur: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et denique naturam ipſius hominis cæterarum rerum naturas in ſe continentem per hypoſtaticam vnionem omnium excellentiſſimam ſibi adiunxit, & copulauit, vt creatum naturæ humanæ eſſe, cum ſuo diuinæ naturæ increato eſſe vniret, ac proinde per talem vnionem bonitatem infinitè multiplicaret. Quamobrem de eo dixit Paulus, *Qui fecit vtraque vnum*, nempe eſſe creatum & increatum, cum eâ per vnionem hypoſtaticam coniunxit, ac hominem admirabili bonitate exornauit. Patet igitur, pacem, & vnionem eſſe rem perquàm bonam, bonumque valdè eſſe habitare fratres in vnum.

Marc.16. 15.

Epheſ. 2. 14.

Quando aquæ erant congregatæ, vt refertur, Spiritus Sanctus ferebatur ſuper aquas, quod tamẽ non dicitur de eo poſtquàm ipſæ fuerunt adinuicem diuiſæ & ſeparatæ. Quo ſignificatũ fuit Spiritum Domini in habitantibus in vnum fratribus duntaxat habitare. Quod etiam ſignificans Chriſtus dominus dixit: *Si fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Melius eſt*, ait Sapiens, *eſſe duo quàm vnum: væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe.* Qua propter dæmon ſicut alter Goliath ad ſingulare certamen prouocat homines, quos congregatos, & coniunctos ſe ſuperare poſſe deſperat, licèt non ſit poteſtas ſuper terram, & quæ comparetur

Geneſ. 1. 2.

Matth. 18.20.

Eccleſ.4. 9.10.

1.Reg.17 4.

Cap. 41. 24. paretur ei, vt ait Iob: eſt enim eorum congregatio, nimirum Eccleſia, eidem terribilis, ſicut dicitur,
Cant. 6. 3. quãdo eſt, vt caſtrorum acies ordinata. Non quidem
Simile. poteſt ventus, licèt validus ſit, multas lucernas ſimul vnitas extinguere, quas ad inuicem diuiſas, licèt lenis & debilis exibat, facilè extinguit: ad quem modum tentationis ventus non extinguit quidem charitatem habitantium in vnum, ſeu ad inuicem ſe diligentium, imò magis ipſos eâ inflammat, quam tamen extinguit, licèt lenis ſit, ſi ſeparentur, & diui-
Simile. dantur. Carbo etiam ſuccenſus ab aliis, ſimiliter ſuccenſis prunis ſeparatus facilè extinguitur, & quãdo cum eiſdem coniungitur & vnitur, licèt extinctus ſit, facilè etiam ita ſuccenditur, vt durante coniunctione & vnione cum aliis, difficillimè extinguatur.
Simile. Granum denique frumenti dum in aceruo, in area, vel in horreo eſt cum aliis, nec ab hominibus conculcatur, nec ab auibus accipitur, nec à formicis deportatur, quod tamen fit, quando extra horreum & aceruum aliorum ſeparatus exiſtit: ex quibus omnibus perſpicuè deduci poteſt, quàm conueniens, & bona ſit vnio, ſeu quàm bonum ſit habitare fratres in vnum.

Et hoc ipſum quod eſt, habitare fratres in vnũ, præterquàm quòd ſit bonum, eſt etiam iocundum. Eſt itaque pax, & vnio iocunda, & ſuauis, quales nõ ſunt reliquæ virtutes, quæ, quia circa difficile verſantur, iucunditatem ſecum non ferunt, ſed moleſtiam & laborem; ſicut patet in continentiâ, & labore, caſtitate, abſtinentiâ, patientiâ, paupertate, & aliis eiuſmodi rebus, quarum tolerantia admodùm
Iſa. 48. 18. difficilis exiſtit. *Vtinam attendiſſes mandata mea*, ait Dominus per Prophetam, *facta fuiſſet ſicut flumen*

pax

pax tua, vbi per *mandata Dei*, intelliguntur manda-
ta de dilectione Dei & proximi, quorum illud ma-
ximum & primum mandatum, hoc verò ſecundum
per antonomaſiam dicitur in Euangelio, & peculia-
riter mandata Domini dicuntur: quia ipſe peculia- *Matth.*
riter hominibus præcepta de dilectione tradidit. 22.37.
Habetur enim alibi, *Si præcepta mea ſeruaueritis,* *Marc.12.* 31.
manebitis in dilectione mea. & rurſus: *Vos amici mei* *Ioan.15.*
eſtis, ſi feceritis quæ ergo præcipio vobis; & iterum: 10.
Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem. & de- *Verſ. 14.*
nique: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Si *Verſ. 12.* *Verſ. 17.*
autem homines hæc mandata attendentes, Deum,
& proximum diligerent, flueret & flumen dulce, &
iocundum pax eorum. Nam *pax multa diligentibus* *Pſal. 118.*
legem, & non eſt illis ſcandalum, vt habet Pſalmiſta, 165. *Pſal. 36.*
alibi, *Manſueti autem hæreditabunt terram, & dele-* 11.
ctabuntur in multitudine pacis, propter eiuſdem ni-
mirum iocunditatem, quæ maximè delectat. Quam
quidem pacis multiplicationem ſignificauit D. Pe-
trus, dicens: *Gratia vobis & pax multipliciter.* Et 1. Pet. 1. 2.
alibi ſimile dicens: *Gratia vobis & pax adimpleatur.* 2. Pet. 1.
Nam pax ex multa proximi dilectione reſultans 2.
multiplicatur, adueniente eâ, quæ ex dilectione Dei,
& vnione cum eo promanat. De qua dicit Paulus,
Pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat Phil. 4.7.
corda veſtra, & intelligentias veſtras; ſignificans ta-
lem pacem & vnionem cum Deo ita iocunditate
homines perfundere, vt quaſi inſenſibiles reddantur
ad ſubeundos quoſcunque labores, & perferendos
quaſcunque iniurias, licèt intollerabiles videantur:
Vnde de Apoſtolis refertur, quòd *ibant Apoſtoli* *Act. 5.*
gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti
ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Tanta enim
ſuauitas

ſuauitas in ipſis ex vnione inter eos & Deum habitâ reſultabat, vt quamcunque acerbitatem abſorberet, & quemcunque ſenſum exuperaret. Meritò igitur atque optimo iure Dauid loquens de præceptis, ſeu de mandatis de dilectione, ex quorum obſeruatione vnio ſuauis multiplicatur, & pax iocunda adim-
Pſal.18.9 pletur, ait, *Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemet-*
10.11.12. *ipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauum: etenim ſeruus tuus cuſtodit ea, & in cuſtodiendis illis retributio multa.* Quibus verbis ſignificat, præcepta de dilectione Dei & proximi, quæ per excellentiam *Iudicia Domini* vocat, eſſe vera, ac bona inter cætera præcepta, eſſeque in ſeipſis admodùm iuſtificata, quia nihil magis iuſtum eſt, quàm amare creatorem, à quo tot beneficia accepimus, & nihil magis iuſtificatum eſt, quàm diligere proximum, cui per natu-
Eccleſ.13. ram ſimiles ſumus. Siquidem omne animal etiam
19. irrationale diligit ſibi ſimile, vt dicitur, & quod nobis volumus aliis non facere, & è contrà, ſignificat item hæc eadem de dilectione præcepta maximâ cupiditate debere à nobis deſiderari, propter dulcedinem & ſuauitatem, quam pax ex eorum obſeruatione proueniens ſecum defert. Eſt enim tanta hæc ſuauitas & dulcedo, vt talis obſeruationis ſit ipſa ſufficiens præmium & retributio, licèt alia merces, ſeu retributio pro cuſtodia talis legis de dilectione non eſſet in alia vita reddenda. Quod con-
Pſal.118. ſiderans Dauid ait, *Portio mea Domine, dixi, cuſtodire*
57. *legem tuam*; quaſi diceret, In cuſtodienda lege dilectionis (talem vocat legem Dei) ſufficiẽs retributio, merces, & portio eſt, abſque vlla alia propter vtilitatem, iocunditatem, & dulcedinem, quam ex hoc

ipſo percipiunt, qui inimicos non habent, & ad inuicem ſe diligunt, propter quam etiam beati pacifici dicuntur. Non ſolùm igitur vnio & pax bona eſt, ſed etiam iocunda, & ſuauis, eſtque bonum, & iocundum habitare fratres in vnum. Matth. 5. 9.

Et quemadmodum eſt bonum, & iocundum habitare fratres in vnum, ſic non habitare eos in vnum, & non eſſe vnitos cum Deo & hominibus per amorem, ſeruando dilectionis legem, eſt malum & amarum. Quod à Propheta ſignificatur dum dicit: *Vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Relinquitur autem non ſolùm Deus, quando ipſum non amamus, ſed etiam quando à dilectione proximi diſcedimus. Ait enim D. Ioannes, *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Eſt itaque malum, ſeparari per odium à fratribus & proximis, quia ſimul ſeparatur à Deo & ipſum relinquit, qui fratrem ſuum odit. Vindictam ſumpturo Dauidi de ingrato Nabal dixit prudens Abigail, vt refertur, *Malitia Domine non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ;* & adiecit paulò inferiùs, *Non erit tibi hoc in ſingultum & in ſcrupulum cordis, quòd ſanguinem innoxium effuderis, aut ipſe te vltus fueris.* Vbi quaſi per antonomaſiam vocat malitiam, hoc quod eſt vlciſci, & vindictam ſumere de proximo. Quæ ergo malitia, & quantum malum erit proximo ipſi malum, vel iniurias inferre? Quamobrem dicit Paulus Corinthis ſcribens, *Obſecro vos, fratres, per nomen Domini Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis in omnes bonum, & animabus veſtris vobis, & quod in honorem Dei ſit, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia.* Et quidem ſi hoc

Hierem. 2. 19.

1. Ioan. 4. 20.

1. Reg. 25. 28. Verſ. 31.

1. Cor. 1. 10.

facitis, eritis vt Angeli Dei in pace & bono confor-
mes. Si tamen vnus contra alterum inſurgit, & diui-
ſiones dilexeritis, ipſi dæmonib. aliquo modo peio-
res eritis, & magna aduerſùm vos inſurgent mala.
In quibus verbis oſtenditur, quàm malum ſit, ſepa-
rari per diſſenſiones & odium à proximo; ſiquidem
hoc facientes magis mali, quàm ipſi dæmones, quo-
dammodò redduntur. Quamuis enim dæmones
ſint, qui primi in cœlo pacis vincula diruperunt,
quique in terra hominibus bellum continuum infe-
runt, pacem tamen quandam & vnionem inter ſe
Luc 11.18 conſeruant. Quod Chriſtus inſinuauit dicens, *Si
Satanas in ſe ipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum
eius?* Si ergo Chriſtiani inter ſe diſſentiant, & per
odium ad inuicem diuidãtur, peiores quodammodò
ipſis dæmonibus efficiuntur. Maxima igitur erit taliũ
Chriſtianorum malitia, nec proinde minus malum
eſt fratres non habitare in vnum.

Eſt denique non habitare fratres in vnum, præter
quàm quòd ſit malum, amarum valdè, & acerbum:
Nam malum, & amarum eſt reliquiſſe Deũ & pro-
ximum, & cum ipſis non eſſe vnitum. Sicut enim
Matth.5. beati pacifici dicuntur, ſic etiam de reliquis, qui pa-
Pſal.118. cifici non ſunt, dicit Dauid, *Maledicti qui declinant*
21. *à mandatis tuis*, de dilectione nempè Dei, & de dile-
ctione proximi; quæ duo præcepta mandata Dei, vt
Iſa.48. ſuprà dictum eſt, per antonomaſiam dicuntur; *Non*
22. *eſt pax impijs*, habet Propheta, quia cor impij, quaſi
mare feruens, quod nullo modo quieſcere poteſt,
quouſque reiectâ impietate, ad Deum, à quo ſepara-
tus fuit, iterum reuertatur. Quòd ſi de ſeparatione à
proximo per odium peculiariter loquamur, maximã
perturbationem & amaritudinem ex ea prouenire
perſpicie

perſpiciemus. Dixit enim impius Caim, poſtquàm fratrem Abel, quem oderat, interfecit, *Ero profugus & vagus ſuper terram, & omnis qui inuenerit me, me interficiet:* Vbi etiam dicitur, *Nonne ſi benè egeris, recipies, ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Et de ſimilibus dilectionis legem tranſgredientibus dicit Dominus, cum vnoquoque eorum loquens, *Dabit enim tibi Dominus ibi*, hoc eſt, in tali ſtatu, *cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore: & erit vita tua quaſi pendens ante te; timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ: manè dices, quis mihi det veſperum? & veſpera, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, quâ terreberis.* Quæ omnia de iis, qui inimicos habent verificantur, & planè oſtendunt in quas anxietates incurrant qui proximos ſuos odio proſequuntur, ipſoſque iniuriis, & aliis malis inſectantur. Honor enim, reputatio, fama, officium, & beneficium; diuitiæ, ſtatus, imò & vita eorum, qui alios offenderunt, & ſibi inimicos fecerunt, in maximo periculo verſantur, ac propterea amarum valdè & acerbum eſt, Deum, & proximum reliquiſſe, imò tanta eſt talis peccati amaritudo, & acerbitas, vt ad Deum ipſum pertingere dicatur: dicit enim Propheta, *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum*, ſeu (vt eſt in contextu Hebræo) *quoniam amaricauit os Domini.* Et Pſalmiſta, *Quoties exacerbauerunt eum in deſerto?* Et alibi, *Exacerbauit Dominum peccator.* Magna igitur amaritudo & acerbitas eſt peccati, ſiquidem, ſi Deus illius capax eſſet, ad ipſum pertingeret, ſicut prædicta ſacræ Scripturæ loca inſinuant. Malum igitur & amarum eſt, derelinquere Deum, & proximum, &

Geneſ. 4. 14. *Verſ. 7.* *Deut. 28. 65. 66. 67.* *Oſe. 14. 1.* *Pſal. 77. 40.* *Pſal. 9. 25.*

ab ipſis per odium diuidi, ſicut bonum, & iocundum eſt habitare fratres in vnum adinuicē, & cum Deo coniunctos eſſe. In quo vera illa plena, & multiplicata pax conſiſtit, quam Chriſtus Dominus in ſuis diſcipulis reperiri volebat & deſiderabat, quando eiſdem dixit: *Pax vobis*, &c.

Cæterùm, quia tam bona & iocūda eſt pax, quid ſit vnicuique faciendum, vt eam conſequatur, docet Dauid dicens: *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* (& reſpondit) *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, declina à malo, & fac bonū, inquire pacem, & perſequere eam:* Quaſi dicat, Qui viuere voluerit (neque enim viuere extra pacem, viuere eſt) & dies traducere bonos & magnos (parui namque ſunt & mali quos traducit is, quem inimici perſequuntur, iuxta id quod Iacob, quem frater Ezau inimicus infeſtiſſimus maximè perſecutus fuerat, dicit, *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum, ſunt parui & mali*) aliqua facere debet ex ſua parte, & in primis debet prohibere linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolū. Quod ipſe Dauid ſe feciſſe affirmat, dicēs, *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me:* vbi pro, *cuſtodiam*, legit D. Hieronymus, *ſilentium:* adiicit enim ſtatim: *Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis*, quaſi dicat, Non ſolùm ego non detrahebam de proximis, qui me non offenderunt, nec ipſos maledico dente carpebam (quod inimicitiarum ſeminarium eſt:) ſed nec quando contumelioſis verbis iniuſtè afficiebar à perſequentibus, & à calumniātibus me, pro me ipſo, vt meam innocentiam declararem, bona & licita verba proferebam. Silui enim non ſolùm à malis, ſed

Pſal. 33. 13. 14. 15.

Geneſ. 47. 9.

Pſal. 38. 2. & 3.

ſed ſilui etiam à bonis, obmutui, & non aperui os meum, vt paulò inferiùs etiam habetur, ac propterea dicit quoque ipſe alibi: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis*, ſignificans, quòd quia dum illis, qui diſcordiæ erant amatores, blandis & ſuauibus verbis alloquebatur, gratis & ſine vlla occaſione ipſum iniuriis, & aliis malis afficiebant, pacificum ſe eiſdem exhibebat, obmuteſcendo & ſilendo etiam à bonis. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*, ait Sapiens, *ne efficiaris ei ſimilis*. Iuxta quod, cùm ſanctus Ezechias, vt refertur à Propheta, videret Rapſacem ducem Sennacherib impudenter in Deum blaſphemantem, & populo Iſraëlitico ſuo, ſibíque terribiliter minitantem, Iſraëliticis imperauit, vt ipſi non reſponderent, dicens eis, *Non reſpondeatis ei verbum*, vt nimirum prælium ex tali reſponſione non excitaretur, & alia contra pacem mala non orirentur. Bene igitur dixit Dauid, Qui bonos vitæ dies traducere voluerit, prohibeat linguam ſuam à malo, non loquendo; ſi loquatur, niſi verba bona, mollia, & ſuauia; quia (vt dicitur à Sapiente) *Reſponſio mollis frangit iram*, ſicut mollis terræ mons, & ſaccus molli lanâ oppletus impetum bellici, ſulphureíque inſtrumenti infringit, & retardat, vel omninò non loquendo, & penitùs obmuteſcendo, id quòd ad vitæ tranquillitatem magis conducit.

Pſal.119. 7.

Prou. 26. 4.

Iſ.36.21.

Prou. 15. 1.

Simile.

Addit præterea Dauid, *Declina à malo, & fac bonum*, quæ eſt doctrina Pauli dicentis, *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitierit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Vincitur quidem à malo, ac ideò deperditus remanet, qui

Rom. 12. 20.21.

malum alteri infert, licèt malum pro malo eidem reddat. Quamobrem ait Dauid: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis*; hoc eſt, in nihilum redactus. Quod quidem videtur ſancta Rebecca intellexiſſe, quando conſiderans excitatas inimicitias, & exortum bellum inter Eſau & Iacob ipſius filios, dixit, *Cur vtroque orbabor filio in vno die?* intelligens ſe ambos ſimul filios eſſe amiſſuram, quando vnus malo vinceret, alius verò malo vinceretur, quia vterque vincês quidem quoad animam, victus verò quoad corpus, ſimul erat defecturus. Faciat igitur bonum, & vincat in bono malum, qui in amicitia voluerit viuere inimici, eundemque ſibi amicum reddere. Cùm itaque eſurierit, & ſitierit, non ipſum interficiat & extinguat, ſed interficiat famem & extinguat ſitim eiuſdem, dando ipſi cibum, & porrigendo potum; atque ita eundem, licèt frigidiſſimus ſit, charitatis ardore inflammabit, perficiétque amore bono, quod malo odio efficere non potuit. Id quod quâdam ex Plutarcho deſſumptâ fabulâ optimè explicatur; licèt enim fabulæ ad veritatis confirmationem non conducant, inſeruiunt tamen valdè, vt Gregorius Nyſſenus ad eiuſdem veritatis explanationem, *Inter ventum Subſolanum, & Solem fuit*, inquit, *maxima contentio, quiſnam eorum prius hominem veſtibus eſſet expoliaturus, & ad hoc certamen in campum vterque ſigillatim deſcendit, & hominem veſtibus expoliaturus prodiuit. Subſolanus quidem maximâ vi & valido impetu vndique concutiens pallium hominis, vna ex parte longè ab ipſo propulſauit, quod vt ipſe iterum teneret, vt reuerà maxima diligentia & vi celeriter adhibita, eadem ex parte item tenuit,*

Pſal. 7. 5.

Gen. 27. 45.

Plutarch. in apophtheg.

tenuit, alia ex parte ſimul dimiſit, ingraueſcente eiuſdẽ venti flatu; qui in dies magis corroborabatur. Rurſus homo dentibus ex illa parte pallium tenens, ex alia parte ipſum iterum reſumpſit; ac ſic tenaciter habuit, vt ampliùs à vento propulſari non poſſet; quapropter victus potiùs, quàm victor ex ea contentione exiuit. Exeunte verò ex campo, vbi homo erat, Subſolano, fuit in ipſum campum Sol hominem veſtibus expoliaturus, ingreſſus; ipſúmque non vi concutiens, ſed radiorum in ipſummet iniectorum calore paulatim afficiens, ita calefecit & inflammauit, vt non ſolùm pallium, ſed alias etiam veſtes libenter deponeret, atque ideò eiſdem expoliatus à Sole remaneret. Quâ quidem fabula accommodatè ſignificatum eſt, multò plus poſſe ad claram victoriam de inimicis reportandam illis benefacere, charitatis feruorẽ oſtendendo, quàm ipſis malefacere, vires & potentiam ad hoc ipſum adhibendo. Vincat ergo in bono malum, & declinans à malo, faciat bonum, qui diligit dies videre bonos.

Si vult pacem, inquirat pacem, & perſequatur eam, non expectet, vt pax ipſum quærat, ſiue vt ab aliquo principali viro ad pacem prouocetur, ſed quærat ipſe talem virum, efflagitétque ab eo, vt inimicum ſuum ad pacem reducat, & ad eandem conſequendam aliquid, & ſi neceſſarium ſit, multũ de ſuo amittat. Hoc enim faciendum eſſe docuit Chriſtus Dominus, dicens, *Qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, & qui hoc faciunt, non ſolùm pacem quærunt quærentes aliquem virum nobilem, qui ipſam efficiat, ſed etiam perſequuntur eam fugiẽtem, ſicut canis fugientem perſequitur leporem, vt ipſum conſequatur, & capiat. *Matth. 5. 40.* *Simile.*

Nec denique contentus eſſe debet, qui pacem quærit, perſequitur, ac aſſequitur, eiuſdem aſſecutione: ſed ſimul maximè elaborare debet, vt eam conſeruet. Ait enim Paulus ad Epheſios ſcribens,
Epheſ. 4. 3. *Sollicitè ſeruate vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Et hæc ſollicitudo ſita præcipuè debet eſſe in eâdem pacis conſeruatione à Deo peculiari eiuſdē authore poſtulanda. Eſt enim ſolus *Deus*, *qui* (vt habetur in
Pſal. 67. 6. Pſalmo) *inhabitare facit vnius moris in domo*, ſeu,qui habitare facit fratres in vnum. Deinde cùm admodùm fragilis & inconſtans ſit pax inter hominem &
Iob 14.2 hominem, qui (vt ait Iob) *Nunquam in eodem ſtatu permanet*, propter eius inconſtantiam incredibilem, neceſſariò ſunt ex noſtra parte adhibenda ea, quæ ad eiuſdem pacis conſeruationem ſint accommodata,& ea,quæ quidem ſunt humilitas & manſuetudo,
Simile. & eiuſmodi alia,quæ quemadmodum fœnum,lana, ſtupa, & id genus alia fragalia, vitrum optimè conſeruant,& ne frangatur, efficiunt; ſic etiam faciūt, (& præcipuè manſuetudo) vt ipſa pax, licèt fragilis
Pſal. 36. 11. ſit, conſeruata tamen diu permaneat. Quapropter ait Dauid: *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*, quæ multiplicata in hac vita per gratiam valdè delectat. Sed multò magis in alia vita multiplicata, multò etiam magis delectat in gloria, quam,&c.

HOMI

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. 10 II.

Ego ſum Paſtor bonus, &c.

VNa ex multis cauſis, propter quas meritò Chriſtus Dominus bonus Paſtor dici debet, eſt, quia nempe, vnumquemque hominem, ſeu, quod idē eſt, vnamquamque ſui gregis ouem collocare ſolet in loco paſcuæ, vbi neque cibus, neque potus eidem deeſt, & vbi per rectas & ſecuras vias ipſam in terram rectam deducit; id quod de eò & de ſe ipſo loquens Dauid ſignificat dicens, ***In loco paſcua ibi me collocauit, ſuper aquam refectionis educauit me, & animam meam conuertit; deduxit me ſuper ſemitas iuſtitia propter nomen ſuum,*** Pſal. 22. 2.3.4. (quod quidem nomen boni Paſtoris eſt;) Et alibi, ***Qui deducis velut ouem Ioſeph,*** per quē vnus quiſque, Pſal. 79. 2. iuſtus deſignatur; quem iuſtum collocat in ſua ſancta Eccleſia, quæ accommodatè locus paſcuæ appellari poteſt, quia in ea homines paſcit ſuâ puritate & innocentia, bonarumque operum exemplo; quæ ex ſancto Euangelio in eadem aſſiduè promulgato maniſeſtè apparent. Quod etiam de ipſo inſinuat alio in loco idem Pſalmiſta: ***Et pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.*** Pſal. 77. 72. Quamobrem hanc Eccleſiam, ſeu Chriſtiani populi congregationem, & hoc templum, in quo nobis modò habenda eſt concio, locum paſcuæ reſpectu auditorum dicere poſſumus; ſi quidem de eiſdem di-

Pſal. 76. 21. poteſt ſimiliter illud Pſalmiſtæ, *Deduxiſti ſicut oues populum tuum.* Cæterùm in hoc ipſo paſcuæ loco abſque dubio indigemus diuinâ luce & fauore, quæ nos ipſos per ſemitas iuſtitiæ deducant in terram rectam, & aqua ſapientiæ ſalutaris educit, diuina nempè gratia; hanc ergo ab eodem poſtulamus, per interceſſionem ipſius matris Virginis Mariæ, dicentes de more, *Aue Maria*, &c.

1. *Ego ſum paſtor bonus.* Quod primum circa hæc verba conſiderandum occurrit, eſt quænam fuerit cauſa propter quam Chriſtus Dominus pro- *Prou. 27. 2.* prio ore ſe laudauerit, dicens, *Ego ſum paſtor bonus*, cùm à Salomone dicatur, *Laudet te os alienum, & non tuum*; imò cùm neque ex ore alieno aliquan- *Luc 18. 18. 19.* do laudem accipere voluerit; habetur enim in Euangelio, quòd cuidam dicenti ad ipſum, *Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Magnâ quâdam aſperitate reſpondit; *Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi Deus*; quomodo ſe tunc ergà illum habuit, quia (vt explicat D. Auguſtinus) homo ille non *Ioan. 5. 44.* tanquàm Deum, ſed tanquàm hominem ipſum magnificabat. Iudæis dicebat ipſe, *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accepiſtis?* ſignificãs tantum malum eſſe vltrò oblatam gloriam ab hominibus accipere, vt ex eo proueniat ſummum infidelitatis malum. Quòd ſi magnum malum eſt, gloriam, & laudem ab hominibus datam acceptare, quãtum malum erit, gloriam ipſam & laudem humanã captare, & quærere, ſeque proprio ore iactare? Cur ergo ſe laudauit Chriſtus Dominus dicens, *Ego ſum paſtor bonus?* cui quæſtioni, quod primò reſpondendum occurrit illud eſt, quia nempè laudando ſe, non *Ioan. 8. 46. & 50.* quærebat gloriam ſuam, ſed vtilitatem noſtram. Nam cùm alibi diceret Iudæis, *Quis ex vobis arguet me de*

peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? paulò pòſt adiecit, *Ego non quæro gloriam meam*; quaſi diceret, Nam ideò me innocentem ſine peccato, & verum ſine dolo, aut mendacio dico, vt ex eo mihi laudem & gloriam acquiram, ſed vt vobis perſuadeam, meã doctrinam, ſi quidem vera eſt & immaculatæ vitæ authoritate comprobata, non eſſe ab aliquo reiiciendam, ſed ab omnibus amplectendam. Ad quem etiam modum alio loco dicebat diſcipulis: *Vos vocatis me Domine & Magiſter, & benè dicitis: ſum etenim*; quia nimirum ipſos ad humilitatem, cuius ſingulare exemplum in lotione pedum eiſdem præbuit, incſtare conabatur. Et ſimiliter hoc loco ſe bonum paſtorem eſſe dixit, tum, vt qui ſe malos eſſe affirmant, quia malos etiam paſtores habent, tali excuſatione iam vti non poſſint; conſiderantes ſe tam bonum paſtorem habere, vt de eo dicat Paulus, *Deus pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium Dominum Ieſum Chriſtum.* Imò cùm damnati apud inferorum regionem exiſtentes, vt habetur alibi, dicant, *Errauimus à via veritatis*; & infrà; *In malignitate autem noſtra conſumpti ſumus*; quia nempe talem paſtorem habentes, quaſi oues errauimus, & noſtrâ dumtaxat culpâ ſine Paſtoris defectu miſerabiliter periuimus; tum etiam, vt quibuſcunque poſt ipſum Prælatis ſe tanquàm optimi paſtoris exemplar imitandum proponeret, vnde non dixit ſe eſſe omnipotentem mundi creatorem, vt reuerà eſt, nec ſe omnia verbo virtutis ſuæ portare, vt de eo docet Paulus, nec ſe eſſe eum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, vt etiam docet ipſe Apoſtolus, nec ſe eſſe impaſſibilem, & eum quem adorant dominationes, & tremunt poteſtates,

Ioan. 13. 13. *Hebr. 13. 20.* *Sap. 5. 6. & 13.* *Hebr. 1. 3. Coloſſ. 2. 3.*

quia

quia in his & aliis ſimilibus,quæ multò maiora ſunt, non vult,vt eum homines imitentur, ſed dicit ſe eſſe bonum paſtorem, vt & ipſi tales eſſe ad eiuſdem imitationem procurent. Dicique ſimilem Patrem ſuum eſſe miſericordem,vt ipſi miſericordes exiſtãt:
Luc 6.36 *Eſtote*, inquit, *miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors* eſt. Nõ itaque ſe & Patrẽ ſuum laudat; niſi de iis, in quibus nos eum imitari oportet. Nos autem tales ſumus,vt vice verſâ ipſum imitari procuremus, in illis tantùm quæ ſibi,vt Deus vendicat, omiſſis illis,quæ vt homo ad inſtitutionem noſtram operatus eſt: nolumus enim aliquid pati,nec vllam iniuriam remittere, ſed omnes vltione, cùm Deus dixerit de
Rom. 12. 19. earundem vltione: *Mihi vindicta*,&c. & tamen volumus haberi; & adorari tanquam dij, cùm tamen miſerrimi ſumus. Non itaque Chriſtus ſe abs re, & extra propoſitum vnquàm laudauit, quia in eo non quærebat gloriam ſuam,ſed vtilitatem noſtram, nos autem abs re & extra propoſitum; tanquàm inanis gloriæ cupidi, nos ipſi ſæpe laudamus, & ad ipſum occaſiones paſſim quærimus.

Poterit deinde ad eandem quæſtionem reſpònderi,illum dumtaxat abſque vlla reprehenſionis notâ, ſe laudare,qui non habet de quo pœniteat in præterito,nec de quo erubeſcat in præſenti, nec denique quod timeat in futuro. Et quia ſolus Chriſtus talis extitit,cùm neque peccauerit,neque peccare potuerit,ſolus etiam ipſe,& nullus alius ex hominibus, ita ſe laudare abſque vitio potuit; quia omnes multa in tranſacta vita fecerunt,de quibus pœnitere debẽt, multa itẽ in præſenti, de quibus erubeſcere poſſunt, & multa in futura eiſdem formidanda abſque dubio occurrent, in quibus quia cadere poſſunt,ſe laudare minimè

minimè poſſunt.

Denique magna cum ratione de ſe dixit Chriſtus Dominus verba illa, *Ego ſum paſtor bonus*, quia illis non ſupra id, quod in ipſo eſt, ſe iactauit, ſed ſicut Dauid cum eodem loquens dicebat, *Domine non eſt exaltatum cor meum, nec elati ſunt oculi mei, nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus ſuper me*; ſic ipſe de ſe dicebat verba illa, *Ego ſum paſtor bonus*; quæ non ſunt ſuper ipſum, imò ipſimet non ſolùm coniunctim, ſed etiam diuiſim ſumpta ita conueniunt, vt nulli alteri diuiſim & coniunctim ſumpta conuenire poſſint: illa enim, *Ego ſum*, ſoli Deo conueniunt qui ait, *Ego ſum qui ſum*; de quo etiam ibidem ait Moyſes, *Qui eſt, miſit me ad vos*, quod nulli homini conuenit, niſi per gratiam, quæ eſt quædã diuini eſſe participatio. Quamobrem de ea dicebat Paulus, *Gratia Dei ſum id quod ſum*, & ſine ea poterit vnuſquiſque dicere cum Dauide, quando ipſam per peccatum amiſit, *Ad nihilum redactus ſum*. Solus itaque Deus eſt, qui eſt, cui propterea ipſe Dauid dicebat, *A ſeculo, & vſque in ſeculum tu es*; ac propterea ipſe etiam verè de ſe poteſt dicere, *Ego ſum*.

Pſal. 130. *Exod. 3. 14.* *1. Cor. 15. 10.* *Pſal. 72. 22.* *Pſal. 89. 2.*

Poteſt item de ſe verè dicere, *Ego ſum paſtor*, quia ſi paſtor dicitur à paſcendo, ille, qui omnia paſcit per antinomaſiam paſtor dici debet; *Oculi omnium in te ſperant, Domine*, ait Dauid, *& tu das eſcam illorum in tempore opportuno*; Suo viſionis beatificæ pane in cœlis, non cum tædio, ſed cum tanta ſuauitate cibat Angelos, vt ipſum edentes adhuc eſuriant, vt dicitur; Quapropter à D. Petro etiam de ipſis Angelis dicitur, *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. In terris autem *dat eſcam omni carni, & pullis coruorum inuocantibus eum*, vt dicitur à Dauide; iuſtus cibat pane vitæ, & in

Pſ. 144. 15. *Eccleſ. 24. 29.* *1. Pet. 1. 12.* *Pſal. 135. 25. & 146. 9.*

& intellectus, & aquâ ſapientiæ ſalutaris potát illos; imò vt omnes homines etiam iniuſtos paſcat, Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, vt in ipſorum alimoniam, & ſuſtentationem fructus producat; & denique vt anima alimento non careret, ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem repleuit bonis ſacroſancto ſui corporis & ſanguinis Sacramento ad hoc ipſum ab eo inſtituto. Qua in re ſic ſe habuit, ſicut ſe habuiſſe refertur à propheta Nathan: pauper quidam erga ouem quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, quæ omnia ardentiſſimi amoris ſigna Deus erga vnamquamque ſuarum ouium exhibet: ſiquidem poſtquam illam magno pretio emit, pane ſui corporis, & calice ſui ſanguinis nutrit, & in ſinu ſuo quodammodò portat. Quapropter per antonomaſiam, ceu magnus paſtor, & Princeps paſtorum appellari debet, ſicut ipſum appellarunt principes Apoſtolorum Petrus & Paulus; Paulus quidem dicens, *Deus pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnũ ouium Ieſum Chriſtũ*: Petrus verò dicẽs, *etiã cùm apparuerit princeps paſtorum, accipietis immarceſsibilem gloriæ coronam*. Meritò igitur dicitur Chriſtus paſtor, quia omnia ſic paſcit. Quod verò meritò dicatur etiam bonus, illud pluſquam certum eſt: ſiquidem per eſſentiam bonus exiſtit, quod de nullo alio aſſeuerari poteſt.

2. Reg. 12. 1.

Hebr. 13. 20.

1. Pet. 5. 4.

Verba autem iſta, *Ego ſum paſtor bonus*, quæ diuiſim de Chriſto domino verè dicuntur, verè etiam coniunctim de ipſo affirmantur. Nam omnia, quæ in bono paſtore reperiri debent, in illo etiam reperiuntur. Si enim, qui intrat per oſtium in ouile ouiũ, ille paſtor eſt ouium, & qui non intrat per oſtium,

hoc

hoc eſt, per Deũ, vt ſtatim adiicit D. Ioannes, ille fur eſt, & latro, quis ſicut ipſe paſtor extitit? De quo ipſe Deus per Prophetã ait: *Dabo vobis paſtorem vnũ ſeruũ meum David*, hoc eſt, Chriſtum ex ſemine Dauid. *Ezech. 34. 13.*
Eſt autẽ fur & latro qui non per Deũ intrat, ſed aſcendit aliunde, hoc eſt, qui per dæmonem, aut mundum ad paſtorale munus introducitur? Et quidem qui ſine vllis meritis, & cum multis demeritis ad idẽ paſtorale munus peruenit, ita quòd meritò poſſit vnuſquiſque eidem dicere illud Euangelij, *Quomodo huc intraſti?* ille talis à dæmone introductus cenſendus eſt, de eóque dicere poſſumus id quod dicimus, quando aliquem in aliquam domum introductum aſpicimus, & non videmus oſtium, vel ianuam, per quæ intrare potuerit. Dicimus enim, dæmon hunc huc intromiſit. Et ſicut is, qui ab aliquo in officium introductus eſt, voluntatem & iuſſum ſe introducentis & extollentis, facere ſolet: ſic etiam qui à dæmone introductus eſt ad paſtorale munus, & ad aliquod dignitatis faſtigium eſt euectus, dæmonis iuſſui & perſuaſioni obtemperat: & pauci admodùm ſunt, qui à diabolo in pinnaculum templi aſſumpti reſiſtant, cum Chriſto eidem diabolo vnicuique eorum ibi dicenti, *Mitte te hinc deorſum.* *Luc 4. 9.*
Matth. 22. 12.
Simile.
Qui verò per mundum & ſimoniacè mediantibus donis, & humanis fauoribus in Eccleſiã Dei intrat, ille non paſtor, ſed fur & latro, ſacrilegus dici debet, qui ſurripit Eccleſiam ipſam ab eo, qui illa ex iuſtitia debebatur. Quòd ſi ſacrilegus dici ſolet, ſi qui quamlibet Eccleſiæ rem furatur, quãtò maiori cum ratione ille ſacrilegus dici debet, qui non ſolùm res Eccleſiæ, ſed Eccleſiam ipſam furatur? Si præterea vendentes & ementes columbas in Eccleſia & templo,

plo, ex eo à Chriſto Domino flagellis fuerũt eiecti, quantis flagellis digni iudicandi & afficiendi ſunt illi, qui eandem Eccleſiam à vendentibus, ſeu conferentibus pecuniâ & donis emunt, & emptam poſſidere non formidant? Qui igitur paſtor bonus eſſe voluerit, per oſtium, hoc eſt, per Deum ad paſtorale munus vocatus ingrediatur, ſicut Aaron: is autem à Deo vocatus reputandus eſt, qui ſcientiam, prudentiam, virtutem, & reliquas partes habét ad ipſum paſtorale munus requiſitas & neceſſarias, & à Deo ipſo acceptas. Ideò enim de Deo ait Paulus, idoneos fecit miniſtros noui Teſtamenti, quia quos Deus ad paſtorale munus idoneos facit, paſtores vult vt fiant, tanquàm ad illud per ipſum vocati: qui verò talibus virtutibus, & partibus carent, ſi ſine ipſis in ouile ouium intrent, vult ſimiliter, vt fures, & latrones habeantur. Quapropter non minùs religioſè, quàm prudenter ait Bernardus, *Non currentes, ſed cunctantes eligito, & compelle eos intrare: pro quo rogaris, ſit tibi ſuſpectus, qui pro ſe rogat, iam iudicatus eſt, nec intereſt, an per ſe, an per alium roget, adulantem & placidè alloquentem, etiam ſi nihil rogauerit, vnum de rogantibus puta, vt faciebant Abſalon & Abimelech, vt regnarent, quorum miſerum exitum nemo ignorat.* Intret igitur per oſtium, hoc eſt, per Deum ad paſtorale munus, qui boni paſtoris nomen inuenire ſibi voluerit, ſicut Chriſtus Dominus illud ſibi inuenit, quapropter Paſtor bonus dictus eſt.

2.Cor.3.6

D. Bernard.

Bonus Paſtor eſt Chriſtus, quia, vt ait, cognoſcit oues ſuas, & vocat eas nominatim, hoc eſt, nõ ſolùm cognoſcit vultũ earũ, iuxta illud Salomonis, *Agnoſce vultũ pecoris tui*, ſed etiam cognoſcit naturas, propẽſiones, & inclinationes earundẽ, ſicut Adam omnia

Prou. 27. 23.

nia cognouit, quādo eadē in prima rerū productione vocauit nominibus ſuis, ipſiſq; iuxta illas mederi diligenter procurat, & qui aliter facit non vtique bonus paſtor exiſtit. Qui namque non agnouerit per viſitationem ſibi ſubditos, quomodo implebit illud Prophetæ, *Vos greges mei eſtis, & ecce ego iudico inter pecus & pecus, quod perierat requiram, quod abiectum reducam, confractum alligabo, infirmum conſolidabo, pingue & forte cuſtodiam.* Et quidem neceſſaria eſt in paſtore talis cognitio, vt vnicuique, ſicut docet Paulus, prout opus fuerit ſubueniat, vt corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, & ſuſcipiat infirmos. Sicut enim infirmos & macilentes agnos bonus paſtor in brachiis & in ſinu portat quando tempus aſperum exiſtit, pingues verò, & ſanos propriis pedibus corā ſe progredi & ire compellit: ſic etiam infirmos & fragiles homines proſperitate & fauoribus ſæpe Deus quaſi in brachiis & ſinu portat, iuxta illud de eo à Propheta prędictum, *Gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit*: cùm interim iuſtos laboribus & aduerſitate ad maiorem ipſorum perfectionem, & profectum affligi patiatur. Ad quem modum Præſules ſeu paſtores ſe habere debent erga fragiles, infirmos, & robuſtos: & ſi quos viderint in vitium aliquod propenſos, hos in extremum illius quantum fieri poſſit impellant, vt eo modo mediū teneant, in quo virtus conſiſtere ſolet: vt ſi, verbi gratiâ, aliquem in auaritiam nimis inclinatum cōgnoſcit, ipſum in prodigalitatem: & vice verſâ, ſi fuerit prodigus, in auaritiam quodammodo trahat, vt in liberalitate, quæ media eſt inter vtrunque extremum, remaneat: cùm contra naturalem propen-

Ezech. 34.16.17

1. Theſſ. 4.

ſimile.

Iſa. 40. 11.

ſionem ſuam & deprauatam conſuetudinem, ad aliud vitioſum extremum ferè impoſſibile ſit ei peruenire, quod idem de aliis ſimilibus vitiis dicẽdum eſt. Bonus igitur paſtor debet oues bene cognoſcere, vt peculiari cuiuſque neceſſitati ſubueniat & medeatur.

Debet etiam bonus paſtor oues ſuas cognoſcere, vt ipſas diligat: Nihil enim volitum eſt niſi priùs fuerit cognitum. Concurrit namque, vt Philoſophi docent, notitia obiecti ad voluntatis actum eliciendum: vt igitur oues diligat, ipſas cognoſcat neceſſe eſt, ſicut etiam neceſſarium eſt, vt bonus paſtor ſit, quòd eaſdem amore proſequatur: ex illo enim prouenit, quòd erga ipſos ſe pium & benignum potiùs
Simile. quàm durum, & aſperum exhibeat. Si enim ſolo fundæ ſtrepitu & ſtridore abſque vllo lapidis iactu, vel dando ſignificationem vt fugiant à facie arcus oues aberrantes in gregem reducere, & à vetita ſegete reuocare poteſt, nec lapide, nec arcu, nec baculo illas percutit: quod tamen facit quando ſtridore fundæ, quam contorquet, & ſignificatione, quam
Num. 20 dat, non reducuntur. Ideò enim Moyſes & Aaron populi Iſraëlitici paſtores à Deo puniti fuerunt, quia cùm ipſe Deus eiſdem dixiſſet, ***Loquimini ad petrã, & ipſa dabit aquas***, eandem petram Moyſes virgâ percuſſit, vt aquas ipſis daret, & percuſſionibus fecit, quod ſine illis & ſolis verbis facere poſſet. In quo ſignificatum eſt, bonos paſtores, id, quod fundæ ſtridore, & arcus cõminatione facere poſſunt (quod eſt errantes oues in gregem reducere, & à vetitis pratis cohibere) percuſſionibus & ictibus non debere efficere. Quod quidem ex amore, quo ipſas oues diligit, prouenire ſolet.

Solet etiam ex eodem in oues amore emanare, vt bonus paſtor vitam ſuam libenti animo pro ipſis in diſcrimen adducat, ad imitationem noſtri optimi paſtoris Chriſti Domini, qui vt nos à poteſtate tenebrarum in lucem & libertatem vindicaret, vitam ipſam cum acerbiſſima morte in ligno crucis commutauit. *Libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro vobis*, aiebat Paulus, quia nihil libentiùs faceret, quàm pro Corinthiis vitam effundere ad modum paſtoris Aaron ſtantis inter mortuos & viuentes, quos iam incendium vaſtabat, vt habetur in ſacris literis, & pro populo tam inſtanter deprecantis, vt plaga ceſſaret. Deſiderabat Ezechiel paſtorem, quando dicebat, *Quæſiui virum de eis qui ſe interponeret ſæpem*: & Iſaias quando ſimiliter dicebat ad Deum, *Non eſt qui conſurgat, & teneat te.* Deſiderabant itaque hi Prophetæ tales paſtores, quales fuerunt Dauid & Moyſes, qui pro ſibi ſubditis Deo ipſi quodammodò obſiſtebant. Quorum quidem Moyſes Deo dicebat, *Aut dimitte eis noxam hanc, aut dele me*, &c. Dauid verò, *Ego ſum qui peccaui, & ego iniquè egi, iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt?* Quibus verbis vterque oſtendit quanto charitatis ardore in ſibi ſubditos exardeſceret, ſiquidem pro ipſis ſeſe tanto deſcrimini exponebat, & vt ferrum in ſe conuerteretur, poſtulabat. *Percute paſtorem, & diſpergentur oues gregis*, dicitur à Propheta, & ab Euangeliſta: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.* Quibus in locis de Chriſto Domino prædictum erat, quòd percuſſo ipſo à Iudæis tanquàm paſtore: & relicto eo, omnes diſcipuli fugituri erant, & diſpergendi tanquàm oues: quo tempore ipſe eiſdem Iudæis dixit, *Si ergo me quæritis,*

2. Cor. 12. 15. *Num. 16.* *Ezech. 22. 30.* *Cap. 64. 7.* *Exod. 32. 32.* *2. Reg. 24. 17.* *Ezech. 13. 7.* *Matth. 26. 31.* *Ioan. 18. 8.*

ſinite hos abire: Fuit namque tanta eius in diſcipulos charitas, imò & in Iudæos ipſos ipſum crucifigentes, vt pro eiſdem mortuus fuerit. Vnde poteſt dici, quòd non ſolùm pro ouibus, ſed pro leonibus etiã, & immaniſſimis feris, hoc eſt, pro peccatoribus, &
Rom. 5. 8. ſceleratis hominibus, mortem ſubiuit. Quapropter Paulus ait, *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quia cùm eſſemus mortui peccatis, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quia ergo tantus fuit in eo amor in oues, imò & in leones, ex cognitione illorum in ipſo exortus, meritò paſtor bonus dici debet; ſicut & nos, qui paſtoris tam boni ſumus oues, oues etiam bonæ eſſe debemus, cognoſcentes eundem in hac vita per gratiam, & in futura per gloriam, quam mihi, &c.

HOMILIA IN ILLVM
LOCVM IOAN. 16. 16.

Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem, &c.

CIRCA hoc modicum, quod hoc loco toties à Chriſto Domino repetitur, dum dicit, *Modicum, & iam non videbitis me, & iterum*

Digitized by Google

iterum modicum,& videbitis me, &c. Duo,hoc præſertim Paſchali tempore, fieri à nobis deſiderabunt auditores; alterum eſt,quòd circa hoc modicum, modicum etiam ſit, quod ipſis prædicetur; alterum verò eſt,quòd ipſummet modicum eiſdem in prædicatione cum gratia dicatur, ita ſcilicet vt ſit modicum, & cum gratia; primum quidem, quod eſt modicum prædicare,in nobis eſt,& illud præſtabimus; ſecundum autem,quod eſt cum gratia dicere, eſt in Deo eiuſdem gratiæ authore. Ab ipſo ergo illam poſtulemus per interceſſionem Virginis, & matris ipſius Dei, dicentes eidem Virgini, *Aue Maria, &c.*

Modicum, & iam non videbitis me,& iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. Hæc verba, iuxta interpretationem Chryſoſtomi, Cyrilli Euthymij,Theophylacti, Theodoreti, & Leontini, imò & Auguſtini hoc loco, hunc ſenſum efficiunt; Poſt paululum non me videbitis, quia iam moriar, & reſurgam, vt me videre poſſitis: ſic enim ad Patrem vado. Vocauit itaque Chriſtus Dominus tempus illud ſuæ mortis tempus modicum & breue, cùm dixit, *Modicum, & iam non videbitis me*; & certè,quòd tempus gaudij, & lætitiæ breue & modicum, ſeu momentaneum videretur, mirum non erat, ſed quòd tempus tam amaræ, miſeræque, & calamitoſæ mortis breue & exiguum videretur, illud maximè mirandum fuit. Ideò enim dies iudicij dies magna dicitur ab Eccleſia, quia dies amara valdè,& dies iræ, calamitatis, & miſeriæ futura eſt. Amaritudo namque, dolor, & miſeria, cum qua tempus aliquod tranſigitur, illum longum apparere facit, ſicut voluptas, gaudiũ, & lætitia vice verſâ

Hom.78. *Lib. 11.c. 3.*

momentaneum reddunt tempus, quo poſſidentur, licèt ipſum longum exiſtat, vt experientia teſtatur. Cùm igitur ab hora cœnæ, in qua Chriſtus Dominus hæc verba dixit, Vſque ad horam, in qua inclinato capite emiſit ſpiritum, fuerit quaſi vnius diei ſpatium, tot ac tantis acerbitatibus, miſeriis, dolo-
3.p.q.46. art.5. ribus, ac calamitatibus plenum, vt dicat D. Thomas, ipſum paſſum fuiſſe in eo omnem paſſionem ſecundùm genus; quare dies illa calamitatis & miſeriæ amara valdè erga ipſum, dies magna ab eodem non dicitur, ſed tempus modicum?

Ad quod etiam adiicitur quòd fuerunt Chriſti dolores adeò intenſi, vt eorum quilibet ad ipſum occidendum ſufficeret. Quapropter ipſemet per
Pſal. 17. 5. os Dauid dicebat: *Circundederunt me dolores mortis*, quia quàm plurimi eorum, quos in eo temporis interuallo paſſus fuit, eundem mortem ſubire efficerent, cùm dolores illi reverà mortis effectrices eſſent. Si Deus, qui ſine cibo in deſerto quadraginta diebus illum ſuſtinuit per miraculum, eũdem etiam per miraculum, in medio tot ac tantorum mortiferorum dolorum peculiari auxilio non ſuſtineret. Id, quod ipſe in cruce pendens, & iamiam vltimum habitum emiſſurus inſinuauit dicens Patri,
Marc. 15. 34. vt habetur in Euangelio: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* quaſi diceret, Quare, Domine, me dereliquit & deſeruit auxilium tuum, quo efficiebas vt mortiferis doloribus circundatus non morerer? plures enim adhuc labores & dolores pati vellem, vt pro hominibus copioſiùs tuæ iuſtitiæ ſatis facerem; vt quid ergo me dereliquiſti? Cùm igitur tales eſſent Chriſti dolores, vt de eorum vno-
Thren. 1. 2. quoque per Hieremiam dixerit: *O vos omnes qui tranſitis*

tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Cur tempus ſuæ Paſſionis tanto dolore pleniſſimum, modicum appellauit? Additur denique ad hoc ipſum; quòd dolor ex ſeparatione in corporibus reſultat, vt Philoſophi docent: & inde eſt, quòd quantò maior eſt partium humani corporis ſeparatio, tantò maior & intenſior dolor exiſtit; quia verò quando anima præcipua hominis pars à corpore principali etiã ipſius parte in morte ſejungitur, maxima fit ſeparatio, inde fit quòd mortis dolor inter cæteros dolores ſit acerbiſſimus. Quòd ſi hoc eſt in omnibus hominibus, in quibus, quia *caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem*, vt ait D. Paulus, corpus, & animus ſunt inimici; ac proinde ab inuicem ſeparari minùs ſentire debent, quid eſſet in Chriſto Domino, in quo præterquam quòd habuit temperamentum, quoad iuſtitiam (quamobrem eiuſdem corpus fuit præ cæteris magis ſenſitiuum) nec caro ſpiritui, nec ſpiritus carni inimicus vnquàm fuit; ac propterea vtriuſque ab inuicem ſeparatio acerbiſſima, & dolor ipſius intenſiſſimus extitit. Id quod inſinuatum eſt ab Eccleſiaſtico his verbis; *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis*, quia cùm ſubſtantiæ Chriſti, animus nempè & corpus, inter ſe ſemper pacem haberent, mors ipſius, quæ in talium partium ſeparatione conſiſtit, acerbiſſima futura erat; ſicut reuera fuit, quapropter talis mortis memoria erat ſimiliter eidem non mediocriter, ſed valdè amara. Quomodo ergo appellat Chriſtus Dominus modicum, ſeu paruum illud ſuæ Paſſionis tempus, in quo non ſolùm tot, ac tãtorum mortiferorum dolorũ, & mortis ipſius memoriam

Galat. 5. 17.

Cap. 41. 1

imaginando, ſed mortem ipſam, & eiuſdem acerbitatem moriendo paſſus & expertus fuit?

Ad quam difficultatem vt reſpondeamus, notandum eſt, amorem talem in hominibus vim habere, vt ipſis apparere faciat, quod multum eſt, paucum, quod magnum eſt, paruum, & quod grande eſt, exiguum. Multi anni æſtus & frigoris, aliorumque laborum, quibus pro Rachele Iacob ſeruierat, ipſi videbãtur dies parui prę multitudine amoris, vt refer-

Gen. 29. 20. tur in Geneſi. Videbantur itaque anni dies, & multi & magni anni, parui dies. Nec mirum illud eſt, quia

Cant. 8. 7 *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione*, vt dicitur, *quaſi nihil deſpiciet illam*. Id, quod tempore ſuæ mortis paſſus eſt Chriſtus, appellauit Hieremias mare magnum, quando cum eo loquens

Thren. 2. 13. dicit, *Magna eſt velut mare contritio tua*, & Dauid

Pſal. 32. 6. appellauit diluuium, quando etiam dixit, *In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*: & id ipſum appellauit ipſe Chriſtus calicem, dum dixit

Ioan. 18. 11. Petro, *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* imò minus adhuc reputauit totum hoc, & quaſi nihil deſpexit, quando diſcipulis euntibus

Luc. 24. 18. in Emaus, & dicentibus ei: *Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus de Ieſu Nazareno?* reſpondit, *Quæ?* ſe quaſi de nihilo immemorem oſtendens, cùm tamen tanta & tam precioſa res eſſet mors eius, vt nullatenus à

Hebr. 12. 3. memoria excidere debeat, iuxta illud, *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionẽ*;

Thren. 3. 20. & illud etiam, *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea*. Quam propterea mortem Moyſes & Helias de ea loquentes dicebant exceſſum, quem

Luc 9. 31. complecturus erat in Hieruſalẽ, vt dicit Euãgeliſta.

Ad quem modum Seraphin illi, qui maximè charitate inflammati inceſſabili voce proclamabant, dicentes, vt ait Propheta, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*; ſe ſimul pennis velabant, & facies ſuas cooperiebant, quaſi erubeſcentes, pudore affecti, quòd tam exiguis laudibus Deum omni laude maiorem auderent extollere. Et hoc idem volebat Chriſtus vt diſcipuli facerent, quando eiſdem dicebat: *Cum feceritis omnia quæcunque præcipio vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus*; & meritò hoc ipſis dixit, quia ſi pro dilectione dederint homines omnem ſubſtantiam, quaſi nihil ipſam deſpicient: ſi verò abſque dilectione & charitate pauca & exigua dederint, multa & magna illa reputabunt. Nam homo, qui ardenti charitate non flagrat, exigua dabit, vt dicit Eccleſiaſticus, & multa improperabit, ſicut fortaſſe fecerunt Apoſtoli, de quibus, quia vilia retia pro Deo dimiſerant, ipſorum & ſuo nomine dicebat D. Petrus, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* in facie Chriſti ipſa retia adeò magnificans, vt illa omnia reputaret. Et certè, quemadmodum ei, qui vtitur inſpicillis hominis veteris, exigua apparent magna, ei verò qui inſpicillis vtitur hominis noui, magna apparent exigua: Sic etiam qui oculis veteris Adami videt ea, quæ facit, eadem, licèt parua ſint, magna arbitratur, & tanquàm talia improperat: qui verò exuens veterem hominem, & induens nouum, nimirum Chriſtum Dominum, illius oculis intuetur ea, quæ facit, licèt maxima illa ſint, non talia reputat, ſed exigua & modica, ſicut ipſe Chriſtus modicum reputabat magnum illum ſuæ paſſionis diem, quando diſcipulis dicebat, *Modicum, & iam non videbitis me*,

Iſa. 6. 3. *Luc. 17. 10.* *Cap. 20. 15.* *Matth. 19. 27.* *Simile.*

quaſi diceret, Modicum erit breue & exiguum tempus illud, poſt quod me à veſtris oculis ita ſubtrahā, vt me iam non videatis.

Modicum etiam appellat ſpatium, & durationem vitæ ſuæ, vt nos noſtram nō arbitremur longam, ſed breuem, & tanquàm breuiter interituri in ea viuamus. Id quod ſignificatur illo loco, vbi dicitur:
Sap. 2.1. *Exiguum & cum tædio eſt vita noſtra tempus*, dies cuius, ſub nomine peregrinationis ſignificati, paruos
Gen. 47. 9. & malos eſſe aſſeruit Iacob dicens Pharaoni; *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorū ſunt, parui & mali.* Quibus in locis verba illa, *exiguum*, &, *cum tædio*, *parui*, *& mali*, maximam humanæ vitæ miſeriam inſinuant: ſi namque illud exiguum eſſet cum iucunditate, & dies illi breues non eſſent ſimul mali & acerbitate pleni, tolerabilius hoc eſſet. Cæterùm cùm id ipſum multò aliter ſe habeat, multò etiam minùs tolerabile remanet, & quidem quod attinet ad breuitatem vitæ per nomen modicum ſignificatam, quanta illa ſit ex experientia manifeſtè apparet. Eſt enim veluti ſcintilla inter denſas noctis tenebras inſtantaneè coruſcans. Nam tenebræ ipſæ nihil ſunt, vt Philoſophi docent, & ſcintilla ferè nihil eſt, & ſimiliter vita præterita & futura reuerà non ſunt, & præſentis inter vtranque interiectæ modicum quid dumtaxat exiſtit. Quamobrem Dauid ipſam vitam vocat introitum & exi-
Pſa. 120. 8. tum, cùm dixit, *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum*, &c. innuens ipſam præſentem vitam tam breuem eſſe, vt in ſolo exitu à præterita, & ingreſſu in futuram duntaxat conſiſtat. Nomen Hebræum, quod mortuum ſignificat, ab eo per quod mortale in ea lingua ſignificatur, vnico ſolùm pun-

cto differt, quo accommodatè in ſancta illa lingua inſinuatur, quod mortalis homo à mortuo in ſolo quodam puncto diſcrepat, & quòd ſi quemdam naturalis caloris gradum amiſerit, ſimul ſtatim interibit. *Omnis caro fœnum*, clamat Propheta, *& omnis gloria eius quaſi flos fœni*. Iob etiam habet, *Breues dies hominis ſunt*. Et alibi, *Dies mei velociores fuerũt curſore, fugerunt & non viderunt bonum*: Et, *Dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum*. Iam breuem itaque vitam ſuam arbitrabatur vir ſanctus, vt nihil ſibi ſupereſſe niſi ſepulchrum, diceret, & parum vel nihil deeſſe, vt ad ipſum duceretur. Cumque cunctis diebus quibus nunc, hoc eſt, in hac inſtantanea vita militabat, expectaret donec immutatio ſua veniret, vt etiam dicebat ipſe Iob, taliter viuebat, vt vir rectus, ac timens Deum diceretur à Spiritu ſancto. Ad quod ſimiliter nobis inſeruire debet tam exigui & modici vitæ temporis conſideratio, vt nempe nihil ipſius amittamus, ſed totum ipſum vtiliter conſumamus. Ad id enim mouet vnumquemque noſtrum Petrus Apoſtolus dicens: *Vigilate, & magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis*.

Iſa. 40. 6 — *Cap. 14. 5.* — *Cap. 9. 25* — *Cap. 17. 1.* — *Cap. 14. 14.* — *Cap. 1. 1.* — *2. Pet. 1. 10.*

Hanc quidem conſequentiam debet vnuſquiſque ex maxima ſuæ vitæ breuitate tanquàm ex antecedenti deducere, Exiguum & modicum eſt vitæ noſtræ tempus, ſatagamus & vigilemus, ne aliquam ipſius partem amittamus, & non illam, quam ex hoc ipſo antecedenti deducunt impij, nimirum: Exiguũ, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, &c. Venite ergo, fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creaturâ tanquàm in iuuentute celeriter vino preioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos *Sap. 2. 1.*

tempo-

temporis; coronemus nos roſis antequàm marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nam D. Ioannes ait, *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus, iram magnam habens, ſciens quia modicum tempus habet*, quia nempe diabolus, noſter infeſtiſſimus hoſtis, vitæ noſtræ tempus modicum conſiderans, nullâ occaſione contra nos non vtitur, & omnem diligentiam ad noſtram perniciē adhibet. Quantò maiorem igitur diligentiam & curam nos ipſi ad noſtram ſalutem adhibere, & quantâcunque ſolicitudine ipſam operari debemus?

Apoc.12.12.

Simile. Quia dies in Irlandia breues ſunt, accipitres ex ea oriundi maximâ celeritate volantes deprædari ſolent id, quò longitudinem noctis tranſigere poſſint. Cùm ergo breues dies hominis ſint, vt ex Iob ſuprà retulimus, antequàm veniat nox, in qua nemo operari poteſt, ſicut habetur in Euangelio, debet vnuſquiſque id per bona opera in tam breui vitâ acquirere, quo poſt mortis noctem poſſit fœliciorem vitam traducere. Vt enim Chriſtus Dominus promereretur æternam, ſciens quia venit hora eius, vt ad Patrem tranſiret, & quia modicum tempus haberet, infinitâ propemodùm operâ ad eandem vitam æternam ſpectantia breui illo eiuſdem temporis interuallo fuit operatus.

Ioan.9.4.

Illud etiam, *modicum, & iam non videbitis me*, ſignificat in eo breui vitæ ſpatio ad eam calamitatem & miſeriam eſſe ipſum Chriſtum Dominum peruenturum, vt quodammodò ab oculis diſcipulorum euaneſcens vermis & non homo eſſet ita reddendus, vt non eſſet ei aſpectus, ſicut de eo prædictum fuerat per Prophetā, nec oculis videri poſſit. Quod inſinuat id quod diximus, nimirum breue, & cum tædio,

Iſa.53.2.

dio,ſeu malum eſſe vitæ humanæ tempus: nam, vt etiam aiebat Iob, *homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis*. Quod quia manifeſtum eſt, & quotidianâ experientiâ comprobatum, rationibus & exemplis vt illuſtretur, non indiget. Cap.14.1.

Et iterum modicum, & videbitis me. Quaſi diceret, Modicum & exiguum tempus erit, poſt quod me iterum videbitis. Quadraginta itaque horis Chriſtum non erant diſcipuli viſuri, quod ſpatium modicum appellat, & quadraginta diebus à Reſurrectione incipientibus cum ipſo erant conuerſaturi, iuxta illud, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, præbuit ſeipſum viuum in multis argumentis*. Vbi conſiderandum eſt, quantum ſuſcepti pro Chriſto labores à præmiis, & tribulationes à gaudiis excedantur; ſiquidem pro quadraginta horis acerbæ abſentiæ quadraginta iucundiſſimæ præſentiæ dies diſcipulis dati fuêre. *Vade popule meus* (aiebat Deus per Prophetam) *intra in cubicula tua, claude oſtia ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio mea*; vbi verba, *modicum ad momentum*, &, *pertranſeat*, breuitatem laboris & tribulationis, per indignationem Dei ſignificatæ, deſignant; & alibi, *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & miſericordia ſempiterna miſertus ſum, dixit Redemptor tuus Dominus*. Ad quem modum dicuntur labores à Deo dati, torrens qui raptim tranſit, vt ait Iob: nam Propheta dicit: *Ecce aquæ aſcendent ab Aquilone, & erit quaſi torrens inundans*; & Dauid, *De torrente in via bibit*; quia nimirum breui temporis ſpatio pertranſierunt. Quapropter Paulus ait, *Quod in præſenti eſt momentaneum*,

Act.1.3. Iſa.26.20. Iſa.54.7.8. Cap.6.15. Hierem.47.2. Pſal.109.7. 2. Cor.4.17.

taneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum operatur in nobis gloriæ pondus. Non igitur mirum fuit, quòd poſt modicum illud quadraginta horarum ſpatium, quibus diſcipuli non erant viſuri Dominum, ipſum quadraginta diebus poſteà viderent.

Præterea circa illud, *modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me*, quod ſignificat diſcipulos priùs triſtitiam abſentiæ Domini paſſuros eſſe, quàm præſentiæ gaudium, & lætitiam cōſequerentur, aduertendum eſt ita ſe Deum erga illos habuiſſe, vt priùs ſe abſconderet, & poſteà ſe manifeſtaret, & interdum eoſdem tribulatione, interdum verò conſolatione affeciſſe, vt bonos operum fructus ferrent. Quemadmodum enim varia temporis viciſſitudo nox nimirum & dies, frigus & æſtus, receſſus & acceſſus Solis, ad fructuum productionem neceſſaria eſt, ita etiam vt diſcipuli, quibus dixit Chriſtus, *Ego elegi vos, vt eatis & vt fructum afferatis*, fructum ipſum afferrent (quomodo ſe erga quoſcumque iuſtos habere ſolet) eoſdem interdum vexat, interdum conſolatur, & ab eiſdem interdum recedit, interdum verò ipſis appropinquat, & accedit. Id quod ſignificat Hieronymus, dum ait: Ver amœniſſimum antecedere ſolet rigida ac ſæua hyems; & quò magis mare intumuerit, & ſæuum fuerit, eò poſteà tranquillius fit, quia poſt tempeſtatem tranquillum facit; & poſt lachrymas exultationem infundit; & denique poſt nubila Phœbus, vt Poëta ait. Quia igitur virtus in infirmitate perficitur, & veluti ignis nonnullâ aquæ infuſione à fabro ferrario ſæpe roboratur, ideò diſcipulos & iuſtos quoſcūque in labores incidere, & triſtitiâ affici permittit

Simile.

Ioan. 15. 16.

Hieroni. ad Marcellam.

mittit; à qua tamen poſt modicum temporis ſtatim ſubleuat.

Et quidem ponderandum valdè eſt, quanta cum celeritate, & quàm breui temporis interuallo Chriſtus coram tot iudicibus, & in tot tribunalibus præſentatus fuerit (quod hac tempeſtate non niſi multo tempore fieri poſſet) & quomodo Iudæi cauſam eius breuiare procurauerint, dicentes Pilato: *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*, & vt ipſe ſcrupulum deponens ſententiam mortis in eundem ferret, qualiter dixerint: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*; Et denique quomodo, vt citiùs crucifixus interficeretur angariauerint Simonem Syrenæum, qui crucem, quàm præ debilitate ipſius & pondere eiuſdem crucis portare non poterat, ſimul cum eodem in Caluariæ locum aſportaret. Quod quidem ideò ipſe Chriſtus Dominus fieri voluit, vt citiùs etiam diſcipulos ipſos conſolaretur, eorumdemque lacrymas abſtergeret, licèt breuitas illa, quâ tot ac tantos labores ſubiuit, & tolerauit, acerbiùs illum cruciaret & moleſtiùs affligeret. Quemadmodum enim quando mater filiolum domi plorantem relinquit, & aliquid negociatura vel emptura foras vadit, maiori cum labore & ſollicitudine negocium agit, imò & cariùs emit, ſi quid emptura exiuit, vt in domum citius ad abſtergendas lacrymas ab oculis ipſius filioli reuertatur: ſic etiam Chriſtus Dominus vt citò ſubueniret triſtitiæ diſcipulorum, quos veluti filiolos diligebat, tam modico temporis ſpatio, tot, ac tanta tormenta & opprobria paſſus eſt (quam fortaſſe ob cauſam noſtram, etiam ſalutem cariùs & maiori pretio emit) ideóque ſuam Reſurrectionem ſic accelerauit, vt ex triduo illo ſuæ mortis quadraginta ſolùm

Ioan. 18. 30.

Matth. 27. 25.

Simile.

ſolùm horis plus minúſve in ſepulchro remanere voluerit.

Poſtremò notandum eſt, non dixiſſe Chriſtum Dominum, *modicum, & non videbitis me*, quia morior, *ſed quia vado ad Patrem*, vt nos doceret non eſſe nobis tantùm reſpiciendum ad mortis acerbitatem pro Deo deguſtandam, quantum ad iocunditatem ex ipſa poſteà ſubſequendam. Non itaque in labores, ſed in eorum fines oculorum aciem intendere debemus, vt labores ipſos faciliùs ſubeamus & toleremus. *Simile.* Sicut enim flumina incipiunt à fontium dulcedine, & deſinunt in maris amaritudine, ita mundanæ voluptates dulces in principio ſunt, & in fine acerbiſſimæ exiſtunt: Et vice versâ, labores pro Chriſto ſuſcepti, qui tam in origine, quàm in progreſſu amaritudinem præ ſe ferunt, in iocunditate ſuauiter finiuntur & terminantur. Quapropter vt ipſi nos non perturbent, eorundem duntaxat termini & fines ſunt à nobiſmetipſis cõſiderandi. *Simile.* Quemadmodum enim qui aliquod flumen traiicit, ne à tranſeuntibus aquis perturbetur, in vlteriorem eius ripam ſeu terminũ oculos coniicit, ſic vnuſquiſque mundum hunc laboribus pleniſſimum tranſiens, ne ab ipſorum laborum aquis ita perturbetur, vt cadat, in fines eorum, qui ſuauiſſimi ſunt in alia vita futuri, ex hac præſenti tantummodò, mediante diuinâ gratiâ reſpicere debet, vt poſt eam tandem áſſequatur bona gloriæ, quam mihi, &c.

HOMI

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. 16. 6. 7.

Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum: ſed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, &c.

EX eo quod Chriſtus Dominus ad Patrem in cœlum erat iturus, faciendum erat, quod diuinus illius Spiritus admirabili & ſuperabundanti quodam modo in terram ad homines eſſet venturus; & ſimiliter ex eo quod ipſe Chriſtus, quem aduocatum habemus apud Patrem, vt ait D. Ioannes, appareat nunc vultui Dei pro nobis, vt etiã dicitur ab Apoſtolo, prouenit, quòd continuã quandam eiuſdem Spiritus participationem ab eodem Patre de ſurſum habeamus per gratiã. Quapropter ad eam impetrãdam habemus aduocatum apud Patrem Filium eius Ieſum oſtendentem ei vulnera; & apud ipſum Filium, habemus eodem ferè modo aduocatam ipſius matrem, oſtendentem ei vbera, vt ait Bernardus. Quamobrem eandem vocat ſancta Eccleſia aduocatã noſtram, dum frequenter ei dicit:

1. Ioan. 2. 1. Hebr. 9. 24.

Eia ergo aduocata noſtra, &c. Ab ipſa ergo matre poſtulemus, vt talis aduocata modò ſit pro nobis erga Filium, qualis aduocatus ipſe pro nobis eſſe ſolet erga Patrem, vt vtrâque ipſarum diuinarum perſonarum eiuſdẽ matris interceſsione nobis hodiernâ die mittat ſuum diuinum Spiritum gratiæ, quâ nunc maximè indigemus, & ad hoc eidem matri iuxta communiter vſurpatam conſuetudinem dicamus, *Aue Maria,* &c.

Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum? Quàm tenero amore Apoſtoli Chriſtum proſequerentur; ex hoc loco planè conſtat: nam cùm ab eis nondum ab iſſet, ſed tantummodò ipſis diceret, ſibi abeundum ab ipſiſmet fore, tantâ triſtitiâ affecti remanſerunt, vt illa non ſolùm eorũdem corda attingeret, ſed intimè penetraret, & totum cuiuſque ipſorum pectus occuparet & poſsideret. Nec mirum illud erat: nam erat ipſe ſpecioſus formâ præ filiis hominum, erátque diffuſa gratia in la-
Pſal.44. 3. biis eius, vt dicitur à Pſalmiſta, & erat mel & lac ſub
Cant.4. 11. lingua eiuſdem, vt etiam ſignificatur à Salomone; quapropter ſuo nomine, & cæterorum dicebat ei
Ioan.6. 68. Petrus, vt habetur in Euangelio, *Quò ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Erant enim, quia cum ipſo conuerſabantur, quodammodò beati, quamobrẽ ipſe-
Luc 10. 23.24. met eiſdem dicebat, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & beatæ aures quæ audiunt quæ vos auditis, multi enim Reges, & Prophetæ deſiderauerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Deſiderans Regina Sabba videre Salomonem, cùm ipſum vidit, quodammodò beata effecta in hæc verba prorupit,
3.Reg.10 8. *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui adſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* Cùm ergo de Chriſto

Chriſto verè dictum ſit, *Ecce pluſquàm Salomon hic*; quid dicendum erat de diſcipulis eius ipſi frequenter aſtantibus, ipſumque ſæpiſſimè audientibus? Beati quidem erant in eiuſdem præſentia, ac ideò cùm ſe ab eis diſceſſurum eſſe diceret, diceret etiam eorum vnuſquiſque maximâ triſtitiâ affectus cum Dauide, *Quid mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum?* Maximus quidem Ioannis Baptiſtæ labor inter omnes, quos propter Deum in hac vita paſſus & expertus eſt, ille fuit, quòd nimirum abſens à Chriſto Domino, quem optimè cognoſcebat, & vnicè amabat, in deſerto vixerit; vt teſtimonium, quod poſteà de illo erat redditurus non haberetur à Phariſæis ſuſpectum, ſicut de facto haberetur, ſi cum eodem fuiſſet anteà conuerſatus. Quantò itaque magis vnuſquiſque rem aliquam diligit, tantò vehementiùs eiuſdem abſentiâ & amiſſione cruciatur, & tantò maiori ob eam triſtitiâ afficitur. Atque ideò propter dilectiſſimi magiſtri diſceſſum, & proximè futuram abſentiam diſcipuli tanto dolore & triſtitiâ afficiebantur.

Luc 11. 31.

Pſal. 72. 28.26.

Cæterùm, væ nobis miſeris hominibus, qui tam ſtupidi, tamquæ ferrei ſumus, vt nec paruâ mœſtitiâ de abſentia Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti tangamur, tantum abeſt, vt triſtitiâ cor noſtrum impleatur, imò talis carnis noſtræ genius exiſtit, vt leui probro tacti ingemiſcamus, & ſi diuitiarum iactura, quantulacunque illa ſit, contingat, mœſtitudine affecti, tanquàm fragiles & infirmi, abſque dubio concidamus. Cùm interim nec de atrociſſima Chriſti morte, ſi eam aliquando in mente tractamus, nec de Dei per peccatũ amiſſione, ſi ipſam etiã mẽ-

Eccleſ. 8. 5. te perpendimus, quicquam ſentiamus. *Peccaui*, ait impius, *& quid mihi accidit triſte?* Non itaque reputant peccatores ſufficientem triſtitiæ cauſam peccatum, per quod Deum amittunt, cùm iuſti ſolum ipſum peccatum, & nihil aliud præter illud veram triſtitiam poſſe afficere arbitrētur: licèt enim triſtes eſſe videantur, gaudentes potiùs dicendi ſunt. Vnde

2. Cor. 6. 10. de ipſis dixit Paulus, *quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes* &c. Cùm igitur aliquis peccauerit, & Deum per peccatum amiſerit, & ab eo ſe ſeparauerit, tum demùm debet triſtis eſſe, & maximam lacrymarum vim profundere, ita vt poſſit verè cum Dauide di-

Pſal. 41. 4. cere: *Fuerunt mihi lacrymæ panis die ac nocte dum dicitur mihi quotidiè, Vbi eſt Deus tuus?* Exiſtimans Anna mater Tobiæ Ioſephū, qui ab ea abſens erat, amiſiſſe, ſicut refertur in eius hiſtoria, flebat irre-

Tob. 10. 4. mediabilibus lacrymis dicens, *Heu me, fili mi, vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorū, baculum ſenectutis noſtræ? Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Quid igitur efficere debet anima, quæ certò ſcit ſe reuerà, quando peccauit, Deum amiſiſſe, ipſumque ab eâdem longè abſentem eſſe? & quàm vehementer reformidabit eam horrendam ſententiam in vltima Iudicij die ab ipſo Deo proferendam, quæ contine-

Matth. 25. 41. tur in Euangelio, his verbis, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum?* Tunc quidem flebit lacrymis reuerà irremediabilibus, ſiquidem nec illæ quidem quidquam proficient, nec vllo vnquàm tempore terminabuntur. Oportet ergo vt nunc, quando eſt tempus acceptabile, vnuſquiſque ad imitationem diſcipulorum maximâ triſtitiâ afficiatur, ſi quocunque modo Deum à ſe poſſe abire arbitretur, & illud

idem

idem vehementer effugiat.

Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, &c. *Ioan. 18.*
Ad hoc veni in mundum, dicebat ipſe Ieſus, *vt teſti-* *37.*
monium perhibeam veritati. Et quidẽ veritatẽ loqui,
eſt proprium opus Dei; vnde etiam Philoſophus
Pythagoras, vt refert Ioannes Stobæus, interroga-
tus quid facere deberent homines, vt Deo aſſimila-
rentur, reſpondit, Veritatem loquantur. Et valdè
ponderandum eſt hoc loco, quàm fidelis diſcipulo-
rum amicus fuerit Chriſtus Dominus; ſiquidem eis
vera loquebatur, quamuis ipſi ægrè illud ipſum fer-
rent. Ad cuius imitationem Paulus, licèt obſequiũ
amicos, & veritas odium pariat, illam hominibus di-
cebat, quamuis quàmplurimis diſpliceret. Qua-
propter ipſe ſic ſcribebat: *Factus ſum vobis inimicus* *Galat. 4.*
verum dicens. Et Tullius in Lælio ait: *Quæratur* *16.*
tanquàm amicus qui increpet, reprehendet, & moneat.
Veruntamen non ſic ſe habet mundi amicitia, quia
ſub dolo mendacium loquitur, & veritatem ſilet, ne
quicquam triſtitiæ amico afferat. Quamobrem de
amicis huius ſeculi dicitur, *Vana loquuti ſunt vnuſ-* *Pſal. 11. 3*
quiſque ad proximum ſuum. & infrà: *In corde, & cor-*
de loquuti ſunt; & alibi, *mendaces filij hominum in ſta-* *Pſal. 61.*
teris, vt decipiant de vanitate in idipſum: de quibus *10.*
proptereà dicit Propheta, *Filij mendaces, filij nolen-* *Iſa. 30. 9.*
tes audire legem, qui dicunt Videntibus (hoc eſt Pro-
phetis) *Nolite videre, loquimini nobis placentia.*
Quamobrem miſeri huius temporis concionatores,
quiá feruore Spiritus carent, & auram popularem
captant, ea ſolum dicunt auditoribus, quæ eiſdem
triſtitiæ cauſa non exiſtant, & habent ſe ſicut illi, qui *ſimile.*
non ſalutiferos cibos (quales ſunt lactucæ decoctæ)
ſed dulces, ſuaues, & qui appetitum excitent, in ſuis

conuiuijs comedendos apponunt. Significatur doctrinæ Euangelicæ veritas nomine mellis, quãdo dicitur: *Mel & lac ſub lingua eius*; nomine ſalis, & lucis, quando dicitur: *Vos eſtis ſal terræ*; & rurſus: *Vos eſtis lux mundi*. Quia ſicut mel, quamuis dulce ſit, cùm tamen adhibetur vulneribus, in eiſdem dolorem cauſat; & ſicut ſal in ipſis poſitus aſperitatẽ efficit, & ſicut lux oculis ægris moleſta exiſtit: ſic etiam veritas, licèt eximium quid & excellens ſit, peccatores ſceleribus vulneratos, & ægros nimiùm vexat, & vehementi moleſtiâ afficit. Quamobrem ipſam veritatem loqui non ſolet, niſi qui habet Spiritum Chriſti, & qui eſt verus & fidelis amicus, qualis ad ſalutem vnicuique eſt neceſſarius. Vnde etiam eſt illud Diogenis Cynici dictum, nempe ad ſalutem opus eſſe homini, aut fidis amicis, aut acribus inimicis; quia nempe in defectu illorum hi veritatem loquuntur; Chriſtus autem tanquàm fidus diſcipulorũ amicus, etſi ipſos triſtitiâ afficeret, quia tamen eiſdem expediebat, ipſiſmet veritatem loquebatur, inquiens: *Ego veritatem dico vobis*.

Cant. 4. 11. Matth. 5.13.14. Simile.

Expedit vobis, vt ego vadam: Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Quænam contrarietas (dicet aliquis non contemnendâ ratione ductus) inter Chriſtum & Spiritum ſanctum exiſtit? Nónne ſi Deitatem Chriſti inſpiciamus, ipſe Spiritus ſanctus eſt amor vtriuſque, Patris, ſcilicet, & Filij nempe Chriſti; ac proinde tres hæ perſonæ vnus, atque idem Deus? Si verò humanitatem eiuſdem Chriſti conſideremus, nónne illa ipſius Spiritus ſancti virtute producta fuit, vt conſtat ex Euangeliſtarum locis, vbi de Deipara Virgine dicitur, *quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt?* Quare ergo dixit ipſe

Matth. 1. 20. Luc 1.35.

ipſe Chriſtus, *Expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.* Quaſi minùs vtilis, & expediens eſſet ipſius quàm Spiritus ſancti præſentia, & quaſi ipſe & Spiritus ſanctus, tanquàm inter ſe contrarij, præſentes ſimul eſſe non poſſent, & quaſi Pater è cœlo, vel ipſemet Chriſtus ex terra eundem Spiritum ſanctum coniunctim, vel diuiſim non poſſent mittere? Quæ omnia peculiares, eaſdémque maximas habent difficultates. Cæterùm, ad eas omnes reſpondere conabimur ex ſententia Euthymij, omiſſis aliis non contemnendis plurimorum Doctorum in hunc locum interpretationibus. Dicit itaque grauiſſimus hic author, Chriſtum non ſignificaſſe Spiritum ſanctum abſolutè venire non poſſe, niſi prius abiiſſet, enim verò poterat; ſed poſito Diuinæ prouidentiæ decreto, non poſſe: ſic enim ſtatutum à Deo fuiſſe, vt omnes tres perſonæ Trinitatis procurandæ ſaluti hominum ſuam operā darent; Pater quidem mittendo & dando Filio, trahendíſque hominibus ad eum; Filius autem docendis, redimendis, liberandíſque hominibus: Spiritus ſanctus denique locupletandis, & perficiendis illis variis & diuinis donis, ſuas cuique vices fuiſſe, ſuum cuique tempus, ſuam quemque egiſſe perſonam, & ita niſi idem Chriſtus abiret, Spiritum ſanctum venire non poſſe. Iuxta quam ſententiam nos nonnulla ad mores, & veram huius loci intelligentiam conducentia exponemus. *Euthymius.*

In primis illud nobis circa hæc conſiderandum occurrit, nimirum voluiſſe piiſſimum Deum vt omnes tres Diuinæ perſonæ noſtræ ſaluti operam darent (cùm ad dandam ſalutem plebi eius, vnaquæque ipſarum ſufficientiſſima eſſet) vt nimirum vni-

cuique earundem, propter peculiares operandi rationes, arctiſſimis amoris vinculis vnuſquiſque noſtrûm aſtringeretur. *Nam*, vt dicitur, *ſic Deus Pater dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat.* Certum eſt, vnumquemque Patrem tam intimo affectu quemcunque filij ſui laborē, & maiori cum ratione mortem ſentire, vt ipſummet filium in dolore, à tali labore, ſeu morte proueniēte videatur excedere. Eam enim ob cauſam cùm Patriarcha Abraham filium ſuum Iſaac (idipſum volentem, & conſentientem) cùm vigintiquinque annorum eſſet, vt dicit Ioſephus, vel triginta annorum, vt alii ſentiunt, ſacrificare & immolare, iuxta præceptum Dei, vellet, non dixit ipſi Iſaac Deus, vt refertur in Geneſi, *Quia feciſti hanc rem, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, &c.* cùm tamen hoc ipſum eiuſdem patri Abrahamo diceret, ſignificans patrem plus acerbitatis in morte filij, quam ipſummet filium eſſe paſſurum. Quòd ſi pater Abraham, in quo reſpectu filij vnica tantum paternitatis ratio erat, tantùm ipſius filij mortem, quam eidem illaturus erat, ſentiebat; quid dicendum eſt de Patre æterno, ex quo omnis paternitas nominatur, vt dicit Apoſtolus, & in quo omnis paternitatis ratio inuenitur, reſpectu ſui vnigeniti Ieſu Chriſti, de quo ipſe dixit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite*, vt conſtat ex Euangeliſta, quando ipſum interficiendum dedit, imò quando ipſummet percuſſit, & interfecit, iuxta illud Prophetæ, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*; quo dolore cordis intrinſecus, & quâ acerbitate (quâ ratione hæc in eo reperiri poſſunt) tunc temporis afficeretur? Maximâ profectò;

Ioan. 3. 16.
Simile.
Ioſeph. li. 1. antiq. c. 35.
Cap. 22. 18.
Epheſ. 3. 15.
Matth. 17. 5.
Iſa. 53. 8.

fectò; ſiquidem maxima inter hunc patrem & illum, inter hunc filium & illum differentia inuenitur. Et quanta etiam differentia fuerit inter huius & illius dolorem, ex eodem Geneſeos loco planè colligitur. Enarratur enim ibi, quòd cùm Abraham eſſet filium Iſaac iam, iuxta Dei præceptum, immolaturus, interfecturúſque, ab ipſa eiuſdem immolatione & interfectione Angeli monitu cohibitus eſt, vnde ibi tunc dixit Abraham in monte: *Dominus videbit*, & in prouerbium verſum eſſe dicit Scriptura, *In monte Dominus videbit*, quaſi diceret Abraham, Mecum quodammodò iocatus eſt Dominus, & per trium dierum ſpatium in acerbiſſimas animi anguſtias me induxit; Sed in hoc ipſo loco idem Dominus videbit in domo ſua, & in filio ſuo reuerà & à ſe factum, quod mecum iocosè ipſe fecit. Nam in hoc monte (qui mons Moria erat, vt grauiſſimi authores ſentiunt) filium ſuum videbit in ligno crucis poſitum extremum ſpiritum exhalare. Quod idem ferè ſignificat ſeptuaginta Interpretum tranſlatio, quæ habet, *In monte Dominus videbitur*; quaſi dicat, Hîc vidit Deus obedientiam & dilectionem meam, ſed hîc etiam videbitur in eius Filio maior obedientia, & in ipſomet Patre maior dilectio; ſiquidem ſic dilexit mundum vt filium ſuum pro eiuſdem ſalute immolandum daret; ſeu, vt filium ſuum pro eiuſdem ſalute percutiendo immolaret.

De filio autem dicit Paulus, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea*; quaſi dicat, Sic Filius Dei dilexit nos vt ſemetipſum pro nobis tradiderit. Quod eiſdem ferè verbis ſignificat D. Ioãnes dicens: *Dilexit nos, & lauit nos ſanguine ſuo*; Vbi notandum eſt, Chriſtum, qui de ſe dixit, *Sicut* *Epheſ. 5. 25.* *Apoc. 1. 6.*

Pſal. 21. 15. *aqua effuſus ſum*, tantam copiam, & vim ſanguinis effudiſſe, vt non ſolùm guttis ipſius nos aſperſerit (ſicut ad emundationem leproſi ex ſanguine anima-
Leuit. 14. lium fieri ſat erat) ſed magnâ eiuſdem ſanguinis copiâ & effuſione nos lauerit. Fuit autem tam copioſa ipſiuſmet ſanguinis effuſio, non quia vna eiuſdem gutta ad noſtræ redemptionis effectum non ſufficeret, ſed quia non ſufficiebat ad oſtendendũ effectum amoris, quo eandem redemptionem noſtram operabatur. Sufficiebat itaque vnaquæquæ illius ſanguinis gutta redemptionis effectui, ſed non affectui: vt ergo ſufficienter oſtenderet quanto amore nos dilexerit, tantam copiam ſanguinis pro nobis effudit, vt ipſo nos lauerit.

2. Cor. 13. 13. Eſt denique bonorum communicatio Spiritus ſancti propria, ſicut innuit Paulus: ac proinde ab eo infinita bona & dona hominib⁹ quotidiè, poſtquàm præſertim Chriſtus Dominus in cœlum aſcendit, prouenire abundanter ſolent. Id quod etiam ſigni-
Rom. 5. 5. ficat idem Apoſtolus, cùm dicit: *Gratia Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Quem etiam in relata epiſtola ad Corin-
2. Cor. 9. 15. thios vocat donum inenarrabile, dicens: *Gratias ago Deo ſuper inenarrabili dono eius*, quod nimirum eſt ipſe Spiritus Domini, qui ſe per gratiam & charitatem in cordibus noſtris diffundit. Dando itaque ſeipſum, qui amor eſt, dat nobis charitatem ſeu amorem, quo duntaxat rationalis creatura poteſt ſuo creatori correſpondere, & debitum, licèt non æquiualenter, ſaltem ſimilitudine quâdam ſoluere,
Thom. 2. p. q. 37. art. 1. vt docet D. Thomas, quod quidem beneficium eſt ſingulare & maximum. Itaque non ſolùm Spiritus ſanctus nobis ſua infinita dona communicat, & innumera

numera bona elargitur, quibus ad ipſius amorem prouocemur, ſed ipſummet amorem nobis dat, quo ipſum, & cæteras duas beatiſſimæ Trinitatis perſonas diligamus. Nec hæc quotidiana diuini Spiritus communicatio, quæ inuiſibiliter fit, inutilis eſt, quia viſibiliter, ſicut in die Pentecoſtes, per ſigna exteriora nunc non apparet. Nam eadem poma, & iidẽ vuarum racemi, quæ in autumno foliis & pampinis ornata colliguntur, in hyeme ſine ipſis pampinis & foliis vendi ſolent, nec tamen propterea minus vtilitatis, ſaporis, & ſuauitatis habent: ad quem modũ primo naſcentis Eccleſiæ tempore, quaſi in vere vel autumno, diuinus ille Spiritus ſancti fructus cũ frondibus, hoc eſt, cum ſignis viſibilibus, ex cœlo accipiebatur, & quodammodò carpebatur, quod nunc non ita viſibiliter, ſed inuiſibiliter dumtaxat fit: nam fructus Spiritus, qui, ſicut dicitur à D. Paulo, ***Eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas***, & alia eiuſmodi dona cœleſtia, non cum ſignis viſibilibus, ſed inuiſibiliter è cœlo accipitur, cùm eiuſdem Spiritus gratia in cordibus noſtris diffunditur, nec propterea minùs vtilis & ſuauis nobis exiſtit. Ecce quomodo omnes tres beatiſſimæ Trinitatis perſonæ noſtræ ſaluti ſuo quæque tempore, ſuis quæquæ vicibus operam dederunt, iuxta Diuinæ prouidentiæ ordinem, & decretum, vt vnaquæque earum nos ſuis operationibus in ſuum amorem adduceret. Et ecce quomodo diſcipulis expediebat, vt Chriſtus Dominus abiiſſet, & de theatro huius mundi quodammodò diſceſſiſſet, vt Spiritus ſanctus ad eoſdem in ipſum veniret.

Simile.

Gal. 5. 22.

Cæterùm huius eiuſdem ordinis & ſtatuti ratio

& con

& conuenientia à nobis eſt explicanda, vt ſi quæ in ipſa reperta ſit difficultas, ea de medio tollatur. Theophylactus Leontius, & Theodorus Mop. exiſtimant, non potuiſſe venire Spiritum ſanctum, niſi Chriſtus abiret, quia ſepta illi & impedita per peccatum erat via, quam oportebat per Chriſtum mortem obeuntem priùs explanari, nec Spiritum ſanctũ in homines peccato adhuc obſtrictos venire potuiſſe, nec etiã potuiſſe peccatum niſi per obitum Chriſti & eius infinitum meritum ita deleri & remoueri, vt ipſe Spiritus ſanctus eo ſuperabundanti, & viſibili modo, quo poſtquàm abiit, venit, venturus eſſet. Licèt enim ab initio mundi in eo per Chriſtum data fuerit gratia, non tamen ita copioſè & abundanter data fuit, quo vſque ipſe Chriſtus paſſus eſt, & per paſſionem peccatum deleuit, dæmonem ſuperauit, & hominibus veniam, & diuini Spiritus infuſionem promeruit. Et hoc eſt quod ſignificatur
Ioan. 7. 39. quando dicitur: *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*, per mortem ſcilicet,
Iſa. 46. 13. iuxta id quod Propheta prædixerat: *Dabo in Sion ſalutem, & in Hieruſalem gloriam meam*, quod de
Simile. ipſius morte intelligendum eſt. Quemadmodum enim quando dux aliquis ad difficile & periculoſum aliquod bellum gerendum procedit, nonnulla illi & ſuis dona dari à Rege ſolent, ſed præcipua ipſorum donorum copia reſeruatur danda in illud tempus, quo deuictis hoſtibus & reportatâ iam victoriâ cum triumpho ad eundem Regem, à quo miſſus fuit, reuertitur: Sic etiam ante obitum Chriſti, quẽ
Iſa. 55. 4 Pater dedit in ducem gentium, vt per Prophetam dixit, dabatur quidem Spiritus nonnullis, ſed paucis admodùm, & inuiſibiliter, ad paucóſque effectus,
verum

veruntamen poſt ipſius obitum, in quo dæmonem profligauit, mortem deuicit,& deuictâ ipsâ triumphauit, datus fuit Spiritus omni hominum generi viſibiliter, & ad plures effectus producendos, & ad plura eadémque maiora miracula facienda. Id quod Deus per Prophetam promiſerat dicens: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ.* Vbi verbum, *effundo*, ſuperabundantiam quandam deſignat. Vt ergo cum tali ſuperabundantia Spiritus ſanctus in mundum veniret, oportebat vt mundus ipſe, deleto peccato per Chriſti mortem, priùs cum Deo reconciliaretur, & per eiuſdem meritum quodammodò explanaretur via, per quam ipſe Diuinus Spiritus venturus eſſet; Quamobrem ipſe Chriſtus dixit; *Si ego non abiero*, per mortem ſcilicet, *Paracletus non veniet ad vos*, cum ea nempe gratiæ plenitudine, & ſui ipſius effuſione, cum qua venturus eſt. *Ioel.2.28*

Auguſtinus,Beda,Gregorius,& Bernardus in allegoriam inclinantes, ita huius rei rationem reddunt, vt dicant,idem ſignificare,*ſi non abiero Paracletus non veniet*,ac, Si non abſtulero à vobis carnem, non habebitis Spiritū.Quæ quidē explicatio deſumi poteſt ex Iſaia, vbi habetur, *Quem docebit Dominus ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Tanta erat obtuſitas, ruditas, & pueritia diſcipulorum, vt quidam ex illis iter agentes in Emaus Caſtellum in die Reſurrectionis Dominicæ,quam adhuc ignorauerant,dixerint, ſicut refertur ab Euangeliſta, *Nos autem ſperabamus,quòd eſſet redempturus Iſraël*; quia nempe, quādiu ob oculos eum habebant, terrena intelligebant, & ea duntaxat amabant, Chriſto autem è medio ſublato; re- *Aug & Beda in hunc locum. Greg.lib. 8.Moral. cap.17. Bern. ſer mon.6.de Aſcenſi. Cap. 28. 9. Luc 24. 21.*

gnum

gnum eius iam non terrenum,ſed ſpirituale, & cæli-
2. Cor. 5. 16. cum futurũ eſſe cognouerũt,cœperũtq; illud Pauli,
cõcinnere, *Quòd ſi nouimus Chriſtũ ſecundùm carnẽ, iam non nouimus*, per hominem Deum cognouimus, & fides noſtra numeris omnibus abſoluta & perfecta facta eſt. Ecce igitur quomodo expediebat diſcipulis, qui ſolo lacte humanitatis Chriſti erant contenti, vt formâ ſerui ablatâ, ad Diuinitatis intelligentiam & conſiderationem conuolarent. Id quod

August. tract. 94. in Ioan. Auguſtinus ſic explicat: *Si alimenta tenera, quibus hactenus vos alui, non ſubtraxero, ſolidum cibum non eſurietis. Hoc eſt, Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Et pręclarè quidẽ hoc explicauit Doctor ſanctus.

Simile. Nam quemadmodum mater filium nutriens ſi lac infanti intelligit non ſufficere, vt qualis ipſa deſiderat euadat, ſolidiorem, & fortiorem cibum, nempe carnem, ei dare procurat, quia verò quamuis talis cibus non ſit lacti contrarius ab eodem ſumi non poteſt, niſi priùs ab vberibus auulſus ipſius lactis dulcedinem obliuiſcatur, ipſummet infantem ablactare contendit: ſic etiam Filius Dei, qui diſcipulos pluſquàm materno amore diligebat, quoniam ſuam ſacratiſſimam humanitatem minimè per ſe ſolam ipſos beatos poſſe efficere conſiderabat, eoſdem à lacte & ſuauitate conuerſationis ipſius ablactare conabatur, idque faciebat, non quòd ſacroſancta illa

Coloss. 2. 9. humanitas, in qua habitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt habetur, & Spiritus Sanctus inter ſeſe aliquando contrarietatem, repugnantiámve haberent (ſuper Chriſtum enim baptizatum Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie viſus eſt, ſigno mirabili hoc ſubindicans, nullam ſcilicet fore controuerſiam, nullúmque diſſidium inter Chriſtum, &

Spiri

Spiritum Sanctum, imò potiùs magnam neceſſitudinem, magnumque fœdus) ſed id faciebat ipſe Chriſtus, quia cùm ſpecioſus eſſet pre filiis hominũ, & diffuſa eſſet gratia in labiis eius, ſuauiſſimâ ipſius conuerſatione tam abſorti erant diſcipuli, vt in eiuſdem humanitate omnem ferè ſuum amorem collocarent. Quod ſi ab eiſdem ipſemet Dominus diſcederet, illius abſentia futura eſſet cauſa obliuionis dulcedinis conuerſationis illius, & ex eâdem obliuione ſubſequendum erat, quòd iidem diſcipuli ad potiorem & ſolidiorem cibum, nimirum Spiritum Sanctum, recipiendum diligentiùs ſe diſponerent, & meliùs ipſum cognoſcerẽt, & vehemẽtiùs amarent.

Iuxta quod venerabilis Beda in homilia in hoc Euangelium cum diſcipulis Chriſti loquens ait: ***Expedit vt forma ſerui veſtris abſtrahatur aſpectibus, quatenus amor diuinitatis, aptiùs veſtris infigatur mentibus.*** Oportebat enim ad hoc vt diuinitatem & cognoſcerent meliùs, & diligerent vehementiùs, quòd humanitas ab eorum oculis abſtraheretur. Nam ſicut infantulus, qui aliter lacte nutricis ad cuius vbera portatur; plus ipſam, quàm propriam matrem diligit, quouſque ipſa nutrix abſens fiat, & idem infantulus coram ſe eam non aſpiciat; Tunc enim ipſammet matrem optimè iam cognoſcit, & vnicè diligit: Sic etiam diſcipuli (quorum reſpectu dicere poterat Chriſtus illud quod reſpectu Ephraim aliquando dictum erat per Prophetam, nempe: *Ego quaſi nutritius Ephraim*; & de quibus illud etiam prædictum fuerat: ***Ad vbera mea portabimini, & ſuper genua mea blandientur vobis***) nutriti, & educati vberibus dulciſſimis humanitatis Chriſti, in ea totum ferè ſuum amorem ponebant, quia ipſam duntaxat benè cognoſce

ſimile. *Oſe.11.3.* *Iſa.66.12.*

gnoſce

gnoſcebant,& diuinitatem vix attingebant,& minimè penetrabant; Ideò ergo Dominum abeſſe oportuit, vt diſcipuli eius diuinitatem eiuſdem potiùs, quàm humanitatem diligerent.

Bern. Sermon.6 de aſcenſ. Dom. Bernardus denique hoc ferè idem ſentiens, ſic habet: *Mens*, inquit, *occupata carnalibus deſideriis gratiam Spiritus Sancti non ſperet, audiat qui ſterquilinio carnis ſuæ adhaſerit, & qui in carne ſua ſeminat, quia Apoſtoli non potuerunt accipere illam cum ipſa verbi carne.* Errant ergo qui balſamum illud & chriſma ſpirituum,& dulcedinem ſalutis huic cineri, huic veneno, & morti miſcere putant. Eijce ergo ancillam & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filiis liberæ. Qui ergo planè in Deo delectari

Pſal.76. 3.4. cupit, dicat cum Pſalmiſta, *Renuit conſolari anima mea*, ſcilicet in creatura, & tunc efficietur quod ſequitur, *Memor fui Dei, & delectatus ſum. Nõ poteſtis*, *1. Cor.10. 21.* ait Paulus, *menſæ Domini eſſe participes, & menſæ dæmoniorum.* Nam auis volans & natans immunda iudicatur,& manna non datur niſi cùm farina Ægypti

Iſa. 28. 20. deficit; coanguſtatum eſt ſtratum, habet Propheta, ita vt alter decidat, & pallium breue eſt, vtrumque operire non poteſt, iuxta quod in corde noſtro non eſt aptum, & fallaci mundo, & Spiritui Sancto domicilium. Quapropter omnem humanam conſolationem fugere debent, qui cœleſti adimpleri deſiderant: quantum enim terrenæ à ſe eiecerint, tantum ſupernæ obtinebunt,& tantum dulcedinis Spi-

Simile. ritus ſancti in ſe experientur. Sicut namque dari vacuum in rerum natura ipſius author non ſinit: ſic dari ipſum in corde noſtro non patitur Spiritus ſanctus, quin idem met cor humanis conſolationibus carens diuinis repleat; Iuxta illud Dauidis: *Secundùm*

dum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Vnde *Pſal. 93. 19.*
ſicut ille cui dictum fuiſſet, quòd quantum terræ *ſimile.*
ex domo ſua extraheret, tantum auri in eam introducendum, & dandum ipſi erat, nihil quidem ipſius terræ in eadem domo relinqueret, imò omnem foras eiiceret: ita etiam qui certò ſciuerit ſibi tantum de donis Spiritus ſancti dandum eſſe, quantum de humanis & terrenis conſolationibus reliquerit, eas omnes proculdubiò cõtemnet & à ſe longè reiiciet. Nam ea eſt piiſſimi Dei erga hominis Clementia, vt nunquàm ipſis minora auferat, quin maiora conferat: ſubtrahit enim temporalia, vt illorum capacitas augeatur, vt ſpiritualia dona recipiat. Vnde ex eo, quòd corporalem præſentiam diſcipulis ademit, vt ipſis affatim Spiritum ſanctum mitteret, perdiſcere iidem homines poſſunt, diuitias, honores, & amicorum neceſſitudinem propter Deum nihili æſtimare: ſi namque futilibus, & caducis his rebus corde adhæſerint, vberiùs Spiritum ſanctum accipere minimè poterunt.

Mirabile quidem eſt quòd Apoſtoli amici Dei repleti nõ ſunt Spiritu ſancto, niſi carnis Ieſu Chriſti aſpectu ſublato. Quomodo ergo carnales & inſipientes homines, qui meretrices turpiter diligunt, dona Spiritus ſancti in ſe recipient? Aufert *ſimile.*
profectò nonnunquàm Deus ab amicis ſuis, quæ etiam abſque vllo peccato amant, nimirum filios, opes, amicos, & huiuſmodi alia, vt illis ablatis, diſcãt in ſolo Deo fidere, & in eo duntaxat ſperare: nam forſan his, & ſimilibus rebus ad malum abuterentur. Cuius rei exemplum eximium præbuit id quod ſancto Iob euenit: nam cùm abundè diuitias ſuas

in ſubleuandis pauperibus erogaret: nihilominùs tamen Deus oues, & boues, & camelos illius, imò & filios eiuſdem abſtulit, vt ſublatis omnibus his, perfectior ipſe euaderet, & eiuſdem virtus clarior vbique terrarum appareret. Ad quem etiam modum præſentiam ſuam Chriſtus Apoſtolis auferre voluit, vt ea chariſmatum dona abundantiùs illis impenderet, quibus perfecti poſteà euaſuri eſſent. *Simile.* Sicut enim vaſa lutea quantumcunque manibus artificis ſint elaborata, & quantocunque cum artificio ſint ab illo effecta, nunquàm ad perfectionem perueniunt, ſi à manibus eiuſdem artificis ſemota & ſeparata ignis eiſdem non apponitur, cuius operatione ad perfectionem redigantur: ita etiam Apoſtoli quamuis Chriſti Domini artificis maximi ſapientiâ & doctrinâ inſtructi, educati, & quaſi elaborati eſſent, non tamen erant perfecti euaſuri quouſque in illos ab ipſo Chriſto Domino per abſentiam ipſius ſeparatos, Spiritus ſancti ignis ſuperueniret, & ſi quid imperfectionis haberent, omninò in eiſdẽ conſumeret. His & aliis ſupradictis, vt compendio loquar, doceri poſſumus, quòd in vniuerſum ſubtractio temporalium, ſymbolum eſt & ſignum magnum futurorum bonorum ſpiritualium, & quòd non ægrè debemus ferre temporalium ipſorum iacturam, ſed cum eodem beato Iob, quando illam experimur, clamare: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Deo placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Hoc enim facientes ab eodem Deo in hac vita conſequemur abſque dubio gratiam Spiritus ſancti, quâ mediante in alia aſſequemur gloriam, quam, &c.

HOMI

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. 16. 23.

Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

VT vnuſquiſque fiducialiter petat ab æterno Patre, quod ad ſalutem animæ conducit, hoc efficax argumentum facit Chriſtus Dominus, & eſt eius ratio verbis eiuſdem Chriſti, quæ modò propoſita ſunt, maximè conformis: *Si vos*, inquit, *cùm ſitis mali, noſtis bona dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe*? Magnâ ergo cum fiducia petamus ab eodem Patre æterno & optimo, nomine, ſeu, quod idem eſt, per merita Filij ipſius, & per interceſſionem matris eiuſdem Filij, Spiritum bonum gratiæ, de quo ait Dauid, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum*, vt nos ipſos in præſenti ſermone ſuo ſplendore ducat, & ad hoc ipſum eidem matri pro nobiſmet ipſis interceſſuræ dicamus, *Aue Maria*, &c.

Matth. 7 11.
Luc 11.13.
Pſa. 142. 10.

Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrẽ, &c. Diſceſſurus Chriſtus Dominus à diſcipulis, illos conſolatur, dicens: *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, quaſi dicat, Hoc in mea abſentia leuamen inter quaſcunque ærumnas & calamitates vobis non deerit, quòd ni-

mirum ſiquid ab æterno Patre nomine meo petieritis, illud ab eodem proculdubiò conſequemini. Quem diſceſſus modum erga diſcipulos habitum myſteriosè innuit Spiritus ſanctus, quando Sponſus iam diſceſſurus ab Sponſa eidem dixit, quaſi in
Cant.8.13 vltimis Cantici Canticorum verbis: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.* Quo in loco per verba, *quæ habitas in hortis*, Eccleſia ſignificatur, quæ circundata varietate ordinum quaſi florum conſiſtit in diuerſis piorum hominum conuentibus, collegiis, & cœtibus, ex quibus omnibus vna vniuerſalis congregatio reſultat, quæ Eccleſia appellatur. Per amicos autem auſcultantes Angeli deſignantur, qui Eccleſiam ipſam maximo amore proſequuntur. Dicit ergo Sponſus in vltimo ſuo diſceſſu Sponſæ (vt id tenaciùs eiuſdem memoriæ adhæreat) quod faciat ipſum audire vocẽ ſuam, petendo cum lacrymis ab eodem, idem quod ipſimet Sponſæ ad ſalutem conduxerit. Quod idem
Cãt.2.14. alibi etiam inſinuauerat dicens: *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora*, quando nimirum lacrymis madefacta exiſtit. Et
Ibid.v.12 paulò antè dixerat: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*; in cœlo nempe terra deſiderabili, vbi talis petitionis lacrymoſæ vox benè audita eſt. Tum à Deo, qui iuxta eam dat petentibus affluenter (iuxta
Luc 15.7. illud, *Gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, ſeu, quod idem eſt, veniam peccatorum poſtulante) tum etiam ab Angelis qui gemitus & lacrymas eiuſdem peccatoris coram ipſo Deo diligenter præſentant & offerunt. Ad modum igitur quo diſceſſurus Sponſus ab Sponſa ipſi dicit: *Fac me audire vocem tuam*, hoc eſt, dic mihi omnia
quæ

quæ tibi neceſſaria fuerint,ſeu quæcunque volueris, & ego tibi abundanter elargiar, dixit Chriſtus diſcipulorum congregationi iam diſceſſurus ab eis, *Amen, amen dico vobis*, ſiquid in mea abſentia petieritis nomine meo ab æterno Patre, illud abſque dubio vobis dabit.

Amen, amen dico vobis. Tam magna eſt promiſſio vnicuique homini in his verbis à Chriſto Domino facta, & tam parua cuiuſque ad ipſam accipiendam capacitas, & meritum tam exiguum, vt eandem iterum atque iterum inculcet, & iterato, ſeu duplici iuramento confirmet,vt omnem dubitationem de cordibus noſtris radicitùs euellat, & certè tanta eſt noſtra infidelitas, támque diffidentes ſumus, vt ipſa ſumma Veritas neceſſarium arbitretur, quod nobis promittit,id iuramento iterum atq; iterum confirmare,vt eidem fiduciá adhibeamus.Quis igitur tam diffidens erit, vt huic promiſſioni à Deo factæ, & iuramento ſtabilitæ non credat? *Per memetipſum iuraui*, dixit Dominus Abrahamo, *quia feciſti rem hanc, &c. benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Et quia hoc Dominus promiſerat illi, & iuramento confirmauerat, licèt ei præceptum eſſet,vt filium ſuum Iſaac in ſacrificium offerret & occideret, & id ipſum ille facere & exequi ſtatueret; non tamen repromiſſionis fiduciam amiſit, ſed in ſpem contra ſpem credidit; &, vt Scotus aduertit, ipſum filium poſtquàm immolatus & igni traditus eſſet, fore diuino auxilio reſurrecturum certò ſperauit. Quamobrem de ipſo egregiè Paulus ait: *Fide obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo ſuſceperat repromiſsiones, ad quem dictum eſt, Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen; arbi-*

Gen. 22. 16.

Scot. in 3. ſentent.

Hebr. 11. 17. 18. 19.

trans, quia, & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. Ad quem etiam modum Dauid, cui quoque iurauit Do-
Pſal.131. 11. minus veritatem, ita vt non fruſtraretur eum, ponẽs de fructu ventris eius ſuper ſedem ſuam, vt etiam ipſemet, tantum in hac & aliis promiſſionibus ab ipſo Domino eidem factis fiduciam habebat, vt di-
Pſal.118. 74. & 147. ceret ei: *Et in verba tua ſuperſperaui*; quaſi diceret, Speraui, & pluſquàm ſperaui, licèt me tanto beneficio propter peccatum meum valdè indignum iudicarem. Imò & alibi de deſcendentibus ex ſtirpe
Pſal. 88. 31.32.34 35.36.37 eiuſdem Dauid dicit Deus: *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, ſi iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint*, &c. *Miſericordiam meam non diſpergam ab eo, nec nocebo ei in veritate mea, neque profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita; ſemel iuraui in Sancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit.* In quibus verbis & plurimis aliis eiuſdẽ Pſalmi oſtenditur promiſſio facta Dauidi circa perpetuitatem filiorum eius tantam vim habuiſſe, vt licèt ipſi filij diuina Dei mandata tranſgredientes, diuinámque legem frangentes, ipſammet perpetuitatem amittere mererentur, & æternâ illâ propagatione efficerentur indigni, illam tamen nõ eſſent amiſſuri, quia eiuſdem promiſſio, præterquam quòd de labiis Dei proceſſit, infallibili eiuſdem Dei iuramento fuit ſtabilita. Quis ergo tam demens erit, vt ſe id à Deo conſequuturum diffidat, quod ipſe iterum, atque iterum duplici iuramento adhibito cuicunque eſt policitus, dicens: *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?* Cùm cœlum & terra tranſire poſſint priuſquàm verba Dei
ſine

ſine eo quòd adimpleantur ſint tranſitura.

At dicet aliquis, Nónne Deus per Prophetam dicit: *Cùm multiplicaueritis orationem veſtram, non exaudiam: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine?* Nónne etiam dicitur à Salomone, *Longè eſt Dominus ab impiis, & orationes iuſtorum exaudiet?* Nónne ait Hieremias: *Nos peccauimus, idcirco tu inexorabilis es?* Nónne ipſe Iſaias habet: *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret?* Quomodo ergo peccatores Deus exaudiet, & cur ipſi quantumcunque ab eo petant conſequendi fiduciã habebunt? Cæterùm, ad hoc reſponderi debet, verum quidem eſſe, quòd optima ad petendum diſpoſitio eſt, vnumquemque à peccato, priùs quàm petat, exire, & ab eo mundari. Ait enim Iſaias: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarũ, quieſcite agere perversè, diſcite benefacere: quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo: iudicate pupillo: defendite viduam; & venite arguite me:* in cuius ſymbolum dicit Tertullianus, nos in oratione manus extendere, vt nimirum ipſas oſtendentes ſignificemus innocentiam, & munditiam operum, quam debemus habere, vt benignè exaudiamur. Iuxta quod ait etiam Dauid, *Subditus eſto Domino, & ora eum;* & rurſus ibidem, *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Verùm licèt hæc ſit optima petendi diſpoſitio, & conſequendi ratio, non tamen proptereà peccatores omnes fruſtra à Deo petent, & ab eius auditione excludentur. Væ enim nobis, ſi peccatores quoſcumque Deus non exaudiat. Ideò enim cum Eccleſia dicimus: *Peccatores, te rogamus audi nos:* quia reuerà peccatores Deus audit. Et ideò publica-

Iſa. 1.15. *Prou. 15. 29.* *Thren. 3. 42.* *Cap. 59. 2* *Cap. 1. 16. 17. 18.* *Tertull. Apolog. cap. 30.* *Pſal. 36. 47.*

Luc. 18. 13.14. nus Deo dixit: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, & *deſcendit iuſtificatus ab illo*, vt ibidem dicitur: quia etiam cùm nondum iuſtificatus eſſet, fuerunt hominis eiuſdem preces exauditæ. Quos igitur peccatores Deus non exaudiet? illos nempe quorum manus

Hebr. 6.6 plenæ ſunt ſanguine, quique ſunt, vt ait Paulus, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, quando actualiter peccant, ac ideò manus quodammodò

Simile. ſanguine ipſius infectas habent. Quapropter ſicut ille, qui ad patrem alicuius filij beneficium aliquod petiturus accederet, illud minimè cõſequeretur, imò à conſpectu eiuſdem ſtatim procul pelleretur, ſi manus ſanguine ipſius filij tinctas haberet: ſic qui manus ſanguine peccati tinctas & infectas habens, ſeu, quod idem eſt, qui in peccato perſeuerans, ſeu perſeuerare procurans à Patre æterno, cuius Filius, vt omnia peccata deleret, crucifixus eſt, aliquid impetrare conatur, illud minimè conſequetur, neque eius

Prou. 28. 9. preces ab eo exaudientur. *Qui enim declinat aurem ne audiat legem*, vt ait Salomon, *oratio eius erit exe-*

Simile ex Iſidoro. *crabilis:* Nam ſicut, vt ait Iſidorus, nullum proficit in vulnere medicamentum, ſi adhuc ſit in eo ferrum incluſum: ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc peccatum manet in mente, ſeu voluntate; & qui dicit illud quod habetur in oratione Dominica,

Matth. 6.12. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, & tamen nullum debitum, nullam offenſam, nullam iniuriam vult proximo ſuo dimittere, quomodò peccatorum ſuorum veniam

Pſal. 65. 18. petens exaudietur? Dicit enim Dauid: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Ex quibus planè concluditur, quòd licèt à Deo non exaudiantur petitiones peccatoris in peccato

cato volentis perſeuerare, cuius manus plenæ ſunt ſanguine; exaudientur tamen preces humiles peccatoris à peccato deſiderantis, & procurantis exire.

Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Quòd ſi peccator animo cadat, quia peccatorem ſe cognoſcit, ac proinde à Deo veniam, ſeu beneficium aliquod petere non audet, hac conſideratione ſurgere, & animum leuare poteſt, quia nimirum hæc non ab alio, quàm à Patre (quod nomen eſt ſuauiſſimum) petiturus eſt. Eadem enim conſideratione motus filius Prodigus, per quem peccator deſignatur, poſtquam in ſe reuerſus eſt, dixit, vt refertur ab Euangeliſta, *Surgam, & ibò ad patrem meũ,* Luc. 15.
& non dixit: Ibo ad Dominum, Regem, Iudicémve; 18.
quæ omnia maieſtatem ſonant, & timorem præ ſe ferunt. Nam quomodo miſeretur pater filiorum, vt dicit Pſalmiſta à: *Miſertus eſt Dominus timentibus* Pſal. 102.
ſe, ipſe enim cognouit figmentum noſtrum. Et ad 14.
hoc, vt cum tali conſideratione Romani ad Deum audacter accederent, ad ipſos ſcribens Paulus ait: *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore:* Rom. 8.
ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo 15.
clamamus Abba, Pater: hoc eſt, quem pleno ore vocamus patrem, ac proinde petituri tanquam filij ad eum magna cum fiducia accedere poſſumus. Imò ipſe Deus ſi eum conſideramus, & vocat patrem, & ſic ad ipſum accedimus, licèt peccatores ſimus, propter hoc ipſum nos benignè accipere, & clemẽter exaudire ſolet. Et hæc fuit cauſa ob quam populo Iſraëlitico, qui ipſum grauiter offenderat, ſignificauit ſe ab eo ſatisfactũ iri, ſi ſaltem ipſummet patrẽ vocaret: ait enim Propheta, *Ergo ſaltem à modò* Hier. 3. 4
voca me pater meus: quam etiam ob rem cùm diſci-

pulos doceret Chriſtus quomodo à Deo petere deberent, eiſdem dixit, Sic orabitis: *Pater noſter, qui es in cœlis*, &c. Hoc itaque nomen, ſcilicet, Pater, mouet homines, vt ad petendum à Deo bono ſint animo, & Deum ipſum etiam mouent, quando ſub eodem nomine ipſummet implorauerint, eorum clementer miſereatur.

Math. 6.

Sed ponderandum eſt hoc loco, quare dixerit Chriſtus Dominus diſcipulis: *Si quid petieritis Patrem*, non adiungens meum, nec veſtrum: poſſet enim vnum, vel alterum horum adiectiuorum ſubſtantiuo illi, nimirum, *Patrem* adiungere, dicens: *Si quid petieritis Patrem veſtrum*, vel, *ſi quid petieritis Patrem meum*. Et egregiè concludendum erit, ideò vnum horum pronominum non fuiſſe cum ſubſtantiuo, *Patrem*, expreſsè coniunctum, vt vtrumque ita ſubintelligeretur, ac ſi diceretur: Si quid petieritis Patrem meum, & Patrem veſtrum, illud dabit vobis. Ait enim alibi Chriſtus, *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Circa quod notandũ eſt, quòd antequàm Deus homo factus eſſet, habebat verbum diuinum, nempe Filius in eo Patrem, à quo per æternam generationem procedebat, ſed non habebat in eo Deum, cui confiteretur; homo autem non habebat in Deo Patrem, qui ſicut modò eius miſereretur, cùm tamen in illo haberet Deum, cui veneratione, & ſeruitutem adhiberet. Quæ omnia colligi poſſunt ex Pſalmo, vbi in perſona hominis dicitur Deo: *Deus meus es tu, & exaltabo te*; ex alio item vbi dicitur: *Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu*; quaſi tum homo Deum vocare non poſſet Patrem, quod tamen facturus erat poſtquàm Deus homo factus eſſet.

Ioan. 20. 17.

Pſal. 117. 28.

Pſal. 88. 27.

ſer. Deus itaque, qui antequàm homo factus eſſet, reſpectu noſtri, *Deus vltionum Dominus* vocabatur, Pſal.93.
& tanquàm talis liberè agebat, vt dicit Dauid, poſt- 1.
quàm homo factus eſt, *Pater miſericordiarum, & 2. Cor. 1.
Deus totius conſolationis appellatus eſt*, & præterea 3.
ille, qui duntaxat in Deo habebat Patrem, à quo per æternam generationem procedebat, & non habebat Deum, quem veneraretur iam homo factus ipſum habuit; ac propterea in cruce pendens, & ipſummet alloquens dixit: *Deus, Deus meus, vt quid dere-* Marc.15
liquiſti me? &, *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem* 34.
veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum, vt proximè Ioan.20.
diximus. Cùm ergo is, qui eſt Deus noſter, & om- 17.
nia bona poteſt nobis facere: ſit ſimul Pater noſter, qui etiã omnia illa nobis paterno amore volet, quis magna cum fiducia ipſamet bona ab eo non poſtulabit, nomine præſertim Chriſti, qui cùm ſit Deus noſter, noſter etiam Pater exiſtit, cùm ſimul cum illo eundem Patrem, & Deum habeamus, & ipſe cum nobis eandem naturam humanam habeat?

In nomine meo, dabit vobis. Hæc etiam conſideratio vnicuique ſpem iniiciet, vt cũ fiducia ab æterno Patre petat quidquid deſiderauerit, & illud idem ab ipſo conſequatur, quod ſcilicet non ſuo nomine, nec ſuis meritis nixus, ſed nomine & meritis Chriſti, quæ ſpem erigunt, affectum demulcent, & cor excitant, duntaxat confiſus illud idem eſt petiturus. In nomine Iacob orabant filij eius, quando dicebant filio etiam eiuſdem Ioſepho, ſicut refertur in Geneſi: *Pater tuus præcepit nobis antequàm moreretur, vt* Geneſ.50
hæc tibi verbis illius diceremus. Obſecro vt obliuiſcaris 16.17.21.
ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te; nos quoque oramus vt ſeruo Dei pa-

tri

tri tuo dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioſeph, & ait: Nolite timere: Ego paſcam vos, & paruulos veſtros, conſolatúſque eſt eos. In quibus verbis notare oportet, quòd cùm Iacob nullum nocumentum, vel iniuriam intuliſſe Ioſepho, Ioſephus tamen illa eidem Iacobo dimiſiſſet dicitur, quia eorum dimiſſio, nomine ipſius, ab eodem Ioſepho poſtulata fuit. Ad quem modum Chriſtus Dominus

Ioan. 20. 17. frater noſter, iuxta illud Euangeliſtæ, *Vade ad fratres meos*, antequàm moreretur, ſed iam morti vicinus, diſcipulis ſuis dixit, vt in nomine ipſius à Patre æterno peterent quod ſibi neceſſarium intelligerét. Quamobrē vnuſquiſque noſtrûm in nomine ipſius orationis rete laxare debet, & cum Pſalmiſta loquēte cum Chriſto dicere, *In nomine tuo leuabo manus meas*, quod idem eſt, ac nomine tuo orabo & petam; quem petendi, & orandi modum docet etiam Catholica Eccleſia, dum in fine ferè omnium orationum dicit ad Patrem: *Per Dominum noſtrum Filium tuum*, &c.

Pſal. 62. 5.

Ille prætereà (quod idem ferè eſt) poſtulat à Patre in nomine Filij, qui ita ſe erga illum habet, ac ſi eidem dicat: Filius tuus & meus frater Ieſus Chriſtus à te petit, vt mihi veniam peccatorum meorum concedas, & eorum ampliùs non recorderis, imò tua

Simile. bona mihi elargiaris. Sicut enim ſeruus ad aliquem amicum à domino ſuo miſſus ex parte illius eidem amico dicit: Dominus meus te obſecrat, vt hoc vel illud mihi des, hæc vel illa etiam facias (quo pacto ea ab illo adipiſcitur) quæ tamen nec daret, nec faceret ſeruo amicus ille, ſi nomine ipſius domini ea non poſtulaſſet: ſic etiam niſi petitio vniuſcuiuſque noſtrûm ad Deum facta, hunc ſenſum efficeret, Æterne

& be

& benigniſſime Pater, dilectus Filius tuus, in quo tibi bene complacuit, me ad te mittit, obſecrādóque à te ipſo petit, vt in me hoc beneficium conferas, eiuſdem beneficij impetratoria minimè eſſet. Sanctus Patriarcha Ioſeph, vt refertur in Geneſi, cæteris filiis Iacob præcepit, vt coram ipſo ſine Beniamin, ipſius & eorundem fratre, nō apparerent; *alioquin,* ait, *non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum.* Et ferè non aliter nobis videbitur dicere Pater æternus, ſi diligenter & rectè hoc conſiderauerimus: nec enim corā ipſo ſine meritis diuini Beniamin Ieſu Chriſti bene comparebimus, nec aliquid niſi nomine ipſius ab eo vnquàm comparabimus. In nomine igitur illius petamus, ſi petita conſequi volumus. *Gen. 43. 3.5.*

Dabit vobis. Non dicit, *Si quid petieritis Patrem, illud dabit vobis,* ſed dicit, *dabit*; quia licèt interdum illud ipſum non det, aliud tamen æquiualens vel maius & melius, quando illud idem negat dare ſolet; ac ideò non dicit: *Si quid petieritis Patrem, illud dabit vobis*; ſed abſolutè dicit: *dabit vobis*, quia reuerà ſemper hominibus dat, ſi ipſi non malè petant. Nam de malè petentibus dicit D. Iacobus; *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Vnde colligere poſſumus, petitiones, ſeu orationes noſtras in quadruplici differentia exiſtere: aliæ enim ſunt meritoriæ, & nō impetratoriæ; aliæ autem impetratoriæ, & non meritoriæ; aliæ verò meritoriæ & impetratoriæ ſimul; aliæ denique quæ malè, ſeu mala intentione fiunt, nec ſunt meritoriæ, nec impetratoriæ. De quarum vnaquaque ſigillatim operæpretium erit nonnulla breuiter dicere. Porrò petitio ſeu oratio meritoria & non impetratoria illa eſt, per quam orantes mere- *Iacob. 4. 3.*

mur,

mur, & petentes non conſequimur; qualis quidem oratio fuit diui Pauli, qui ter Dominum rogauit, vt infeſtatio quædam Sathanæ ipſum colaphizantis ab eodem diſcederet, nec tamen obtinuit quod inſtanter petierat; quia ſic fieri magis ipſi expediebat, tum vt oratio illius diuturnior eſſet, tum etiam vt magnitudo reuelationis ipſum in ſuperbiam non ex-

2.Cor.12. 7.9. tolleret; Quapropter dixit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Cernitur autem ibi orationis meritum in eo, quòd Deus illi dedit aliquid multò melius, quàm ipſe poſtulauerat, *Sufficit tibi*, inquit, *gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Quamobrem pluris facienda eſt virtus ſummi Dei in agone tentationis, quàm ipſius certaminis ablatio. Et ideò ſi quis ex oratione ſui voti compos non euaſerit, quando ſaltem doloris mitigationem, laboris leuamen, tentationis ablationem, vel aliquid aliud huiuſmodi per preces à Deo nõ conſequitur; non propterea triſtitiâ afficiatur, nec animum abii-

Bernard. lib. de inter. dom. cap. 51. ciat; quia (vt ait Bernardus) *ſæpe multos non exaudit Deus ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem.* Nec ſe Apoſtolo Paulo electionis vaſe meliorem arbitretur, ſed ingentes gratias agat ipſi Deo, à quo multò melius, quàm id quod poſtulat, orando, accipit, gratiæ nimirum maximum incrementum, & hæc oratio meritoria, & non impetratoria dicitur, reſpectu eius, quod per ipſam intenditur, & minimè impetratur; quamuis ſi reſpiciamus ad id, quod per ipſammet cõparatur, gratiæ nempe incrementum, & elargitio, merito & optimo iure impetratoria etiam dicetur. Si

Simile. quis enim pannum ad conficiendam veſtem petat, & ipſe eidem non detur, ſed eadem veſtis iam facta, verius

riùs quidem impetrauiſſe,quàm non impetraſſe affirmatur: Sic etiam aſſerendum eſt de illo, cui ablationem tentationis & tribulationis à Deo poſtulanti non cōceditur ab eo ipſa earundem ablatio, ſed dantur gratiæ & vires, quibus tentationem & tribulationem ipſas poſſit viriliter ſuperare.

Oratio autem,& petitio, quæ non meritoria, ſed impetratoria appellatur, ea eſt,quādo nempè aliquis abſque praua intentione,maxima tamen cum inſtantia,à Deo orando petit,quæ cùm eidem minimè expediant,nihilominus tamen adipiſcitur, qualia ſunt diuitiæ, principatus, honores, & dignitates, de quibus docet D. Gregorius in quadam homilia, quòd *Greg.* licèt à Deo peti poſſint, non tamen nimiùm petantur,ne ſcilicet ipſorum petitio ſine merito remaneat quantumcunque impetratoria euadat. Euenit namque,vt Deus det iratus,quod placatus denegaret, & ſic ſe erga inſtanter petentes habeat, ſicut qui hydropicis magna cum importunitate petentibus propinat aquam, pueris cum fletu & eiulatu inſtantibus dat gladiolos, & furioſis nimis id contendentibus tradit enſes. Quod quidem Hebræis contigit in deſerto,vbi carnibus victitare cupiētes,ita temerè Deū prouocauerunt,vt de eiſdem dicat Pſalmiſta. *Adhuc eſca erant in ore ipſorum,& ira Dei aſcendit ſuper eos.* *Pſal. 77. 30.* *Simile.* Cumque ipſi nimiam inſtantiam ad Deum facerent, vt eiſdem Regem daret,ſub cuius ditione & regimine,ſicut cæteræ nationes,viuere poſſent, adepti ſunt Saulem ſaltem in Regem, qui eoſdem valdè vexauit, malè rexit, & moleſtè tractauit. Ecce qualiter homines petentes & orantes non merentur, quantumcunque quod poſtulant conſequantur; & ecce quomodo oratio impetratoria eſſe poteſt, licèt meritoria

ritoria non exiſtat.

Oratio verò ſeu petitio, quæ meritoria, & impetratoria ſimul dicitur, ea eſt, per quam qui orat, ſimul meretur & conſequitur. Et talis quidem fuit oratio Chriſti ad Patrem in Cruce pro inimicis ipſum crucifigentibus deprecantis, & dicentis (vt habetur in
Luc. 23. 34. Euangelio) *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*, & obtinentis ſimul conuerſionem eorum, de quibus refertur ibidem, quòd qui aderant ad ſpectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Sicut etiam de Centurione, & de iis qui cum eo illic erant refertur alibi,
Matth. 27. 54. quòd *viſis iis quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes: Verè filius Dei erat iſte.* Fuit ſimiliter meritoria & ſimul impetratoria oratio Stephani, quando (vt dicitur) lapidibus ferè obrutus Dominum inuocabat,
Act. 7. 60. & pro lapidantibus eum orabat, dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Eâ enim oratione dicitur à Doctoribus conuerſionem Pauli eorundem lapidantium primi impetraſſe, illúmque in viam ſalutis reduxiſſe. Ad quem modum quicunque ad Deum orauerit & petierit, non ſolùm orando merebitur, ſed petendo conſequetur. Ea enim & quæuis alia ſimilis oratio meritoria, ſimul & impetratoria eſt. Qui igitur vno horum trium modorum ad Patrem æternum orauerit, non fruſtrà ab illo petet: dabit enim proculdubiò illi quod poſtulat, vel loco illius aliud longè melius, ſicut ſuprà explicuimus.

Petitio denique, ſeu oratio, quæ nec meritoria, nec impetratoria eſt, eò quòd malè & malum in ipſa petitur, tum fit, quando aliquis deprauatâ intentione cuipiam malum aliquod, ſeu nocumentum à Deo imprecatur & poſtulat, ſicut faciunt illi, qui

vindictam de inimicis à Deo expetunt, qui mortem alicuius efflagitant, vt in illius locum, officium, vel beneficium ſuccedant; qui diuitias, principatus, & ſalutem expoſcunt, vt deliciosè, luxuriosè,& ad libitum viuant; qui omnes petunt, & non accipiunt, eò quòd malè, & mala petant. Petenda ſunt igitur nobis bona gratiæ ab eo, qui ea abſque dubio nobis ipſis dabit in hac vita, daturus in alia ſimiliter mediantibus illis bona æterna gloriæ, quam,&c.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. 15. 26.

Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.

NOMEN, *Paracletus*, inter alias ſignificationes quas habet, aduocatum ſignificat, vt Auguſtinus & Cyrillus aiunt: vbi enim D. Ioannes dicit, *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum*, eſt in contextu Græco παράκλητος, vnde vocabulum, *Paracletus*, paucis mutatis deriuatur: & meritò atque optimo iure Spiritus ſanctus, *1. Ioan. 2. 1.*

Ro.8.25. *Qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vt dicit Paulus, Paracletus, ſeu Aduocatus noſter appellatur, idque quod in Euangelio eiuſdem Ioannis
Ioan.14. 16. inſinuauit Christus Dominus, inquiens, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum*, id eſt, Aduocatum, *dabit vobis*, innuens ſimul non ſolùm ipſummet, ſed Spiritum ſanctum etiam apud Patrem exercere aduocati officium, nóſque apud eundem duos aduocatos habere. Quid igitur habentes tales aduocatos apud Patrem, quales ſunt Filius & Spiritus ſanctus, ab illo non ſperabimus? Quídve ab eo, quantum vel qualecunque ſit illud, magna cum fiducia non petemus, ſi ſimul piiſſimæ Virginis, miſericordiæ matris, quæ eſt etiam aduocata noſtra, interceſſioné apud eundem Patrem adhibeamus? Magna ergo cum fiducia ab eo poſtulemus gratiam, quâ modò indigemus, adhibitâ interceſſione eiuſdem Matris, & ad hoc ipſum eidem dicamus, *Aue Maria*, &c.

Cùm autem venerit Paracletus: Quamuis nomen, *Paracletus*, aduocatum ſignificet, hoc tamen loco pro Conſolatore accipitur, ſicut Chryſoſtomus, Leontius & Euthymius ſentiunt; quia verò Chriſtus prædixerat, fore vt mundus odio diſcipulos haberet, ſentiunt etiam Theophylactus & Theodorus Heracleotes, Spiritum conſolatorem eis promiſiſſe, vt per conſolationem eiſdem laborantibus in afflictionibus & perſecutionibus adeſſet, quo etiam in præſenti triſtitia, quâ erant affecti, ipſos ſimul conſolabatur, cùm (vt dicitur) Sponſus diſceſſurus ab
Cant.8. 13.14. ſponſa eidem diceret, *Fac me* (abſentem ſcilicet) *audire vocem tuam*, dixit ipſa eidem iam iam abituro, *Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum*: quaſi diceret, Siquidem

quidem expedit, vt à me vadas ſuper montes aromatum, hoc eſt, vt aſcendas ſuper cœlos diuinis odoribus pleniſſimos, bene vadas, & valeas, dilecte mi, veruntamen ſic te habeas, precor, erga me, ſicut caprea & hinnulus ceruorum ſe habere ſolent erga illos, quos licèt, quando fugiunt, poſt terga relinquunt, nonnunquàm tamen, imò ſæpenumerò & paſſim, in eos poſt terga relictos reſpiciunt & oculos conuertunt, ſicut de ipſis Philoſophi naturales tradunt: &, *Reſpice in me, Domine, & miſerere mei*, vt ait Dauid, ad quem modum dictura fuiſſe videtur congregatio diſcipulorum, quæ ſola tunc Eccleſia erat, ac ideò per ſponſam repræſentata, quãdo cum diſceſſuro ab ea Chriſto, in cuius diſceſſu, licèt ſumma cum triſtitia, conſentiebat, quia maximè ſibi profuturum ſperabat, ſic loquutura erat: Cùm à me, dilecte mi, abieris, non omninò auertas faciem tuam à me, nam ſimilis ero deſcendentibus in lacum, ſed ſicut caprea & hinnulus ceruorum tu Deus meus reſpice in me, tu Domine ad adiuuãdum me reſpice, nec expectes, vt ego dicam, Domine, quando reſpicies? & fac vt ſic laboribus affligar, vt ſimul fauoribus aliquibus, gaudiis & conſolationibus afficiar, iuxta quod cùm cœleſtis ſponſus Chriſtus Dominus diſcipulis dixiſſet, *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*, eos ſtatim conſolatur, ipſis promittẽs in ipſis fore cum tali perſecutione maximam iungendam conſolationem; quod facit dicens, *Cùm venerit Paracletus*, &c.

Pſal. 24. 16.

Ioan. 15. 20.

Cùm autem venerit Paracletus, &c. Supponit, tanquàm certiſſimum, Spiritum Sanctum ad conſolandos in laboribus homines venturum eſſe, & docet, quo modo hoc ſit facturus, teſtimonium nempe de

ipſo perhibendo, & docendo illos, id, quod nomen, *Paracletus*, quod Doctorem etiam ſignificat, vt Leõtius & Theodorus Mopſueſtenſis aiunt, ſimul in-
Matth. 25.31. ſinuat; ad quem etiam modum quando dicitur, *Cùm venerit Filius hominis in mageſtate ſua*, &c. ſupponit tanquàm certiſſimum, venturum eſſe Chriſtum ad iudicium, & deſcribit modum, quo ad ipſum eſt venturus. Itaque pluſquàm certum eſſe arbitremur, conſolationem in laboribus minimè eſſe hominibus iuſtis defuturam, licèt diuerſimodè Spiritus ſanctus eos in ipſis laboribus conſoletur. In cuius confirmationem adduci poteſt id quod Danieli in lacu
Dan. 14. 35. leonum pro Deo incluſo vt in eius libro refertur, contigit; referunt namque ibi Diuinæ literæ, Angelum Domini apprehendiſſe Prophetam Habacuc, qui in meſſem ibat, & prandium meſſoribus deportabat, in vertice eiuſdem Habacuc, & portaſſe eum capillo capitis ſui, poſuiſſeque eum in Babylone, ſuper locum vbi erat ipſe Daniel, eique cibum, quē meſſoribus deportabat, dediſſe. Vbi aduertendum eſt, ideò prandium, quod laborantibus meſſoribus deferebatur, & non aliquem alium cibum, qui in alicuius Regis vel Principis culina eidem oppiparè præparatus eſſet, ab Angelo Danieli fuiſſe deportatum, vt ſcilicet ſignificaretur, nullum meſſorem, mercenariúmve, quantumuis laſſatus & fatigatus exiſtat, ita cibum & mercedem promereri, ſicut iuſtus laboribus & neceſſitatibus oppreſſus ſpiritualem fauorem, corporalémque conſolationem promeretur. Cùm igitur benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum
2. Cor. 1. 3.4. & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt ait Paulus, in nullo labore

bore pro ipſo ſuſcepto nos ſine conſolatione derelinquat, tanquàm certiſſimum ſupponit Chriſtus Dominus, quòd Spiritus conſolator in tribulationibus hominibus non deficiet; atque ideò ait, *Cùm autem venerit Paràcletus*, ſupponens ad ipſum conſolandum proculdubiò fore venturum: & quoniam hoc Spiritus ſancti eſt proprium, eidem dicit Eccleſia, cum ipſomet loquens, *Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium, in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium*, &c.

Cæterùm, circa hoc ipſum poterit non abs re quiſpiam interrogare, cur Spiritus ſanctus, qui Deus eſt, non venerit in mundum liberaturus & erepturus homines ex laboribus, ſed eoſdem homines in ipſis laboribus conſolaturus, cùm vnum non ſit alio difficilius, ſed vtrunque æquè facile & difficile exiſtat. Quòd autem Diuinus Spiritus, qui Deus eſt, poſſit hominem à quibuſcunque laboribus eripere, quod aliquãdo nõ vult facere, quia id ipſum ei magis expedit, colligitur apertè ex Daniele, vbi tres pueri iamiam in caminum ignis proiiciendi ſic fuiſſe locuti deſcribuntur: *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos, de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare; quòd ſi noluerit, notum ſit tibi, Rex, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Conſtat ergo, poſſe Deum & eius diuinum Spiritũ hominem incolumen reddere, & à laboribus omninò præſeruare, & nolle hoc ipſum interdum efficere, cuius rei cauſam & rationem nos inueſtigamus. Cæterùm, dicendum eſt, id propterea à Deo fieri, quia labores ſunt vtiles, ſicut & proſperitates periculoſæ, & conſolationes ſunt valdè neceſſariæ, ſicut & deſperatio-

Dan. 3. 17. 18.

nes omninò periculoſæ & pernicioſæ, atque ideò nec labores ipſi ſine detrimento maximo tolerentur neque conſolationes ſine deſperatione, vel ſaltem ſine animi deiectione, deeſſent.

Porrò quanta ſit laborum vtilitas, explicari à nullo poterit, qui eam in ſe non fuerit expertus. *Similia.* Sicut ferrum quod non exercetur in terra; vel in ignem non immittitur, rubigine adimpletur; & rurſus ſicut aqua, quæ per præcipitia non decurrit, ſed in lacum detinetur, quodammodò putreſit & inutilis redditur: ſic homo, qui laboribus non affligitur, nec igne tribulationis probatur, nec vexatione aliquâ commouetur, rubigine peccati inficitur, otio langueſcit, *Simile.* & à bono in malum mutatur. Sicut prætereà ſtomachus, in quo nullus cibus reperitur, quia in eo conſequenter non eſt id, in quod calor naturalis agat, & à quo agendo repatiatur, parum abeſt, quin omninò deſtruatur & labefactetur, quia in ſe ipſum reflectitur & operatur, quod in alio, nimirum in ipſo cibo per digeſtionem erat operaturus: ſic etiam ſi in homine nullus labor, nulla contradictio, nulla tribulatio reperiatur, cui reſiſtat & à qua vexetur, in ſeipſũ inſurget, & ſecum præliabitur, & omninò eiuſdem *Iſa. 1.25.* virtus conſumetur. *Excoquam ad purum ſcoriam tuam*, dicit Propheta, *& auferam omne ſtãnum tuum*; quaſi vnicuique homini dicatur: Tam grauis morbus & ardens febris tibi immittetur & dabitur, vt illis quaſi fornace & clibano concluſus concoquaris, donec omnis tuæ peruerſæ vitæ ſcoria conſumatur, & tuæ malæ cogitationes deleantur, tuque ipſe omninò purus euadas: ad id enim ſolent infirmitates *Pſal. 15. 4.* inſeruire. Quod Dauid ſignificat dicens, *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt*, &,

Quoniam

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina; *Pſal. 31. 4.*
quibus conſonat illud,vbi dicitur; *Ad Dominum cùm tribularer clamaui,& exaudiuit me*; & vbi etiam dicitur, *Tribulatio & anguſtia inuenerunt me*. Et meritò hoc de ſe dicebat,ſi quidem hoc ipſum homini afflicto & contribulato ſæpe contingit. Horologium ponderibus deficientibus ſtatim deordinatur, quorum tamen grauitate ſuperueniente ſtatim etiam benè temperatur,& in debitum ordinem redigitur:ad quem modum qui ſine illis, quæ grauia & moleſta eſſe ſolent,viuit,ſine criminibus non viuit, à quibus tamen liber euadit, ſi grauibus tribulationibus & moleſtis laboribus affligitur. Vnde ſicut quando aliquis certò ſciret, ſuum proximum,ſi nauigaret, deuenturum eſſe in poteſtatem Maurorum, & conſequenter miſerrimam ſeruitutem ſimul eſſe ſubiturum, præterquam quòd omnia ſua bona eſſet amiſſurus, aut ſi cognoſceret, illum viâ quâdam iter facientem in manus latronum,qui eum ſpoliatum interficerent, fore caſurum, quod præcauere cupiens ipſum in carcerem coniiceret, ibíque detineret, quouſque ille nauigandi & iter faciendi occaſiones tranſiret, periculáque illa præterirent: non quidem poſſemus eum crudelem & inimicum, ſed miſericordem & amicum rectè iudicare, ſiquidem tantum bonum fecit,& à tanto malo præſeruauit: Sic etiam conſiderandum nobis eſt, quòd ſi Deus viderit homines in ſanitate & proſperitate conſtitutos meliùs ſibi ſeruituros, quàm morbis & tribulationibus affectos,non enim vllâ ratione exiſtimandum eſſe per eum ab ipſis eandem ſalutem auferendam. Quamobrem cùm ipſe, cui omnia ante ſecula aperta ſunt,

Pſal.119. 1. *Pſal.118. 143.* *Simile.* *Simile.*

præuiderit potiùs eos ſanos ipſummet grauiſſimis peccatis fore offenſuros, atque ideò in manus pyratarum inferorum deuenturos eſſe, ſuâ benignitate clementiâque prouidit, vt morborum & laborum vinculis aſtricti tenerentur, ſicut Hugo de ſancto Victore docet, ne in tot ac tanta damna, ſceleráque prolaberentur, ſæpiſſimè certè ab vno crimine in aliud deuenirent, niſi labore,& dolore coacti cohiberentur. Nullam itaque ferre perſecutionem, magna eſt perſecutio, nec minor eſt contradictio, nullam perpeti contradictionem: nam cùm medicus facultatem facit infirmo, vt comedat quæcunque ei libuerit, nullius remedij illum iam capacem conſiderat; ſicut etiam infirmus ſanguinis emiſſionem ſuſtinet,& amaras potiones ſumit,vt corporis ſui incolumitate potiatur: Sic quicunque afflictiones & tribulationes ſuſtinere debet,vt ſalutem animæ ſuæ conſequatur. Sacræ memoriæ proditum eſt,grauiſſimo ſupplicio Dauidem affeciſſe eos, qui nuntios, quos miſerat ad regem Ammon ignominioſè,& malè tractarũt:ad quem modum ſi homo labores, quos tanquam nuntios illi mittit Deus, malè receperit, & impatienter tractauerit, ab eodem maximè punietur: quia cùm debeat ipſos patienter tolerare & acceptare, non tamen vult ipſoſmet tanquàm nuntios de Dei erga ipſum benignitate nuntiantes excipere. Excipiendi igitur & amplectendi ſunt labores, non ſolùm tanquàm vtiles, ſed etiam tanquàm vtiliſſimi quærendi, & magni conſequenter æſtimandi. Ecce quomodo labores ſunt vtiles,& quomodo & quare illos Deus non tollit. Videamus etiam quomodò viceverſâ proſperitas ſit nociua, & quàm perculoſa & quàm vana exiſtat,& quare Deus illam tollat.

Hugo de ſ. Vict. lib. 2. de anima.

Simile.

Simile ex Dauide.

Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, ait Dauid, *Pſal. 72.*
de proſperitate peccatorum loquens, quia ſicut li- 7.
max pauco rore & parua humiditate è cœlo in ipſum *Simile.*
ſuperueniente nimis extenditur,& à ſeipſo quodammodò exit,& à caſula, quâ incluſus tenebatur, ſeu, quod idem eſt,extra ſe prodit:ſic miſerrimus homo, vbi primùm aliquâ proſperitate fruitur, & benigno aliquo fortunæ flatu potitur,extra ſe ſtatim, & extra rectæ rationis limites exit, in quàm plurima peccata prolabitur. De Sodoma dicitur, quòd erat ſicut pa- *Gen. 13.*
radiſus Domini, in quo eius amœnitas,abundãtia,& 10.
tranquillitas deſignatur; & de eadem Propheta ait:
Ecce hac fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia: *Ezech.*
ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius: per 16.49.
quæ omnia ſignificatur proſperitas, ex qua omnis iniquitas prodit, & omnis ſcelerũ colluuio emanat. Sed quid ego de temporali corporis proſperitate verba facio, ſiquidem ſpiritualis etiã animi proſperitas,niſi aliquâ tribulatione permiſceatur,periculoſa eſſe à maximis Dei ſeruis in ſacris literis inſinuatur. Nam Dauid ſe quodammodò in ſuperbiam elatum ſignificat, dicens: *Ego dixi in abundantia* *Pſal. 29.*
mea,non mouebor in æternum, auertiſti faciem tuam à 7.
me, & factus ſum conturbatus; & Paulus ſimiliter *2. Cor. 12.*
dicit ſibi datum fuiſſe ſtimulum carnis ſuæ,qui eum 7.
colaphizaret, ne ipſum magnitudo reuelationũ extolleret.Patet ergo,proſperitatem quamcumque de ſe periculoſam eſſe; ſiquidem ſpiritualis etiam proſperitas in hac vita, ſi eidem labores aliqui non adſint,periculoſa eſſe oſtenditur.

Quòd verò quæcunque mundana proſperitas vana ſit,& verâ conſolatione omninò careat, illud proſperrimus Salomon ex experientia planè teſta-

tur eo loco Eccleſiaſtes vbi ab eo omnia vanitas dicuntur, ferè in principio capitis,& versùs finem, vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus aſſeruntur,dum
Eccleſ. 1. ipſe dicit, *Ego Eccleſiaſtes fui Rex in Hieruſalem, & expoſui in animo meo quærere & inueſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub Sole.* & paulò infrà: *Vidi cuncta quæ fiunt ſub Sole, & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus*; vbi omnia, quantumcunque proſpera ſint, vacua eſſe, verâ voluptate & conſolatione
Simile. carere ſignificantur. Sicut enim vmbræ (qualia
Cap. 5. 9. ſunt omnia mundana, de quibus dicitur, *Tranſierunt omnia illa velut vmbra*) ſiue reſultent ex corpore candidum, rubicundum, vel quemcunque alium colorem habente, ſed tamen nigredinem quandam præ ſe ferre videntur: ita etiam mundi gaudia & voluptates, ſiue ex ſalute, ſiue ex robore, ſiue ex dignitate, & honore, ſiue ex quâcunque aliâ mundi proſperitate proficiſcantur, ſemper nihilominùs triſtitiâ, tædio, & anxietati permixta eſſe ſentiuntur: ſi namque ex diuitiis oriantur, ſtatim timor ille cõſequitur, ne ſcilicet à furibus ſurripiantur, iuxta illud
Pſal. 88. 41. Dauidis, *poſuiſti firmamentũ eius formidinem*; Si verò ex fauore & populari aura ortũ habeant illicò metus ille reſultat, ne ſcilicet in eorum odium incurrat, quorum gratiæ fauorique inſeruit; Si ex vxorum pulchritudine procedunt, ſuſpectæ earundem formæ & pulchritudines habentur, ac proptereà maximè virorum animos contorquent. Si denique ex liberis emanant, variæ curæ, & nimiæ ſollicitudines inde prodeunt, quæ parentum animos atrociter angunt, quẽ diſcurſum eleganter Naimon *domin. 4. poſt oct. Paſcha*, perſequitur. Vana ergo & periculoſa eſt quæcunque humana proſperitas, quâ proinde
reiectâ

reiectâ, labores & tribulationes diuina prouidentiâ & ordine non repelluntur, ſed inducuntur & dantur, & Spiritus ſancti conſolationibus permiſcentur: quapropter ipſe Conſolator ſeu Paracletus nuncupatur.

Non itaque liberat Deus homines à laboribus, nec eos ab igne tribulationis educit, ſed in ipſiſmet laboribus & tribulatione cum ijſdem aſſiſtit, ideóq; per eos Dauid ait, *Cum ipſo ſum in tribulatione*, in *Pſal. 90. 15.* cuius ſignificationem dicitur in rubro ignito & ardenti Moyſi apparuiſſe, vt ſcilicet inſinuaret, ſe nec in ſpina laboris, dum configitur ſpina, nec in igne tribulationis laboranti & cõtribulato deeſſe. Quapropter cùm tres illi pueri pro ipſo in fornacē ignis ardentis miſſi ſunt, non fuerunt inde ab ipſo ſtatim educti, ſed in medio eius experti ſunt quaſi ventum roris flantē diuinũ, ſcilicet Spiritum, qui, vt refertur, effecit, vt neque ignis eos combureret, neque contriſtaret, nec quicquam moleſtiæ inferret. Eſt vnuſquiſque homo talis in duritie, vt de eo dicatur, *Sciui* *Iſa. 48. 4.* *enim quia durus es tu, & neruus ferreus, ceruix tua, & frons tua area*, ideò vt domari poſſit, tribulationis ignis, & conſolationis aqua omninò neceſſaria ſunt. Quemadmodum enim, vt in igne ferrũ cudi poſſit, *Simile.* aqua etiam, quâ tēperetur, requiritur: Sic Deus homines in fornace & in igne afflictionis & laboris cu- *Eccleſ. 2. 5.* dit & mollificat, iuxta illud, *Probatur in igne aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis*; ad quod alludunt Auguſtinus dicens, *La-* *Aug. ſuper Geneſ.* *titia bona conſcientia paradiſus; vnde & Eccleſia in Sanctis ſuis temperatur*: & Hieronymus his verbis, *Hieron. ſuper Iſa.* *Animi latitia interdum corporis dolores mitigat.* & *Greg. ſuper Ezechiel.* Gregorius denique dicens ſimiliter, *Bonis ſuis flagella per*

gella permiſcet, vt nobis omne quod in hoc ſeculo de-
lectabat, amareſcat, & illud incendium ſurgat in ani-
mo, quod nos ſemper ad cœleſte deſiderium inquietet,
excitet, &, vt ita dicam, delectabiliter mordeat, ſuaui-
ter cruciet, & hilariter contriſtet: & certè ſi hac tri-
bulationis & conſolationis varietate à Deo non tracta-
remur, labores ſine deſperatione, quia ſumus nimis fra-
giles (licèt alias duri) ferre nullo modo poſſemus. Fide-
1. Cor. 10. *lis autem eſt Deus*, vt ait Paulus, *qui non patitur nos*
13. *tentari vltra id quod poſſumus, ſed facit etiam cum*
Pſal. 124 *tentatione prouentum*, Et, *Nõ relinquet virgam pecca-*
3. *torum*, vt dicitur à Dauide, *ſuper ſortem iuſtorum, vt*
non extendant ad iniquitatẽ manus ſuas: & hoc ipſum
Cant. 8. poſtulabat Sponſa, dicens Sponſo, *Fuge, ſed aſsimi-*
14. *lare caprea retrò aſpicienti.* & ipſe Dauid dicens
Pſal. 70. etiam, *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me:*
9. & hoc ſperabat ab ipſo ſanctus Iob, quãdo eidẽ di-
Iob. 14. cebat, *Operi manuũ tuarũ porriges dexterã*, imò hoc
15. iuuamine & conſolatione ſuffultus Paulus ſe omnes
difficultates poſſe ſuperare non dubitabat aſſerere:
Philipp. aiebat enim, *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et
4. 13. ideò de Apoſtolis talis Spiritus ſancti munimine
Act. 5. confortatis & roboratis refertur, quòd *ibãt gauden-*
41. *tes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro*
nomine Ieſu contumeliam pati. Nec mirum eſt, quòd
ſic de paſſionibus gauderent & iniuriis pro Deo ac-
ceptis delectarentur: ſiquidem iuxta Domini pro-
miſſionem factam, centuplum in conſolationibus
Matth. ſpiritualibus huius vitæ accipiebant: nam plus va-
19. 29. lebat vna Diuini Spiritus conſolatio ipſis data, quàm
centũ honores, dignitates, vel quæcunque alia mun-
Pſal. 93. di bona, quæ amitterent, vel tormenta, quæ tolera-
19. rent, vnde nõ ſolùm ſicut Dauid dicebat, *Secundùm*

multitu

multitudinem dolorum meorum in corde me conſolationes tua lætificauerunt animam meam, ipſi hoc idem de ſe dicere poſſent, ſed ampliùs aliquid adiungere: ſiquidem iam ante æternam vitam in hac centuplum accipiebãt: quam etiam ob cauſam Paulus, pro Deo tribulationem patientibus Corinthiis dicit, *Superabundo gaudio in omni tribulatione veſtra*: quia licèt alibi dicat, *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus*, erant nihilominùs tam gaudentes illi, qui pro Chriſto patiebantur, hoc eſt, erant tantâ conſolationis ſuauitate repleti, vt ipſe ſuperabũdaret gaudio propter gaudium etiam, quo illi in ea tribulatione ſuperabundabant, ac proinde cum gaudentibus gaudebat. Quia igitur hæ conſolationes ſunt peculiares Diuini Spiritus effectus, quos præcipuè poſt Chriſti Aſcenſionem produxit in terris, ideò dicebatur ab eodem Chriſto Domino, quòd tanquàm Paracletus ſeu Conſolator venturus erat.

2. Cor. 7. 4.

Rom. 12. 15.

Quem ego mittam vobis à patre, &c. Suâ infinitâ ſapientiâ Chriſtus Dominus hæreſes poſt ſuam in cœlum Aſcenſionem futuras comprehendens, hæc verba profert, ex quibus deſumi poſſit id, quod nonnullas ipſarum radicitùs extirpare valeat: cùm enim dicit, *Quem ego mittam vobis*, Patenter oſtendit, Spiritum ſanctum non ſolùm à Patre, ſed à ſe etiam procedere, id quod Græcorum errorem penitus labefactat; & per verbum, *mittam à Patre*, ſimul explicat, ſe ipſum eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre; ſiquidem vterque nimirum Pater & Filius, vnum habent Spiritum; quod ſimiliter Arrij hac de re impietatem funditùs euertit: & cùm addit, *qui à Patre procedit*, declarat, Spiritum ſanctum non creaturam,

ſed

ſed Deũ eſſe,quia quod ex Deo procedit, Deus eſt, & non creatura, quæ ex nihilo eſt, quod etiam impius Arrius impudenter negabat,quibus etiam verbis diſtinctio perſonarum contra Sabellium proponitur, quia perſona procedens, ab ea à qua procedit neceſſariò debet eſſe diſtincta.

Ille teſtimonium perhibebit de me. Manifeſtum eſt, magnitudinem donorum & munerum dantium magnitudinem, potentiam & liberalitatem declarare; vnde cùm quidam homo infimo loco natus ab Alexandro Magno parum quid petiiſſet, & ille ipſi opulentiſſimam quandam vrbem magnificentiſſimè donaſſet, eâque vilis ipſe homo ſe indignum ſignificaſſet,ſic Alexandrum fuiſſe eum allocutum refert

Seneca li. de benefic.

Seneca,*Vt in te*,inquit,*beneficia cōferam,non quis ſis, aut quibus indignus, ſed quid me elargiri conueniat attendo:* quibus verbis ſignificauit vir ille magnus ex dono & beneficio ab eo collato ipſius magnitudinem,potentiam & liberalitatem eſſe ſpectandam; ac proinde licèt accipiens, quia vilis & abiectus erat, magno dono & munere eſſet indignus, donum tamen ipſum ab eo datum paruum & exiguum eſſe non debere, quia donum de datore teſtimonium ſolet perhibere, ipſumque manifeſtare. In Geneſi refertur, quòd cùm fratres Ioſeph patri ſuo Iacob di-

Gen.45. 26.

xerunt,*filius tuus viuit, & ipſe dominatur in omni terra Aegypti*,ſanctus Patriarcha quaſi de graui ſomno euigilans non credebat eis: illi è contrà referebant omnem ordinem rei, cúmque vidiſſet plauſtra & vniuerſa quæ miſerat, reuixit ſpiritus eius; vbi cernitur, quòd maxima illa & ditiſſima dona à ſancto Ioſeph ad patrem ſuum miſſa euidenter teſtata fuerint eundem Ioſeph tanquàm principem in Ægypto

domina

dominare, ipſiúſque clauum & gubernaculum tenere, ac ideò poſtquam venerabilis ſenex dona ipſa vidit, filiorum dictis ſtatim acquieuit: Iuxta quod Chriſtus Dominus diſcipulis dixit, *Cùm ad vos venerit Spiritus Paracletus, ille teſtimonium perhibebit de me*, quaſi diceret, cùm ego vobis Spiritum Sanctum è cœlo miſero, tanta erit talis doni magnitudo, vt ex ea colligere apertè poſſitis me Deum eſſe, & in cœlo ipſo regnare: de hoc enim poterit donum ipſum euidenter teſtimonium ferre. Ad quem etiam modum, quando in nobis ſentimus charitatem, gaudium, pacem & patientiam, quæ ſunt fructus (vt ait Paulus) & ſunt dona, quæ euidenter teſtificare poſſunt, Deum eſſe benignum omnium noſtrûm patrem, ſi quidem ea nobis elargitur, conſiderare debemus quòd ipſe Spiritum (vt etiam ait idem Apoſtolus) *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei; Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes Chriſti*, poſt præſentem compaſſionem huius vitæ in gloria futura in alia, quam, &c. *Rom. 8. 16.17.*

HOMI

HOMILIA IN ILLVM LOCVM IOAN. 14. 23.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

HIC trium diuinarum perſonarum aduentus in animam iuſti Chriſtum diligentis, & eius legem cuſtodientis inſinuatur in verbis illis Sancti Euangelij, nempe ***ad eum veniemus***, ratione quorum Euangelium ipſum ab Eccleſia Catholica aduentum Spiritus Sancti in corda Apoſtolorum hodiernâ die celebrante vſurpatur, ſpiritualiter & inuiſibiliter fieri ſolet per gratiam, vt Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius hoc loco ſentiunt: & ad illum concurrunt tria, meritum nimirum Filij, qui gratis pro nobis mortuus eſt, & charitas Patris, qui ſic dilexit mundum, vt ipſum ſuum Vnigenitum ei daret, & communicatio Spiritus Sancti, qui gratiam ſuam omnibus ſolet abundanter elargiri: quæ omnia
2.Cor.13. Corinthiis deſiderabat & imprecabatur Paulus: ***Gra-***
13. ***tia Domini noſtri Ieſu Chriſti, charitas Dei & communicatio Spiritus Sancti ſit cum omnibus vobis, amen***: quod dicimus, vt intelligatur quòd ad hoc vt talis aduentus in nos fiat per gratiam, quâ nunc præſertim

tim indigemus, debemus bono animo ad Patris charitatem accedere, quæ innuitur per illa verba, *&* *Pater meus diliget eum*, & fiduciam habentes in meritis Filij, & adhibitâ etiam interceſſione piiſſimæ eiuſdem Matris, debemus quoque implorare communicationem Spiritus ſancti: hoc igitur nunc faciamus matri ipſi apud Patrem pro nobis interceſſuræ, dicentes, *Aue Maria*, &c.

Si quis diligit me, ait Chriſtus Dominus, *ſermonem meum ſeruabit*, quaſi dicat, Qui me dilecturus eſt, non fictitiè, ſed verè me diligere debet, ita ſcilicet, vt meum ſermonem, hoc eſt, meam dilectionis legem verè ſeruet. Quæ explicatio conformis eſt D. Ioanni, diſcipulis ſuis dicenti, *Filioli, diligamus Deum non verbo & linguâ, ſed opere & veritate*: tunc enim verè, ſeu in veritate diligimus, quando Deum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex tota mente, proximum autem ſicut nos ipſos diligimus, quæ eſt vera dilectionis lex, & diuinus amoris ſermo: In lege quid ſcriptum eſt, dixit Chriſtus cuidam iuueni, vt refertur à D. Luca, cui ille referendo ipſam amoris legem, reſpondit dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut teipſum*: quam legis poſitionem approbauit ipſe Chriſtus Dominus inquiens, *Rectè reſpondiſti*, docens eo modo eſſe à nobis diligendum, vt dilectionis lex verè ab ipſis obſeruetur. Nec mirum eſt, quod Deus totum cor ab homine requirat, ſiquidem tam infinitè bonus eſt, vt quantumcunque toto corde humano ametur, ſemper minùs debito diligatur, id quod Dauid ſignificauit eum eo ita loquens, *In toto corde meo*

1. Ioan. 3. 18.

Ca. 10. 26 27.

Pſal.118. 10. *exquiſiui te*: & alibi etiam, cùm diceret, *Deficit*
caro mea & cor meum, Deus cordis mei: & Sponſa
Pſal.72. 26. dicens etiam, *Nuntiate dilecto meo, quia amore lan-*
gueo, quod Dauid & ipſa dicebant, quia nec totum
Cant.5.8. cor vnius erat ſine defectione, nec fœcundus amor
alterius erat ſine languore reſpectu immenſæ Dei
bonitatis, quæ immenſo etiam amore diligi debet.
Quapropter de Iſraëlitis refertur dixiſſe Dominus,
Oſea 10.2. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt:* quomodo
etiam interibit is, qui diuidens cor inter mundum
& Deum, ipſum Deum toto corde non dilexerit.
3.Reg.18. 21. *Vſquequò claudicatis in duas partes* (inquiebat Helias
populo Iſraëlitico) *Si Dominus eſt Deus, ſequimini*
eum: ſi autem Baal, ſequimini illum.

Si dæmon vnâ cordis parte, quando ſcilicet in
Simile. vno vel altero mortali peccato ſumus, contentus &
quodammodò ſatisfactus eſt, illud ex eo prouenit
in primis, quia nullum ius ad ipſum habet: ac ideò
ſicut ille, qui in lite de re aliqua habita iuſtitiâ ca-
ret, facili negotio fœdus cum eo init, quo cum liti-
gat, ſi eandem iuſtitiam ipſum habere intelligit, &
factâ quacunque eiuſdem rei diuiſione, dummodò
pars aliqua ipſi detur, contentus euadit: Sic dæmon
quia nullum ius, nullámque rationem habet, vt à
nobis diligatur, noſtri cordis diuiſione quodammo-
do ſatisfit, ſi pars aliqua ab eo, cui totum debetur,
auferatur, & ipſimet dæmoni detur: deinde cùm
idem dæmon nos verè non diligat, facilè cor, amo-
rémque noſtrum diuidi patitur, quod nullo modo
3.Reg.3. 25. faceret, ſi nos verè diligeret. Sapientiſſimus Salo-
mon decreuit ad hoc vt manifeſtaretur, quænam ex
duabus mulieribus de infante quodam coram ipſo
litigantibus vera ipſius infantis eſſet mater, quòd
infans

infans ipſe diuideretur,& vnicuique earum dimidia pars eiuſdem daretur, quia illum,quæ ipſum diuidi pateretur, & ſe parte diuiſi contentam eſſe ſignificaret, reuerà illum non diligeret, nec proinde eiuſdem mater eſſet, qualis tamen eſſet habenda illa, quæ eam diuiſionem non pateretur,imò totum alteri integrum relinqueret: quâ ratione vera infantis mater ita manifeſtata fuit, vt ille ipſi, abſque vlla alia controuerſia, ſapientiſſimi Salomonis ſententiâ fuerit ſtatim datus.

Vnde ſimiliter rectè concludi poteſt, quòd quia dæmon nos minimè diligit, quâlibet noſtri cordis parte contentus eſt; quia autem nos Deus vero & intimo cordis affectu amat, ita totum noſtrum cor à nobis ipſis requirit, vt deficiente aliquâ eiuſdem parte, minimè ſit contentus,nec niſi toto & integro eo ſatisfiat: *Cùm venerit, quod perfectum eſt* (inquit Paulus) *euacuabitur quod ex parte eſt*; quibus verbis ſignificat Apoſtolus, quòd quidquid in hac vita reperitur, ita imperfectum & ex parte eſt, vt nullum humanum cor ſatiare poſſit; atque ideo David de ſe dicebat, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, quando ſcilicet non ſolùm per gratiam & ex parte Deum poſſideret,ſed quando perfectè, per gratiam nempe & gloriam, eo frueretur; quod tamen dicebat cùm ex abiecto & humili paſtore factus eſſet potentiſſimus & ditiſſimus Iſraëlitarum Rex,cùm à Deo tantum robur & fortitudinem accepiſſet, vt non ſolùm in ſyluis ex leonibus & vrſis, ſed in bello ex horrendo gigante Goliath,& ex quàmplurimis aliis robuſtiſſimis viris victor euaſerit, cùm denique tot ac tanta alia beneficia & bona à Deo haberet, vt dixerit animæ etiam ſuæ, *Benedic anima mea Domino*,

1.Cor.13. 10.

Pſal.16. 15.

Pſal.102. 2.3.4.5.

& noli obliuiſci omnes retributiones eius, quia propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia, & in miſerationibus, qui
Simile. *replet in bonis deſiderium tuum*; vbi notandum eſt, quòd repleri non eſt ſatiare, ſicut patet in hydropico, qui repletus aquâ, non eſt illâ ſatiatus, ſed adhuc ſitit: ad quem modum, licèt Dauid bonis ſpiritualibus mirum in modum abundaret, & temporalibus repletus eſſet, non tamen erat illis ſatiatus, & ideò dicebat, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, ſine qua omne quod eſt in hac vita, ex parte eſt & imperfectum. Si ergo cùm hominis cor ſit tam exiguum, vt etiam quidam paſſer roſtrello ſuo portare illud poſſit, non ſatiatur, nec ſatisfit aliis quibuſcumque rebus, niſi ſola poſſeſſione ipſius immenſi Dei; & non habitâ quidem ex parte, quando ſcilicet ille in hac ipſa vita poſſidetur per gratiam, ſed habitâ perfectè, quando nimirum in æterna poſſidetur per gloriam; quo modo ipſe tam immenſus exiſtens & infinitus, parte duntaxat tam exigui cordis, & non integrum & totum ipſum humanum cor requireret, & poſtularet, & quomodo præciperet homini, quòd aliter quàm toto corde, totâ animâ, & totâ mente, ipſum diligeret?

Imò meritò & optimo iure in eâdem dilectionis lege adiecit ex omnibus etiam viribus hominem ipſum Deum debere diligere, vt ſimul doceret, quomodo in diligendo ipſo ſe idem homo debeat habere: debet enim omnes animi vires applicare & omnem ipſius conatum adhibere, vt ſi ipſummet non dilexerit, ſicut reuerà diligi debet, idem homo ſaltem diligat, ſicut ipſe diligere poteſt. Nam tam in-

firmæ

firmæ & debiles ex peccato remanſerunt animi vires, vt ſi eaſdem ſummo eiuſdem animi conatu homo etiam ad diligendum Deum non applicet, multò minùs debito illum amet. Quamobrem quemadmodum ille qui remiſſiori arcu ſagittam in ſcopum emittit, altiùs & ſuper ipſum eam dirigit, vt ita ſagitta coniecta eundem ſcopum poſſit attingere: Sic etiam homo, qui ſcopum debitæ dilectionis erga Deum cupit attingere, ab eóque non aberrare, omnes animi vires, quæ remiſſæ per debilitatem naturæ ſunt, applicet, & maximâ curâ & intentione ad illum diligendum contendat, vt ſi ille non diligatur vt debet, ipſe ſaltem diligat vt poteſt. Iuxta quod diuus Anſelmus ſuper hunc locum ſcribens, & eum Domino loquens ait: *Veni, ô bone Ieſu; iam enim pedes meos nolo; niſi vt te quæram: nolo manus meas, niſi vt tibi ſeruiam: nolo genua, niſi vt te adorem: nolo linguam, niſi vt te laudem: nolo denique cor, niſi vt te amantiſſimè diligam: iuſtum namque, & æquum eſt, vt me totum integrum tibi tradam, ſiquidem tu te totum & integrum mihi tribuendum ſeruas.* Qui igitur Deum dilecturus eſt, ſic ex toto ſcilicet corde, & ex omnibus viribus, & membris eum diligere debet, ſecundùm ſuam dilectionis legem, & ita non verbo tantùm & linguâ, ſed opere & veritate eum diliget, vt ex D. Ioanne ſuprà diximus.

Similia.

1. Ioan. 3 18.

Cæterùm eſt ſimul hîc aduertendum, quòd nec verè, nec in veritate Deum diligit, qui proximum non amat (non quantum ſeipſum, vt docet D. Thomas, quia charitas benè ordinata incipit à ſe ipſa) ſed ſicut ſe ipſum, hoc eſt, ſanctè,

D. Thom 2. 2. q. 44 artic. 7.

iuſtè, & verè; ideò in ſacris literis ſæpe miſericordia & veritas cõiungũtur, vt per miſericordiam amoris affectus, & per veritatem eius effectus ſignificetur: dicitur enim à Pſalmiſta, *Miſericordiam & veritatem diligit Deus*, & Salomone, *Miſericordia & veritas te non deſerant*; item, *Miſericordia & veritas præparant bona*: cùm enim ex miſericordiæ effectu ergà proximum prodit ipſius effectus, qui in bono opere conſiſtit, tunc dicitur homo non verbo & linguâ, ſed opere & veritate Deum & proximum diligere, cuſtodiendo ſermonem Domini dicentis, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut ego dilexi vos.*

Pſal. 83. 12. Prou. 3. 3. & 14. 22. Ioan. 15. 12.

Idem prætereà fuit dicere, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*, ac dicere, cùm probatio dilectionis ſit exhibitio operis, ille, qui me diligit, amorem operibus ſecundùm legem meam factis abſque dubio manifeſtabit, neque enim ſi me non dilexerit, proximum diliget; & hoc quidem ſignificatum eſt eo loco vbi refertur, quòd deſcendens Moyſes de monte cùm populum idolatrare videret, proiecit de manu tabulas, & confregit illas ad radicem montis, & licèt populi idolatrantis peccatum eſſet contra vnam tabulam, quæ primo decalogi præcepto aduerſabatur, vtramque nihilominùs confregit, vt ſcilicet ſignificaret, quòd qui in hoc vno offenderit, factus eſt omnium reus, & quòd amiſsâ Dei charitate, amor proximi ſtatim amittitur: & vice verſâ manente eâdem Dei charitate, ipſe proximi amor remanet, & operibus manifeſtatur, neque illi, qui dicenti Domino, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*, &c. non obediunt, & proximum odio habent, exiſtimandi ſunt Deum diligere. Enarratur in ſacra

Exod. 32. 19. Ioan. 15. 17.

ſacra pagina, quòd recumbens Sanſon in gremio Dalilæ, ſuauiſſima & amoris pleniſſima verba dicebat, cúmque illa ab eo peteret; vbinam tantas illas ſuas vires haberet, & ille non ei obtemperaret, nec ad eiuſdem voluntatem ſe accommodaret & reſpõderet, illa ipſimet dixit, *Quomodo amas me, cùm animus tuus non ſit mecum? per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere in quo eſt maxima fortitudo tua, quomodo dicis me à te amari; cùm id quod te rogo non facias?* Ad quem modum ſi Deus tibi præcipit, vt diligas inimicos tuos, vt benefacias iis qui te oderunt, vt reſtituas rem alienam, vt quod ſupereſt des eleemoſyna, & nulla horum facis, quomodo dicis, quod Deum amas? aut quomodo poterimus credere te Deum diligere, ſi ſermonem & legem eius non cuſtodis? Ideò charitas per ignem ſignificatur in Euangelio, vbi dicitur, *Ignem veni mittere interram:* & alibi, vbi etiam dicitur, *Carbones ignis congeres ſuper caput eius*, quia quemadmodum nemo illum ſic poteſt occultare, quin per calorem, vel lucem, vel fumum ipſe manifeſtus fiat: ita nec amorem. *Quis poteſt continere ignem in ſinu ſuo*, ait Salomon, *& non comburantur veſtimenta eius?* Quis infirmatur, ait Paulus, *& ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Quod quidem dixit, poſtquam multa; quæ propter charitatem Dei & amorem proximi paſſus fuerat, retulit. Licèt amãs amorem diſſimulare & dilectionem abſcondere contendat, illud tamen efficere minimè poteſt: pallidus enim & macillentus vultus, crebra ſuſpiria, frequentes lacrymæ, & continua corporis membrorúmque iactatio amorem ipſum apertè teſtantur: quod idem vult Deus in homine charitatem habẽte

Iudic.16.15. *Luc.12.49.* *Rom. 12.20.* *ſimile.* *Prouerb. 6.27.* *2.Cor. 11.29.* *ſimile.*

fieri, nimirum quòd cor & amor ipſius per operum effectus manifeſtentur, ſeu, quod idem eſt, quod cordis affectus ſint idem quodāmodò ac operis effectus, quales ſuos fuiſſe teſtatur anima ſancta dicens, *Flores mei fructus honoris & honeſtatis*, quia in ea ſimul erat fructus cum floribus, & flores ſeu affectus amoris ſimul etiam erant cum fructibus, hoc eſt, cum operum effectibus; quod etiam Chriſtus Dominus voluit diſcipulis ſignificare oſtendens eis manus ac latus, ſeu, quod idem, manus perforatas quæ nihil retinerent, & omnia darent, & latus apertum, per quod cor ipſum perſpicere ita poſſent, vt nihil occultum in eo remaneret. Præbuit itaque manus cordi proportionatas, & cor proportionatum quoque manibus, vt inſinuaret per opera manuum eſſe cordis amorem manifeſtandum, quam eandem doctrinam Chriſtus Dominus hoc eodem Ioannis capite iterum inculcauit dicens, *Si diligitis me, mandata mea ſeruate*; & *cap. 21.* propoſuit Petro perdiſcendam, quando quaſi per examen amoris illum ter interrogans an ipſum plus quàm cæteri diſcipuli amaret, ipſummet ter etiam reſpondentem, *Tu Domine ſcis quia amo te*, docuit eundem amorem debere manifeſtare in paſtu, quem ouibus ſuis daturus erat, dicens illi, *Paſce oues meas*, hoc eſt, proximos tuos ſicut te ipſum dilige.

Eccleſ. 24. 23. *Ioan. 20. 27.*

Simile. Quinetiam ignis charitatem ſignificat, quia ſicut admodùm difficile eſt validiſſimo ignis incendio ſemel excitato occurrere, & eleuatas ipſius flammas extinguere: ſic aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, vt dicitur, vbi primùm ipſa cor & *Cant. 8. 7* mentem occupauit, quia nempe nihil eſt amanti

diffici

difficile, quantacumque in obſeruatione legis amoris occurrat difficultas, obſeruationem ipſam non poterit impedire, neque (vt dictum eſt) ſicut aqua materialis ignem, ita aquæ multæ, hoc eſt, multi per aquas ſignificati (iuxta illud Dauidis, *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*) poterunt charitatem extinguere, neque amantem à Chriſto & ab obſeruatione legis eius vnquàm ſeparare: ſic per amorem adhærere Deo bonum eſt iuſto, & ponere in Domino ſpem ſuam, ſicut de ſe dicebat Dauid vt de ſua etiam anima diceret, ***Adhæſit anima mea poſt te***, & ipſe Deus per eundem, *Innocentes & recti adhæſerunt mihi*; ex qua ad hæſione & conglutinatione tanta vnio ipſius charitatis inter hominem iuſtum & Deum reperitur, vt maximè illi vnioni aſſimiletur, quæ inter verbum diuinum & humanam naturam repetitur: ſicut enim ipſa tanta fuit, vt quod per eandem aſſumpſerit, nunquàm dimiſerit (authore Anſelmo) imò naturalis animæ & corporis vnio per mortem, quâ ad inuicem ſeparata fuerunt potiùs quàm eadem diuini verbi & humanæ naturæ vnio, quæ naturalis non fuit ceſſauerit & diſſoluta fuerit: Sic etiam adeò per charitatem anima iuſti conglutinata eſt Chriſto, eius membris, tantumque illi adhæret, vt potiùs anima ipſa à corpore per mortem ſeparetur, quàm idem iuſtus à charitate Chriſti ſit ſeparatus. Id quod Paulus planè de ſe & de cæteris Deũ, diligẽtibus aſſerere nõ dubitat dicẽs, ***Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an periculũ, an perſecutio, an gladius?*** & paulò infrà, ***Certus ſum enim, quia neque mors, neq; vita, neq; Angeli, neque Principatus, neq; virtutes, neque***

Pſal. 68. 2.
Pſal. 72. 28.
Pſal. 62. 9.
Pſal. 24. 21.
ſimile.
Rom. 8. 34-37.

inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo; neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Chriſti, quæ eſt in Ieſu Domino noſtro: vbi per charitatem Chriſti ea intelligitur quæ ad eius membra, nimirum ad proximos noſtros, qualeſcunque ſiue amici, ſiue inimici ſint, pertingit & extenditur. Quemadmodum enim quando Dauid dixit, *Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saül, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* eam intellexit, quæ propria eſt Dei, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, benefaciendo iis qui eum oderunt, vt miſericordia propria hominis eſt benefacere iis tantùm à quibus bona accepit: ſic etiam charitas propria & peculiaris Chriſti eſt illa, quæ ad inimicos etiam extenditur, & non ad amicos ſolos terminatur: cùm enim ipſe dixerit, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ponat quis pro amicis ſuis*: De charitate eiuſdem Chriſti Domini dicitur etiam ab Apoſtolo, *Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori?* Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & de hac charitate propria Chriſti, quæ ad quemcunque proximum ſiue amicum, ſiue inimicum pertingit, dicebat Paulus, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? mors, an vita, an tribulatio, an fames, an nuditas*; &c. Quaſi diceret, Nihil profectò, quantumcunque difficile & horrendum ſit, nos impedire poterit, quominùs Chriſtianæ pietatis officia erga proximum exerceamus; atque ideò Corinthiis ſcribens ipſe ait: *Ego autem libentiſſimè, impendam & ſuperimpendar pro vobis*, quod dicebat & faciebat, vt charitatē Chriſti imita-

Simile ex 2. Reg. 9. 3.

Ioan. 15. 13.

Rom. 5. 7.

Rom. 8. 34.

2. Cor. 12. 15.

imitaretur, à qua nullo labore ſuperueniente ſeparatus fuit: Ecce quomodo aquæ multæ laborum & tribulationum non potuerunt extinguere charitatem, ſeu ignem charitatis diligentium Deum, nec flumina obruent illam; ſicut ex 8. Cant. retulimus ſuprà, & quomodo qui diligunt Deum abſque dubio non obſtante quâcunque difficultate ad obſeruandam dilectionis legem ſuperueniente nihilominùs illam exactè ſeruabunt.

Hunc prætereà ſenſum hæc eadem verba efficere poſſunt; *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*; hoc eſt, Si quis in oculis me habuerit, vel ſi quis affectionis oculis me viderit, videbitur in eo quædam charitatis ſimilitudo, cernetúrque in ipſo exacta quædam meæ legis circa dilectionem poſitæ obſeruatio, & ita certè fieri ſolet: eſt enim anima hominis (vt docet S. Dionyſius) veluti quoddam ſpeculum, cuius facies ſi versùs cœlum ſpectet, eius recipit ſimilitudinem, ratione cuius eidem ſimile remanet, cùm non ſolùm cœruleum eiuſdem colorem, ſed lucidiſſima etiam ipſius lumina, ſplendidiſſimáſque ſtellas in ſe videatur habere; Si verò versùs terram conuertatur & inclinetur, proſpiciat, iam non cœli ſed terræ ipſius, ſterquiliniorum horridorum, paludum lutuoſarum, cæterarúmque ſpurcitiarum, quibus maximè ſcatet apparentiam habebit. *Dixit inſipiens in corde ſuo; Non eſt, Deus*, ait Dauid, quaſi dicat, Tantum abeſt, vt inſipiens peccator Deum diligat, quòd neque ipſum eſſe in rerum natura arbitretur; & addit deinde, *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus, nõ eſt, qui faciat bonum, Deus de cœlo proſpexit, vt videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum, omnes declinauerunt*

Simile ex D. Dionyſio.

Pſal. 13. & 52. 1. 2.

runt ſimul, inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum : vbi ex eo, quòd non eſt, qui intelligat Deum, intellectúmque diligat & requirat, quia omnes declinauerunt, ſeu, quod idem eſt, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram (eam ſcilicet amantes & quærentes) vt etiam ait idem alibi, inutiles corrupti & abominabiles facti ſunt, iuxta
Oſee 9.10 quod habetur ſimiliter, quòd *facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt*; inde rectè infert Auguſtinus, ſi terram diligis, terra es, ſi cœlum diligis, cœlum es, minus dixi, ſi Deum diligis, Deus es; & quando illi, qui quodam modo ſunt dij, quia Deum diligunt & ſermonem eius ſeruant, de quibus dictũ
Ioan. 10. 35. eſt, *Illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt*, aliò ſe conuertunt, ſeu auertuntur à Deo, & ad abominabiles creaturas conuertuntur, illud amariſſimis Hieremiæ lacrymis meritò atque optimo iure eſt deplorandum: dicebat enim de illis & aliis ſimilibus
Thren. 4. 1.2.5.6. populi Iſraëlitici hominibus, *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* & paulò pòſt, *Filij Sion inclyti & amicti auro optimo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea?* & rurſus inferiùs, *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* & denique, *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphyro pulchriores denigrata eſt ſuper carbones facies eorum*, quia nempe abominabiles facti ſunt ſicut ea, quæ dilexerunt, & ſicut ſpeculũ, in ſe receperunt imagines & ſimilitudines ſeu participationẽ eorũ, quæ ſpectarunt, & ad quæ per amorẽ conuerſi ſunt. Qui ergo dilectionis oculis Deum perſpexerit, perſpicietur in eo abſq; dubio exacta quædã diuinæ legis obſeruatio.

Educi denique poterit ex his verbis hic ſenſus, ipſis valdè conformis, *Si quis diligit me ſermonem*

meum ſeruabit, id eſt, Qui legem meam, vt debet, ſeruaturus eſt, illud ex charitate efficiat, ſeu, quod idem eſt, Deum diligat, & eius legem ſeruet: ait enim Paulus, *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; ex quibus verbis planè conſtat, opera, qualiacumque ſint, ſine dilectione, vt Deo placeant, minimè ſufficere, nec eidem ſufficienter grata eſſe, ſicut munus ex oſſibus ſine medullis & corroſis, ſiue ex cruſtis auellanarum, ſiue ex nucibus caſſis confectum nulli gratum eſſe conſueuit. Quapropter Dauid Deo dicebat, *Holocauſta medullata offeram tibi*; quaſi diceret, Opera amoris expertia non offeram tibi, Sed ea, quæ ex charitate & amore, (qui medulla eſt operum) ortum habent. Reſpexit quidem Deus priùs ad Abel, deinde ad munera eius, ſicut habetur in Geneſi, vt doceret potiùs ad amorem & voluntatem dantis quàm ad datum ipſum eſſe reſpiciendum; hanc autem voluntatem pluris, quàm cætera omnia Deus facit, quia omnia illa magis eiuſdem Dei ſunt, quàm ipſa voluntas, quæ libera eſt; & quamquàm cor humanum in manu Dei eſt; & ſicut diuiſiones aquarum quocumque voluerit, verter, illud tamē nihilominùs Dei eſt, ideóque ipſum pluris facit quàm reliqua omnia, quæ in toto orbe terrarum reperiuntur: nam *Domini eſt terra, & plenitudo eius*, vt ait Dauid, quamobrem ipſe Dominus per os ipſius Dauid ait, *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de domo tua hircos, quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus & boues*; & infrà, *Si eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ*, &c. Cùm verò ea omnia ſint Dei, quando illa ipſi damus, dicere eidem debemus, quæ tua ſunt & de manu tua accepimus, reddimus tibi, ſicut

1. Cor. 13. 3.
Pſal. 15.
Geneſ. 4. 4.
Pſal. 23. 1
Pſal. 49. 9. 10. 12.

flumina reddunt aquas mari, à quo eaſdem accepe-runt; & ideò cùm illi, quod ſuum eſt, demus, non magni illud ab eo æſtimari poteſt, quod autem ab eo magni fieri ſolet id eſt, quod magis noſtrum & minùs ſuum eſt, quod eſt cor: illud enim tanquàm tale peculiariter ab vnoquoque poſtulat dicens, *Fili mi, præbe cor tuũ mihi*, in quibus verbis inſinuat amorem cordis idcirco ſibi magis quàm cætera omnia dona placere, quia cor ipſum peculiariter noſtrum dicitur: *Nam conſtituit ab initio Deus hominem*, vt dicitur alibi, *& reliquit illum in manu conſilij ſui*, cùm ipſi cor liberum dedit, vt id quod vellet diligeret, vel odio haberet. Et ſicut res parua & exigua magni fieri & æſtimari ſolet, ſi cum amore detur, vt patet in poctu, ſeu calice aquæ frigidæ propter amorem Dei dato, & in duobus minutis æris, quæ à vidua quadam in templo oblata Deo ſunt, & ab eo pluris æſtimata fuerunt quàm magna diuitum oblationes ibidem factæ: ſic etiam res magna & opus quantumuis eximium ſi ab amore non proficiſcatur à Deo parui pendetur & flocci æſtimatur, atque ideò qui legem ſeruaturus eſt, ex amore & dilectione Dei illud faciat, vt ipſa legis obſeruatio ab eodem nõ parui fiat.

Prou. 23. 26. *Eccleſ. 15. 15.* *Simile.* *Matth. 10. 42.* *Marc. 12. 42.*

Quòd ſi ex dilectione Dei in homine procedat, quòd legem Chriſti ipſe cuſtodiat, ille abſque dubio ab æterno eiuſdem Chriſti Patre etiam diligetur, iuxta id quod dicitur, *Et Pater meus diliget eum*, in quibus verbis datur intelligi, quòd amor non niſi amore rependitur, nec cum re alia, qualiſcumque illa ſit, quàm cum amore rectè commutatur. Vnde in ſacris literis dicitur; *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*; nihil enim eſt, quod adæquatum ſit dilectionis præmium, niſi dilectio alia priori correſpondens, nec

Cant. 8. 7

amanti adæquatè pro amore ſatis fiet, quamuis quidquid eſt in toto terrarum orbe pro eo eidem concedatur, ſi à dilecto ſuo non redametur. *Quid mihi eſt in cœlo*, ait Dauid, *& à te quid volui ſuper terram?* quaſi dicat, licèt mihi quidquid eſt in cœlo & in terra ſine te & tuo amore pro meo detur, non tamen te amans ſine tuo amore ſatisfactus euadam, quia dilectio ſola tantummodò dilectione rependi poteſt; atque ideò hîc dixit Chriſtus, (& eãdem ſententiam ſæpe repetiit & inculcauit verbis nõ multùm diuerſis) quòd ſiquis ipſum dilexerit, ab ipſiuſmet Patre diligetur etiam; nec ipſe diuinus amor, quo Deus nos diligit, eſt tantummodò in illo effectus, ſed effectus etiam erga nos ipſos dici poteſt. Plato in Socratis conuiuio in oratione Ariſtophanico dicit, amorem Dei vnicum beneficium & cauſam omniũ bonorum: amore enim mundum condidit, & omne bonum creaturæ à Dei amore dimanat, vt à fonte, & tantum in creatura boni eſt, quantum à Deo diligitur; amor enim vult amato bonum, Dei verò amor cùm vult bonum dilecto, illud ipſum bonum in eo operatur, amor quidem noſter dilecto bonum vult, ſed non præſtat, quia impotens eſt, ſed amor Dei, quia omnipotens eſt, & ipſe Deus, *Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra*, vt dicitur à Pſalmiſta, inde eſt, vt quod bonum dilecto vult, illud idem ipſi præſtet, & quòd ſi omnia bona vult amato, eadem ipſimet faciat, id, quod oſtendunt illa verba, quæ poſt alia illa, *Et Pater meus diliget eum*, ſtatim ſequuntur, nempe, *Et ad eum veniemus*, per gratiam ſcilicet in hac vita, per quam etiam & nos ab ipſo dilecti ad eundem veniemus in alia, per gloriam, in qua manſionem apud ipſum faciemus in ſecula ſeculorum. Amen.

Pſal. 72. 25.

Pſal. 134 6.

HOMILIA IN ILLVM LOCVM MATTH. VLT. 19.

Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

cap. 45. 15. Pſal. 17. 12. VErè tu es Deus abſconditus, aiebat Iſaias cum Deo loquens, & meritò, quia (vt inquit Dauid) *Ipſe poſuit tenebras latibulum ſuum*, quoniam quàmplurima Diuinæ legis ſacramenta abſcondita, & velata ſunt ante humanos oculos, dicebat eidem Deo ipſe Dauid,
Pſal. 118. 18. *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*; quaſi diceret, Amoue Domine velamen ab oculis meis, vt quæ mirabilia ſunt in lege tua percipere poſſim. Maiori igitur cum ratione conſideraturi nos hodiernâ die mirabilium omnium mirabiliſſimum ſacroſanctű indiuiduæ Trinitatis myſterium, ad Deum ipſum dicere debemus, Reuela oculos noſtros, & conſiderabimus mirabiliſſimum inter omnia tua ſacroſanctű indiuiduæ Trinitatis myſterium; ſuper quæ verba ait Ambroſius cum vnoquoque noſtrûm loquens, *Conuertere ad Dominum*
Act. 9. 18. *Ieſum Chriſtum, & velamen cadet*; Sicut ſcilicet in conuerſione Pauli ad Chriſtum (vt dicitur) velut ſquammæ ceciderunt ab oculis eius, ita vt videret quod anteà non videbat. Poſtulemus ergo à Chriſto Domino, vt ad tantum myſterium conſiderandum

ab ocu-

ab oculis noſtris velamẽ cadat, ipſoſque per gratiam ad hoc ipſum aperiat, & hoc faciamus adhibitâ interceſſione piiſſimæ Virginis ipſius matris, dicentes eidem, *Aue Maria*, &c.

Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Præcipit Chriſtus Dominus his verbis Sacerdotibus (quorum perſonam Apoſtoli gerebant) vt myſteria fidei, & præſertim Baptiſmum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti faciendũ, doceant, ſimúlque præcipit reliquis hominibus, vt tanquàm boni Sacerdotum diſcipuli, myſteria eiuſdem fidei, & præcipuè Baptiſmũ ipſum tali formâ adminiſtrãdum, diligenter, humiliterque perdiſcant & accipiant, & iuxta eadem fidei myſteria obedienter operentur. Hoc enim ſignificant, vel ſaltem inſinuãt propoſita verba, nempe, *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Debent itaque Sacerdotes à Deo humiliter poſtulare, & accipere id quod cæteris hominibus tradant, quodque viciſſim homines ipſi ab eiſdem recipiant, iuxta id quod Paulus de ſimilibus myſteriis loquens ait: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, &c. Porrò modus docendi, idẽ eſt, axiomata quędã (articulos nempe eius) in principio ſtatim proponere diſcipulis quę demonſtrari eis non poſſunt (vt de axiomatibus ait Ariſtoteles) quęque ab ipſis integra accipienda ſunt, ne ſi eadem penetrare conentur, fruſtrà & in vanum laborent, & potiùs cœcutiant quàm videant. Ad quem modum, qui rerum Diuinarum cognitionem traditurus eſt, articulos fidei integros, credẽdos proponere debet, ne ſi ſigillatim & diſtinctẹ cognoſci procurentur, penitùs ignorentur & neſciantur. Sicut enim pru-

1. Cor. 11. 23.

Ariſt. 1. Poſt. com. 6.

ſimile.

dens & doctus medicus cognoſcens infirmum potione amarâ, vt à mortiferis humoribus purgetur, omninò indigere, nec tamen poſſe eâdem potionem ſumere, præ nimiâ naturæ infirmæ debilitate, & acerbiſſimâ guſtus amaritudine, ex eâdem potionis materia pilulas conficit, eáſque integras deglutiendas ipſi infirmo porrigit, quia ſi illæ terantur & maſticentur, ab ipſo nimis amaricabunt, & nullatenùs deglutiri poterunt: ſic etiam prudens fidei Doctor ſeu Magiſter, cognoſcens humanum intellectum peſſimis falſitatum erroribus pleniſſimum eſſe, ac ideò indigere valdè, vt ab ipſis per fidei veritatem quaſi per potionem purgetur, non poſſe tamen præ ſuâ infirmitate & incapacitate eiuſdem fidei articulos, & cætera ipſius myſteria (niſi integra) ſumere, quin quaſi abſenthium amaritudinem quandam & acerbitatem in eo efficiant, præcipit vt ipſius fidei veritatem reuelatam, articulóſque eiuſdem integros quaſi pilulas deglutiat, quia ſi ipſos dentibus quodammodò terat, hoc eſt, diſtinctè cognoſcere & penetrare procuret, tam acerbi & amari eidem videbuntur, vt nullo modo eoſdem ſumere & accipere valeat. Prudens itaque, & ſapiens fidei Catholicæ Magiſter integros ipſos fidei articulos credendos proponat & doceat, ſicut humilis bonúſque eiuſdem diſcipulus eoſdem integros accipiat & credat, id quod Eccleſiaſticus

Cap. 3. 22. 23. apertè ſignificat dicens: *Altiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus: non enim eſt tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis.*

De Pythagora Philoſopho ſui temporis eximio memo

moriæ proditum eſt, quòd cùm Philoſophiam doceret, in primis ſeptem annis diſcipulis ſuis non permittebat, vt de iis quæ docebat, ab ipſis interrogaretur, ſed volebat vt ipſiuſmet dictis acquieſcerent, nec circa illa eo tempore aliquid quærerent: Quid ergo non de naturali Philoſophia, ſed de ſupernaturali fide dicendum eſt? Si teſtimonium hominum accipitis, inquit Euangeliſta, teſtimonium Dei maius eſt, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo. Ariſtoteles ait, *Diſcentem credere oportet*, ſignificans ſcientiam minimè perdiſcere poſſe eum, qui dictis docentis ſaltem in principio ſcientiæ fidem non adhibet. Quapropter maiori cum ratione circa ea quæ ſunt fidei, ait Propheta, *Niſi credideritis, non permanebitis.* Rectè aduertit Auguſtinus, vitam humanam ſine fide nullo prorſus modo poſſe conſiſtere: ſi namque omnibus in rebus euidentia requirenda eſſet, nullus filius patrem ſuum pro patre reputaret, & ſic de cæteris, in quibus fides eſt prorſus neceſſaria, ne in rebus ad humanam vitam ſpectantibus perturbatio & confuſio reperiatur. Multò magis igitur in rebus Diuinis noſtrum captum valdè ſuperantibus fides neceſſaria exiſtet, & euidentia minimè requiretur.

Ioan. 5.

Ariſt. 1. Elench. c. 2.

Iſa. 7. 9.

Auguſt. lib. de vtilit. cred.

Nec tamen propterea cognitio fidei articulorúmque eius euidentiâ carés, minoris facienda eſt quàm illa quâ res naturales euidenter penetramus & diſtinctè intelligimus, imò multò melior eſt, ac ideò multò pluris æſtimanda. *Meliora*, inquit Sponſus, cum Sponſa, hoc eſt, cum Eccleſia, loquens, *ſunt vbera tua vino:* Significans, melius eſſe lac quod ab vberibus Eccleſiæ eius filij clauſis oculis, inſtar

Cant. 1. 2.

puerorum,ab vberibus matrum ſuarũm lac ſuggentium, ſugunt, quàm vinũ cuius colorem & odorem percipiunt, quando illud bibunt; quod idem eſt ac dicere, quòd ex iis quæ in Eccleſia & extra illam reperiuntur,illa quæ ab eiuſdem filiis ſine euidentia accipiuntur & creduntur, quales ſunt fidei articuli, vtiliora, meliora, & maioris meriti ſunt erga eoſdẽ, quàm illa quæ ipſi euidenter cognoſcũt, qualia ſunt iuris naturalis præcepta, & quæcunque alia per demonſtrationem, ſeu per inductionem, vel experimentum cognita & intellecta. Quapropter non eſt in ipſis fidei articulis à credentibus ipſos credibilitatis euidentia requirenda,nec exoptanda: Siquidem ipſe euidẽtiæ defectus magni meriti occaſio & cauſa exiſtit, ex quo poſteà maxima præmia ſubſequentur.
Pſal.44.11. *Audi filia,& vide*, ait Dauid: & ſimiliter, *Sicut audiuimus,ſic vidimus in ciuitate Domini.* Nam priùs
Pſal.47.9. Lia fœcunda quidem, ſed lippis oculis,hoc eſt,fides
Gen. 29. quæ fit ex auditu, euidentiâ tamen carens, Iacob in vxorem datur,quàm pulchra Rachel,facialis ſcilicet viſio infœcunda, & ſterilis, quia cum ea exiſtentes mereri minimè poſſunt; vnde priùs audire, & auditis obedire oportet, vt beatifica Dei viſio ſubſequatur.

Nec abs re & minùs bene per Liam lippis oculis fides deſignatur, quia licèt ipſa fides,vt ait Auguſtinus, ſit credere quod non vides, & (vt ait Paulus)
Heb.11.1. *Sit argumentum non apparentium*, tamen de eàdem
1.Cor.13.12. loquens ipſe D. Paulus ait, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*; eſt enim fidei cognitio obſcura & ænigmatica quædam viſio, illi ſimilis, quæ lippis
Simile. oculis fieri ſolet. Fit autem per ſpeculum talis fidei viſio, quia ſicut illi qui debilem & infirmum viſum habent,

habent, inſpicillis vti ſolent, vt ſubtiles, & tenues præſertim res, & eas quæ longè diſtāt percipere poſſint: ſic etiam homines, quorum viſiua intellectus potentia per peccatum ita debilis & infirma remanſit, vt res ſpirituales & ab humanis ſenſibus remotiſſimas, qualia ſunt noſtræ fidei obiecta, percipere non valeant, ipsâ fide tanquàm inſpicillis vti debēt, & hoc eſt per ſpeculum in ænigmate videre. Quod aliâ ſimilitudine accommodatè etiam ſignificat D. Petrus, dicens de ipſamet fide, *Cui debemus eſſe attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat*, in quo ſcilicet res ſicuti ſunt videre poſſimus. *2. Pet. 1. 19.*

Cæterùm licèt quaſi de nocte ſine euidentia in rebus lippis oculis videamus eas quæ ad fidē ſpectant: nonnullam tamen, in atteſtante ſcilicet, ſicut docēt Theologi, percipimus euidentiam. Quemadmodū *Simile.* enim qui animal à lōgè aſpicit, nihil ipſius, niſi quod communius eſt, nempe eſſe corpus percipit, cùm interim nec percipiat eſſe animal, nec leonem, nec hunc leonem: Sic qui in obiecta fidei mentis oculos coniicit, non percipit credibilitatem in ipſis repertam, ſed eam ſolùm, quæ in atteſtante, qui eadem atteſtatur (quæ credibilitas in ipſis communior eſt) reperitur. Licèt enim in ſacroſancto indiuiduæ Trinitatis myſterio non videamus rationem, propter quā in illud credendum ſit, videmus nihilominùs in atteſtante ipſum, nempe in Chriſto Domino docente Baptiſmum eſſe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti adminiſtrandum vitæ puritatem, authoritatē, & veritatem, quàm plurimis miraculis confirmatam, propter quam credibile redditur. Et ita quamuis non ſit euidens quòd hic indiuiduæ Trinitatis articulus

eſt credibilis in ſe ipſo, euidens tamen eſt quòd credibilis eſt in atteſtante, quia ſcilicet ipſum docuit Chriſtus Dominus, in cujus ore non eſt inuẽtus dolus, quique ipſum, & cætera quæ docuit, in numeris maximis miraculis, & admirabili vitæ puritate confirmauit. Quapropter quando Chriſtus Dominus præcipit Sacerdotibus, vt doceāt, baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, eoſdem ſimul obligare videtur, vt vel miracula faciant, vel ſaltem taliter, & tam ſanctè viuāt, vt ipſorum vita quaſi miraculoſa etiam credibile faciat quod docēt, licèt tam

Exod. 7. mirabile & tam ſupra naturam cōſiſtat. In Exodo refertur Moyſes virgam miracula faciendi virtutẽ habentem tradidiſſe ſacerdoti Aaron fidem aliis prædicaturo, inſinuans eum, qui fidem eſt prędicaturus, vt ſaltem in atteſtante ſit credibilitas, miracula facere debere, quòd ſi eadem facere non poſſit, ſaltem ad hoc ipſum tam ſanctè, iuſtè, & piè viuat, vt eiuſdẽ

Ioan. 10. 41. vita pro miraculo ſubſtituatur & ſufficiat. De diuo

Ioan. 1. 7. Ioanne Baptiſta, de quo ſcriptum eſt, quòd Ioannes ſignum fecit nullum, refert Ioānes Euangeliſta, *quòd venit vt teſtimoniũ perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum*, quia nempe talis erat eius vita, tanta eius puritas & ſanctitas, vt ſine vllo miraculo verbi Diuini incarnationem ab ipſo denunciatam credibilem faceret, licèt humanum intellectum tanto exceſſu ſuperaret. Tales ergo debent eſſe tantum fidei myſterium docentes, vt in ipſis Ioannẽ Baptiſtā vita imitantibus aliqualis euidẽtia atteſtantis reperiatur, & tales eſſe debẽt diſcipuli, vt dictis Sacerdotũ obediant, nec rationem eorũ inquirant, ſed ſint, vt habet

2. Cor. 10. 5. Apoſtolus, in captiuitatẽ redigẽtes intellectũ in obſequium Chriſti, & ſuſcipientes baptiſmum in nomine

mine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti adminiſtratũ.

In nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti. Innuitur in his verbis vnitas Diuinæ eſſentiæ, & expreſsè refertur Diuinarum perſonarum Trinitas: nam cùm nomen ab vltimo complemento rei eidem imponatur, vt docent Philoſophi, inde eſt quòd vnius naturæ vnum etiam ſit nomen: & è contrà cùm autem dicatur, *in nomine*, & nõ, *in nominibus Patris,& Filij,& Spiritus Sãcti*, planè inſinuatur, in omnibus his tribus perſonis vnã reperiri naturã vno nomine ſignificatã; ac propterea Deus, ſicut eſt in eſſentia vnus, ita eſt in perſonis trinus. Ex quo conſequenter tria eadẽq; veriſſima colligere debemus; quorũ primũ eſt, Deũ eſſe, ſecundũ verò, ipſum Deũ eſſe vnũ, tertiũ denique, eſſe ſimul in perſonis trinũ. Quod ad primũ attinet, Deũ nempe eſſe, eſt tanquàm veriſſimũ habendũ, & firmiſſimè credẽdũ. *Credere enim* (ait Paulus) *oportet accedentẽ ad Deũ quia eſt,& requirentibus ſe remunerator ſit*; vbi nõ dicit, Credere oportet propter quid eſt, ſed quia eſt, quia ex effectibus, quos videmus & experimur, Deũ eſſe planè colligimus. Quẽadmodũ enim cùm ſuauẽ harmoniã, & dulcẽ concentum audimus, quamuis cantores nõ videamus, eos tamẽ vbi harmonia ipſa auditur, eſſe intelligimus: ita qui admirabilẽ mundi huius concentũ ſentit, Deũ, qui ipſum efficiat, eidẽ mundo adeſſe planè cognoſcit. Ad quẽ etiam modũ ſicut quando ſpiritus vbi vult aſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat, vt dicitur, dicis tu, ventus quidem eſt, quia eiuſdem effectum nẽpe ſtrepitũ & arborum motũ percipis: Sic licèt Deũ non videas, & vbi ſit neſcias, ipsũ nihilominùs eſſe effectus quos vidis producẽrẽ minimè ignoras. Quæ veritas lumine naturali homini-

Hebr. 11. 6.

ſimile.

ſimile.

bus innoteſcit: nã cùm nihil impoſſibilius ſit quàm res à ſeipſis eſſe ſuum recipere, nec proceſſus in infinitũ in illis ſit abſq; abſurdo cõcedendũ, neceſſariò dandum eſt aliquid (nempe Deus) quod rerum omnium principium exiſtat, id quod Mercurius Trimegiſtus in libro qui inſcribitur ſacer ſermo, ſignificauit dicens, ἀρχὴ τῶν ὄντων Θεός, Hoc eſt, *Principium rerum Deus*, quod etiam Dauid expreſsè do-

Pſal. 99. 3. cuit dicẽs, *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Et quia hoc ipſum eſt lumine

Plutarch. l. 1. de placit. Philoſoph. c. 7. naturali tam perſpicuum & apertũ, refert Plutarchus, ſolos Diagoram Mileſium, Theodorũ Cyrenenſem, & Eumerum Thegeatem illud negaſſe, quapropter ſe nomine Philoſophorum ipſi fecerũt indignos, vt de eiſdem Ioãnes Damaſcenus refert. Quamobrem de quocũque tale & tantum abſurdum aliquãdo di-

Pſal. 13. & 52. 1. 2. cente ait Dauid, *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*, quia illud foras emittere, & ore proferre, licèt vir inſipiens & ſtultus eſſet, nõ fuit auſus, ne in ipſum inſenſibiles ipſi lapides inſurgerẽt. Imò D. Auguſtinus indubitabilem hanc veritatem reputat, vt in ſuis confeſſionibus dicat, *Faciliùs dubitarem viuere me, quàm viuere veritatem illam æternam cuius ſempiterna virtus & Diuinitas in ſuis operibus dignoſcitur*. Quæ dixerim, non quia ſint aliqui qui hãc veritatem, Deũ

Tit. 1. 16. nempe, eſſe inficientur, ſed quia ſunt non pauci, *qui confitentur ſe noſſe Deum*, vt ait Paulus, *factis autẽ negant*, hoc eſt, ita turpiter, licentiosè & diſſolutè viuũt, ac ſi Deus nõ ſit, qui res iſtius ſeculi curet, & de malè factis iudicet & ſupplicium ſumat. Vnde D. Ioan-

1. Ioan. 2. 4. nes ait: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non*

Pſal. 74. 5. 8. *obſeruat, mendax eſt. Dixi iniquis, Nolite iniquè agere*, aiebat Dauid, *& delinquentibus nolite exaltare cornu*;

& red

& reddens rationem huius paulò inferiùs etiam aiebat, *Quoniam Deus iudex eſt*; Quaſi diceret, Saltem quia Deus eſt, qui vos iudicaturus eſt, nolite iniquè agere. Quã ſimiliter comminationẽ faciebat impiis Iudæis Chriſtus Dominus, dicẽs eiſdem ipſum iniuriis iniquè afficientibus, *Eſt qui quærat, & qui iudicet*; quaſi diceret, Eſt Deus in cœlo, qui deficientem in terris iuſtitiam aliquando tandem de male factis diligenter inquiret & rectè iudicabit, & ſeuerè vindictam ſumet. Quia verò quàm plurimi ſunt qui hoc non conſiderãt, dicuntq; in corde ſuo, *Non eſt Deus*, ſeu, *Non eſt poteſtas Dei in terra*, vt habet Chaldaica tranſlatio, tali opinione ſeducti conſequenter *corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt*, vt dicitur, atq; ideò Deum eſſe quodam modo inficiantur, cùm tot ac tãta opera mala faciant, ac ſi Deus non ſit, cui de ipſis rationem reddere teneantur. Eſt igitur non ſolùm Deum eſſe pro certo habendum, ſed eſt etiam illud idem operibus affirmandum, & non factis negãdum.

Ioan. 8. 50.

Pſal. 13. 1.

Secundum verò, quod eſt, Deum eſſe vnum, eſt etiam lumine naturali perſpicuum. Nam ſi eſſent plures Dij, vel ipſi conformes inter ſeſe, vel diſcordes exiſterent; ſi diſcordes, non poſſet ordo vniuerſi vniformiter perſeuerare, ſicut reuerà perſeuerat, vt apertè patet; ſi autem conformes eſſent, vt vnus ſine alio creaturas gubernare poſſet, aut vnuſquiſque eorundem per ſe ſolum poſſet quãtum ambo ſimul poſſunt; ſi vnuſquiſque per ſe ſolum ad hoc non ſufficeret, patet etiam vnumquemque alio omninò indigere, quòd magna quædam imperfectio eſt, atque ideò in Deo minimè admittenda; quòd ſi vnuſquiſque per ſe ſolum ad vniuerſi gubernationem ſufficeret, alius proculdubiò fruſtaneus, & ſuperuacaneus

eſſet, quod ſimiliter abſurdum natura rerum non admittit: deinde ſi duo eſſent Dij duas etiam volũtates diſtinctas haberent, poſſentque conſequenter velle res oppoſitas & contrarias. Ponamus igitur alterũ illorum velle rem aliquã producere, alterũ verò eam producere nolle, ſi ergo alter illorũ eandẽ rem producit, alter talem productionẽ impedire non valens procul dubiò Deus nõ erit, quia omnipotẽs non exiſtit; quòd ſi ille qui rem producere vult, illam reuerà nõ producit, omnipotẽs profectò, ac propterea Deus nõ eſt, ſed ille qui contrariũ voluit. Si verò alter cogitur id ipſum velle quod alter vult, iam liberũ arbitrium nõ habebit, & erit deterioris cõditionis quàm homo eodẽ libero arbitrio pollens: Si autẽ libero arbitrio nõ careat, ſed alterius voluntati ſubiacere cogatur, inferior illo exiſtet, atque ideò Deus nõ erit. Quibus rationibus, & aliis ſimilibus adducti quàm plurimi Philoſophorũ idſibi circa hoc perſuaſerunt quod Moyſes docuit dicens, *Audi Iſrael Dominus deus noſter deus vnus eſt*, nẽpe Deũ eſſe vnũ. Vnde D. Hieronimus ad Paulinum dicit Pythagorã Philoſophum ab Athenis in exiliũ fuiſſe relegatũ, quia vnũ tantum eſſe Deũ affirmauit. Et Auguſtinus ſimiliter dicit propterea fuiſſe Socratem accuſatum & capite plexum, quia credebat vnum Deum eſſe bonum, & verũ, quod idem de Anaxagora literis tradit Plutarchus in vita Periclis ex dicto Diophiti, & hoc ipſum Sophocles ſic dicit, *εἷς ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστὶ Θεὸς*, hoc eſt, *Vnus verè vnus eſt Deus*; & addit, *θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίᾳ πλανώμενοι ἱδρυσάμεσθα Θεῶν ἀγάλματα ἐκ λίθων καὶ ξύλων*, hoc eſt, *Homines autem multi errore ſeducti fecimus ſtatuas deorum lapideas & ligneas.*

Deut. 6. 4.

Auguſt. lib. 8. de ciu. Dei, ca. 9.

Sophoc. hymno 12.

quàm

Et hoc quidem quod Sophocles fatebatur,& alij quàm plurimi ſui temporis Philoſophi aſſerebant & faciebant, nempe vnum ſolum verum eſſe Deum,& plurimos lapideos, ligneos, aureos, & argenteos ſimul fabricaſſe,& veneratos fuiſſe. Fecerunt tempore legis veteris Iſraëlitæ,& tempore legis gratiæ ipſi Chriſtiani. Dicebat Helias eiſdem Iſraëlitis, *Vſque quò claudicatis in duas partes: ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi Baal, ſequimini eum*. Et de Samaritanis, refertur, quòd ipſi Deum habentes ſimul idola colebant. De Chriſtianis autem nonnullis tempore legis gratiæ vitam luxuriæ & auaritiæ deditam degentibus, Paulus ait, *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt idolorum ſeruitus) hæreditatem non habet in regno Chriſti*: & de aliis voracibus, & ebrioſis ſimiliter ait, *Quorum Deus venter eſt*. Quorum quidem culpa tantò maior & grauior exiſtit, quantò habent maiorem vnius Dei cognitionem, quàm cæteri homines idolorum cultores, qui multos eſſe deos per ſummam vanitatem & dementiam arbitrati ſunt. Vnus igitur eſt, Deus omnium Dominus, qui dixit, *Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam, & non eſt qui de manu mea poßit eruere*: & de eo ſimiliter habetur, *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies*. Cùm autem Deo tanquàm Domino ſeruire debeamus, optimũ nobis eſt, ipſum eſſe vnum, & non plures: ſi enim (vt aiebat Chriſtus optimus & maximus) nemo poteſt duobus dominis ſeruire, quomodo poſſemus pluribus nos accommodare & morem gerere? Vnus itaque eſt Deus, & hoc idem eſt lumine naturali perſpicuum, & nobis pariter vtiliſſimum.

3.Reg.18. *4.Reg.17* *Epheſ.5.5.* *Philip.3.19.* *Deut.32.39.* *Deut.6.13.* *Matth.6.24.*

Quod

Quod denique attinet ad tertiũ, nimirum, Deum, qui eſt in ſubſtãtia & natura vnus, eſſe ſimul in perſonis trinum, illud tanquàm certiſſimum in primis colligi poteſt ex Geneſi, vbi dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã*, cùm tamen nõ dicatur, ad imagines & ſimilitudines noſtras, quia cum pluralitate perſonarum ſignificata per verbum pluralis numeri *faciamus*, vnitas eſſentiæ ſignificata etiam per imaginem numeri ſingularis commenta in Deo reperitur. Colligi deinde poteſt ex alio ſacræ ſcripturæ loco, vbi Filius inducitur ita loquens, *Non à principio in abſcõdito loquutus ſum, ex tempore antequam fieret, vbi eram, & nunc Dominus meus miſit me, & Spiritus eius.* In quibus verbis Dei mittentis, & Dei miſſi, & Spiritus ſancti, fit expreſſa mentio. Et denique colligi poteſt ex eo loco, vbi Paulus ait, *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*; quibus verbis Trinitatem perſonarum inducit, & in aliis quæ ſtatim adiicit, nempe, *Ipſi gloria in ſecula ſeculorum*, inſinuat ſimul eſſentiæ vnitatem. Quòd ſiquis dicat ſe minimè intelligere, quomodo hoc eſſe poſſit, nimirum quòd vnus cùm Deus ſit, tres in eo perſonæ exiſtant, & quomodo cùm Pater ſit Filij principium, non ſit etiam ipſo Filio prior, cumque Filius ſit æquè potens, ac Pater, alium Filiũ non generet, ſicut Pater, nec alium S. Spiritum ſpiret, ſicut ipſe Pater, & Filius. Cæterùm cùm Deus ſit qui vincit omnem ſcientiam, vt ait Iob, erit prorſus à mente alienus, qui ipſum ſe omninò penetrare ſibi perſuaſerit. Nec enim Deus eſſet Deus, ſi ab humano intellectu omninò penetrari poſſet; vnde refert Epictetus, quòd cùm plura de Deo verba ad diſcipulos feciſſet, vt ipſum declararet, & ipſi dicerent, ſe non plenè

Geneſ. 1. 26.

Iſa. 48. 16.

Rom. 6. 36.

Cap. 36. 26.

plenè ea intellexiſſe, eiſdem reſpondit: Si omninò ego declaraſſem Deum, vel ego Deus eſſem, vel quẽ declaraui, Deus non foret. Ad quem modũ dicere poſſumus, quòd ſi Deus à nobis plenè intelligeretur, vel ipſi Dij eſſemus, vel ipſe Deus non eſſet. Eſt igitur ſacroſanctum indiuiduę Trinitatis myſterium fide potiùs tenẽdum, quàm naturali ratione à nobis ipſis perſcrutandũ & explicandum. Fide ergo præſuppoſitâ ad eiuſdem fidei ſtabilitatem operæpretiũ erit, adducere congruam quandam rationem, quæ cùm ipſam fidem nõ præcedat ſed ſubſequatur, ipſimet fidei potiùs inſeruiet, vt ait Auguſtinus, quam iniuriam eidem inferat; ratio ergò quæ deſumpta eſt ex Ricardo de ſancto Victore *cap.3.* ſic ſe habet, Deus eſt bonum infinitum, vt patet, ac ideò infinitè etiam ſui diffuſiuum & communicabile, non ſolùm igitur quomodolibet diffundet, ſed infinitè etiam ſe communicabit: Talis autem ſui diffuſio & communicatio infinita eſſe non poteſt, niſi in ipſo ſit pluralitas perſonarum in quibus talis communicatio fiat: igitur in eodem pluralitas perſonarum concedenda eſt, ne plures eſſe Dij concedantur, id quod ſuprà impoſſibile eſſe oſtendimus. Hæc autem bonitatis infinitæ communicatio fit, quia Pater Filium ſibi ſimilem generat, communicando ei ſuam eſſentiam, bonitatem, & potẽtiam, quæ, quia infinita & æterna eſt, creaturæ ex tempore minimè communicari potuit. Quo etiã modo amor quo Deus diligit ab æterno, quia infinitus & æternus exiſtit, circa creaturam habentem bonitatem limitatam & temporalem non potuit verſari, ſed circa diuinam perſonam, bonitatem habentem infinitam & ſempiternam. Et confirmatur hæc ratio ex eo, quia cùm ignis & aliarum ſimilium

eſt quòd natura in Patre ſit à ſeipſo, cùm eam ab alio non receperit, in Filio autem ab ipſomet Patre per intellectum acceptâ, in Spiritu ſancto tandem, per amorem ab eodem Patre, Filióque acceptâ, ac propter eà tres ſunt perſonæ, non autem tres dij, ſicut nec tres Domini, quia vna ſingulariſſima natura, ſcientia, & potentia in tribus perſonis exiſtit. De quo beatiſſimæ Trinitatis myſterio, quia non pauca, & minimè contemnenda diximus in commentariis quos nuper ſuper Pſalmum 50. in explicatione verſus 13. ſcripſimus, ideò hoc loco in eodem myſterio latiùs explicando diutiùs non immoramur, illud iterum repetentes, quòd meliora ſunt vbera Sponſæ, id eſt, Eccleſiæ, quàm eiuſdem vina: & quòd vtiliora ſunt fidei myſteria (quale præſertim eſt hoc) quæ clauſis mentis oculis quaſi pueri lac ſugentes ab eadem Eccleſia accipimus, quàm ea quæ ab ipſamet Eccleſia apertis ipſis ſimiliter accipimus, nimirum iuris naturalis præcepta, quorum veritates naturaliter penetramus, & euidenter cognoſcimus: nam credendo quæ non videmus, magnum gratiæ augmentum meremur, mediante quo in alia vita perueniemus, ad viſionem beatificam gloriæ, quam, &c.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SENTENTIARVM OMNIVM, RERVM, VERBORÚMQUE hoc in volumine notabilium, Index alphabeticus.

A

CVR Aaron petiit à Iudæis inaures potiùs, quàm catenas, torques, annulos & alia aurea ornamenta 313

Abner in fugam conuerſus, & Aſael proſternens quid, ſignificet 230

Abraham Saram ſororem ſuam vocabat 120

Abſtinentia à cibo quantùm conducat ad ſuperandum dæmonem 233.234 235. qualis eſſe debeat 236

Accipitres cum homine peccatore comparatio 212

Aceruo tritici aſſimilatur Eccleſia 203

Actus videndi quatenus & quantùm mortifer ſit 283 .& ſeqq.

Admiratio vnde procedat 83. quænam fuerit & vnde illa beatæ Mariæ Virginis & S.Ioſeph. 81.89.93.

Aduentus Chriſti Domini prædictus. 317.318. modus illius 320. 322

Ædificium minimè tortuoſum fieri quando dicatur 63

Æger magis eſſe quis dicatur, eiúſque cum peccatore ſimilitudo 54

Æqualitas & ſimilitudo diligenter quærenda in coniugum electione 118

Ambitioſi homines cæci qui 215

Amen, amen dico tibi, verba ſunt iuramenti vim habentia 186

Amici quare neceſſarij appellentur à ſancto Iob. 292. auſcultantes quid ſignificent 404

Amicitia mundi qualis 389

Amor terrenarum rerum quantùm nos obcæcat. 20. Iobi vehementiſſimus in ſuos filios vbi manifeſtatus fuerit. 110. Dei, vnicum beneficium, & cauſa omnium bonorum 447

per Amygdalum quinam ſignificentur 130

Anaxagoras cur accuſatus fuerit, & capite plexus 458

cur Angeli dicantur laudare Deum.90. quare ſcalâ ad aſcenſiones & deſcenſiones ſint vſi 98
Anima vniuſcuiuſque via Domini dici poteſt. 50. quodammodò triangularis eſt.264. quomodo dicatur comedere & bibere. 297 per eam Chriſtus intelligitur 337
Animalia terreſtria in quo differant à volucribus cœli. 3/01
cur Anno duodecimo Chriſtus ſuæ diuinitatis ſpecimen aliquod præbere voluerit 97
D.Antonij primi eremitæ vſſio 77
Apoſtoli electi ſunt poſt mortem diuites,potentes, honoribus cumulati, & in quibus 379. quàm tenero amore Chriſtum proſequerentur.386. cur illis præſentiam. ſuam Chriſtus auferre voluerit 403
Aquæ Iordanis retentæ quid denotent. 265
Aquilę diſſimulatio erga coturnicam qualis.16 cum dæmone comparatio.21 & Chriſti ſimulatur 338
Arca Noe typus Eccleſiæ 168
Arcus ſignificat Chriſtum 341
Arguere quid ſignificet 303
Arrij hæreſis refutatur 4 9
Aſpera in vias planas conuerti quid ſit 69.& ſeq.
Audire idem eſt quod obtemperare 3/7
Aurum charitatem ſignificat 66.134
Authoritas loquendi perditur, quando vox opere non adiuuatur 41.301

B

PER Babylonem mundus intelligitur 45
Baptiſmus quantùm à Circumciſione differat 74
Beatitudo quibus modis acquiratur.24. & ſeq. mons altus eſt 280
Beatus eſt,qui habet omnia quæ vult,& nihil mali vult 8/
Beneficium accipiens eui aſſimiletur à Seneca 128
cur Bona ſpiritualia ſignificauerit Deus per temporalia 325
Boni quomodo malis circumdentur,impij verò bonis circumfluant 22.& ſeq.
Bonum honoris & famæ pluris fit,quàm bonum vitæ apud homines bene de rebus ſentientes. 241. quodcunque huius vitæ imperfectum eſt.263.in peccato quodnam ſit. 179

C

CÆCI à Deo curari & illuminari ſolent duobus modis.217 quinam illi ſint quibus peccatores cæci illuminantur 218
Cæcus prope ciuitatem Hierico illuminatus typus eſt populi gentilis,208.totius etiam generis humani 210
Caligo inter plagas quibus Deus Ægyptios puniuit acerbiſſima, quid denotet 311
Calumniæ quatenus reformidandæ 305

Cam maledictus à Noe, typus impiorum in extremo iudicio. 16.
Cantilenæ moderate poſſum in gloriam Dei dirigi 130
Canum cum litigantibus comparatio 215
Per Capillos capitis cogitationes intelliguntur 180.186
Capparis quóſnam deſignet 131
Caput dæmonis variis ictibus percuſſum fuit in certamine quod habuit cum Chriſto Domino 246
Carnem quis vincere dicatur 231
Cato Vticenſis vitam maxime contempſit 242
Cenſura cœleſtis quid ſignificet 70
Centurionis fides admirabilis 194
Certamen Chriſti in morte an fuerit ſingulare 335
Cerui cum dæmone comparatio 212
Chananeæ mulieris fides admirabilis 23
Charitatis proprium quid. 329. fructus. 351. Dei & proximi. 437. & ſeqq. per ignem ſignificatur, & quare. 439. quàm ſit hodie refrigerata 65.66
Cherubini iuxta propitiatorium poſiti quid ſignificarent 91
Chriſtianus quomodò docendus initio. 449 idololatra quis 459
Chriſtus per Solem ſignificatus, & quare. 1 generaliſſimus Angelorum dux. 4. vt infans quidam ac puer in primo ſuo aduentu, ſed non in ſecundo. 617. licet columba fuerit, iratus tamen dicitur. 18. quàm beneuolus, humanus & amicus erga peccatores. 23.24. paſſus eſt omnem paſſionẽ ſecundùm genus. 26. *Quod facis, fac citius.* 47. cur in præcepio poſitus 86. quare in ſua pueritia ſpeciem aliquod diuinitatis ſuæ præbere voluerit. 27. cur duodennem puerum parentes eius in templum ſecum deduxerũt. 100. quare dicatur remanſiſſe in Ieruſalem. 104. cur perditus eſſe voluerit. 105. accommodatur figuratus per Melchiſedech 111. cur nuptiis Canæ Galileæ interfuerit. 114. de monte deſcendiſſe quomodo dicatur & quid ſignificet. 135. 136. diuerſo modo ſe habet erga peccatores. 148. & ſeq. quare non imperauerit ventis vt ceſſarent quouſque ita iactaretur nauicula, vt operiretur fluctibus. 163. cur pater non Dominus familias appellatur. 179. quod ſignificet, cùm dixit cæco, *Quid tibi vis faciam?* 219. 220. cur à dæmone voluit tentari. 227. cur mundum reliquit, vt cum dæmone congrederetur. 232. quare noluit conuertere lapides in panes. 242. cur voluit transfigurari. 260. cur oculos in monte exiſtens ſubleuaſſe dicatur. 283. non potuit peccare. 301. quando mortuus fuiſſe dicatur. 339. cur ſe paſtorem bonum appellauerit & talis dici debeat. 361. & ſeqq. cur dixerit, quia vado ad Patrem, non autem, quia morior 384
Chronica S. Benedicti certa eſt eiuſdem regula & vita 105
Cibi delicati & pretioſi non exquirendi 296.297
Circuire, verbum eſt proprium dæmonis 240
Circunciſionis lex cur data Iudæis 73
Columba cur iram habere dicatur 17
Columna nubis per diem, per noctem verò columna ignis quid indicent 75
Comedere panem coram Domino quid 129

Concionator quicunque qualis eſſe debeat.42.in eo non debet eſſe vox,iuſta Iacob,& manus peccatoris Eſau 44
Confeſſio qualis eſſe debeat,eiuſque vtilitas 274.275
Conſilium à minùs ſapientibus & prudentibus petendum 294
Conſummatum quid dicatur 102
Conuiuia cum moderatione,ſaturitate & lætitia licita. 128. ad illa qui ſint vocandi 129.130
Cor noſtrum Deus totum requirit,& quare 415
Coronæ iuſtorum & iniuſtorum differentia 259
Corpus peccatoris carcer obſcurus & horridus 179.180
Cubiculum ſecretum Iudith quid denotet 223.237
Curuitas duplex in peccatoris voluntate 53
Cyri cum Chriſto Domino comparatio. 228

D

DÆMON eſt maximè ſollicitus perditionis animarum.182.cur tentarit Chriſtum Dominum in deſerto.225.quis eum profligare dicatur. 231 qualiter ſe geſſerit cum eo decertans Chriſtus Dominus.233.242.& ipſe dæmon.239.246. cur homines prouocet ad ſingulare certamen 349
Dæmones quam infinitos hominibus laqueos parent.exemplo comprobatur 77
Dæmoniacus quare mutus dicatur duntaxat à Luca 275
Danielis viſionem Angeli admirantis comparatio cum D. Ioanne 253
Dauid quàm mitis fuerit & iratus.15 16. nolens bibere de aqua ciſternæ,quid ſignificarit.29 .exemplum boni paſtoris 371
Denarius diurnus quid ſignificet in Euangelio 191
cur Deſertum ſeu ſolitudo fuit locus certaminis quod Chriſtus habuit cum dæmone 229
Deus quando dormire dicatur, & zelum ſuum ſuſcitare 8.9. cur tandiu ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum. 13.aquilæ comparatur.16. cur pedes dicatur habere laneos. 17. in omnibus & per omnia eſt iuſtus & bonus. 22. quomodo ſe erga Iob habuerit.30.cur clamans appellari poſſit. 38. noluit quod diuites ſine pauperibus in domo eſſent.60.tribus maximè offenditur.70.quare Iudæis legem tã duram & aſperam ſeruãdam propoſuerit.73.quomodo eum cognoſcere,admirari & venerari debeat homo.92.reſpectu noſtri , quomodo perditus dici poſſit. 95. quomodo eum quærere debemus.112.accõmodatè rhinoceroti & vnicorni comparatur , & quare. 137.138. vix quæritur propter ipſum.155. quomodo & quare nos tentet. 159.160. licèt tardare videatur,non deeſt tamen,ſi in eo ſolo totã noſtrã ſpẽ poſita habuerimus.164.cur permittat impios in mundo.170.quomodo dicatur conducere operarios ad laborandum in ſua vinea.190. cur permittebat vt hominum corpora à dæmone morbis vehementer affligerentur 269.quando relinqui dicatur.3 3. quando Pater vocari potuit ab homine. 410. quando eum in veritate diligamus,

mus.433.illum eſſe,tanquàm veriſſimum habendum & firmiſſimè credendum.455.vnum.457.eſſe ſimul in perſonis trinum 460
Dies iuſtorum conſummati dici debent 102.103
cur Dij pedes laneos habere dicebantur à poëtis 17
Dilectio viri erga vxorem qualis eſſe debeat 122
Dirigere viam Domini quid ſit 10.32.13
Diſceſſus Chriſti ab Apoſtolis myſteriosè ſignificatur per illum Sponſi à Sponſa 404
Diſcipuli Ioannis quomodo dicantur vidiſſe cæcos videre 19
Diſcordiæ mala quæ 353.354
Diuinæ res in quo differant ab humanis 89
Diuites huius temporis cui rei aſſimilentur. 66. ſunt terra ſpinis conſitis 200
Diuitibus in neceſſitatem vergentibus eſt opitulandum, antequàm verecundiâ afficiantur 132
Diuitiæ & alia huius generis bona non ſunt verè bona.26 comparantur accommodatè cum ſpinis.& quare 200
Doctrina Chriſti vera,& non improbabilis 307
Dolores Chriſti quàm intenſi fuerint 374
cur Dominationes dicantur adorare Deum 90
Domus Regia Salomonis in ſaltu ædificata quid figurarit 177
Dotes diuinæ quatuor,quibus beati ſunt in cœlo condecorandi,per proprietates totidem Solis explicantur 261
Draconis cum elephante pugna 335
Ducis arcem expugnaturi cum dæmone comparatio. 240

E

ECce, particula.in ſacris literis quid ſignificet 135
Eccleſiæ catholicæ calamitas ruina figurata.65.66. quid ſignificet dum ita canit: *Quem laudant Angeli,&c.*90.de latere ſecun di Adami formata 110. per nauiculam deſignatur. 166. durius & periculoſius illius bellum quónam ſit. 169. an regnum cælorum dicatur.174.& ſeq.meſſis nomine ſignificatur.203.eius productio & conſeruatio vide.204.205.terribilis dæmoni.350.quare locus paſcuæ appelletur.361. cur diem iudicij,diem magnam appellet 373
Eccleſiaſtici homines cæci qui 214
Eleemoſina iuſtitia dicta,& quare 63
cur Elephantes in aquam ingredi recuſant 310
Epiſcopus irreprehenſibilis quis dicendus 96
Error paruus in principio maximus in fine eſſe ſolet 100
Ezechiæ regis oratio perfectiſſima. 145

F

FABVLÆ ad veritatis confirmationem inſeruiunt 358
Fel aduerſitatem amaritudine deſignat 217
Fides mulieris Chananeæ admirabilis.93.Centurionis.94. quare in

oratione perfecta requiratur.142.quanta fuit illa Abrahami.405. Dauidis.406 vt doceatur quis,neceſſaria.451.cur per Liam lippis oculis bene deſignetur 452
Filius prodigus & alius filius maior peccat oris & iuſti figuras quo modo 23
Fructus qui ſint quos caro noſtra producit,& cur opera appellentur ab Apoſtolo 101
Frumentum bonorum operum triticum ſignificat 57
Fur quidam ſubtilis noſtri temporis.44. in Eccleſia quis dicatur. 367

G

GEDEON figura Chriſti cum dæmone decertantis 233
Generatio ſpiritualis & prima Eccleſiæ productio per Euangelium facta eſt 204
cur Gladius Dauidis,non ſaxum,quo Goliath percuſſit, in templo fuerit ſeruatus 103
Gloria abſque gratia nullo modo dari poteſt 248
Gradus quindecim templi Hieroſolymitani quid indicent. 256. per Hebdomadas quid ſignificetur. 317

H

HELI amor vehementiſſimus in filios manifeſtatur 110
Herodes pro Meſſia habitus 319
Hieremias zelo domini ſucceuſus,& quare 49
Hiſtoria de quinque panibus & duobus piſcibus cur ab omnibus Euangeliſtis referatur 190
Hidit,inſinuat rer magnitudinem 188
Holocauſta medullata quid 445
cur Homo dicatur omnis creatura.13.349.reſpectu Verbi Dei, vox dici poteſt.50.qui cum vno malo conuerſatur, in maximo periculo verſatur.46. poteſt vnuſquiſque de Deo dicere, *Ecce Deus quaſi vnus ex nobis factus eſt*.87.vnde procedat ipſius humilitas.92. quomodo omnia poſſe dicatur.134.vnuſquiſque eſt imago Dei. 184 cur cæcus dicatur. 210. 211. domus Dei in ſaltu ædificata. 278.quando potuit vocare Deum patrem.410. quomodo Deum debeat diligere 431.& ſequ.
Honor verus quis dicendus 243
Hora tertia,ſexta,nona,&,vndecima quid denotent 181
Horto aſſimilatur Eccleſia 203
Humanæ res à diuinis in quod differant 89
Humilitas hominis vnde procedat. 92

I

IACOB patriarchæ amor vehementiſſimus erga filium ſuum Ioſeph. 110. eius votum maximum. 155. ſpes eius in Deo, proponitur omnibus Chriſtianis exemplo 164. 165
Idololatræ Chriſtiani qui 452
Ieiunium & abſtinentia à cibo quantùm conducat ad ſuperandum dæmonem. 233. 234. 235. quale eſſe debeat 436
Ieiunum corpus & à cibo vacuum lagena Gedeonis 243
Impii quomodo bonis circumfluant, boni verò malis circundentur, 22. & ſequentibus. comparantur illis qui ad patibulum ducuntur. 34. eorum dies non dicuntur conſummati, & quare 103
Implere hydrias aquâ, quid deuotet 222
Indorum à Turcis obſeſſorum cum anima à dæmone oppreſſa 235
In monte Dominus videbit, verſum eſſe in prouerbium dicit ſcriptura 191
Inſpicillorum egregia comparatio 377
Inaures cur petiit Aaron potiùs, quàm catenas, torques, annulos & alia aurea ornamenta 313
Ioannes Baptiſta nunquam peccauit. 30. 32. quare dicatur vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini. 35. 36. cur ſe vocem dixerit. 7. & ſeqq cur clamantis. 38. quomodo prior Chriſto fuiſſe dicatur. 41. quare in deſertum ſe contulit, relicto mundo. 47. 50
D. Ioannis interrogatio his verbis facta, *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis qui ſunt, & vnde veniunt?* explicatur 252. & ſeq.
Iob maximè afflictus à Deo, & quare. 30. 31. eius amor vehementiſſimus in filios ſuos vbi manifeſtatus fuerit 110. qualiter ſe habuerit erga vxorem 120
Ionas in aquis maris ſubmerſus typus Eccleſiæ 168
Ioſeph admiratio qualis fuerit. 83. cur mirabatur ſuper iis quæ dicebantur de Chriſto Domino 93
Iouinianus nuptias virginitati impiè exæquabat 126
Ira & zelus Dei dormire quando dicatur 89.
Iſraëliticus populus erat amicus Dei ſecundum tempus 355
Iudæorum calumniæ in Chriſtum. 304. quare eius verba non audiebant. 308.
cur Iudam amicum, Petrum verò ſatanam Chriſtum appellarit 24
cur Iudex mulierem prægnantem ad mortem condemnatam non iubet occidi 13
per Iudicia Domini quid ſignificetur 352
Iudicium extremum per ſimilitudinem egregiam repræſentatum. 5. prædictum 6. 18
Iuſti cuiuſlibet hominis & Chriſti diſcrimen 302
Iuſti ſunt in duplici differentia. 27. quare multis tribulationibus vexentur in hoc mundo. 28. & ſeq. quales in conuiuiis eſſe debeant 189
per Iuſtificationes quid intelligatur 222
per Iuſtitiam intelligitur eleemoſina, & quare 63

L

LAbores & tormenta non ſunt verè mala.26.28. à Deo dato,torrens dicuntur.38..quanta ſit illorum vtilitas 422
Latronis exemplum quomodo conſiderandum 186
Laudare ſe quis poſſit 364
Legis Euangelicæ ſtatus quis.59.veteris iugum graue. 71. cur iugum dicta.72.quænam iter planum in cælum reddat 77.78
cur Lia lippis oculis fidem bene deſignet 452
Liber grandis,Virginis venter puritate maximus 39
Liberum arbitrium in homine 190
Litigantes homines ſunt cæci 215
per Locuſtam quinam ſignificentur 130
Lutum ſignificat auaritiam. 66

M

MAgdalena mulier peccatrix bona terra effecta eſt 197
Maieſtas diuina in extremo iudicio cur tremenda dicatur 8
Maledictio Dei ſuper impios in extremo iudicio maledictioni quā Noe filium ſuum Cam percuſſit,compararur 10
per Mandata Dei quid ſignificetur 351
Mane primum quid ſignificet 181
Manus diuinæ tactus quid denotet.9.ſponſi tornatiles quid.153.cur eas in oratione extendamus 407
Maria Virgo nunquam peccauit.30 32.299. vox eius optima, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini*.35.conuallis rectè dicta.56.qualis fuerit eius admiratio.89.cur mirabatur ſuper iis que dicebantur de Chriſto domino.93.qualis fuerit eius anguſtia ob filium perditum & amiſſum 110.cur Principi filia dicatur. 111. quod non expectauit vt vinum omni non nullum eſſet,ſed ſimul vt vidit non eſſe ſatis,filij ſuggeſſit vt prouiderer,quid denotet.131.& ſeq.cur ſalutatione Angeli turbata fuiſſe dicatur. 157. collum appellata 299
Mathatias quare zelo ſuccenſus 408
Matrimonium duplici miraculo decoratum.114.cur magnum ſacramentum appelletur. 115. in eo quæ obſeruanda maximè. 116. & ſeq.
Matris amor maior eſt,quàm patris 110
Mel proſperitatem dulcedine deſignat 217.218
Melchiſedech figura Chriſti accommodata 111
per Menſem ſecundum quid intelligatur 12
Mentale verbum quid ſit 38
Meſſiam qui ſe dixerunt 318
Meſſis nomine ſignificatur Eccleſia in Euangelio 203
Militare idem eſt ac viuere 227
Miraculum duplex in ſtatu coniugali 114
Miſereri & commodare quid ſit 187
Modicum,& iam non videbitis me, explicatur 373.& ſeq.

Montes

Montes ſuperbos diuites ſignificant 50
Morbi quando dicantur inuenire homines per peccatum perditos ſeu amiſſos 137
Mortis dolor cur inter cæteros dolores ſit acerbiſſimus. 375. quàm pretioſa illa Chriſti 376
Mortuũ & mortale linguâ Hebraica vnico ſolùm puncto differũt 378
cur Moyſes noluerit virgam in terram proiicere, coram Pharaone 4?.4?
Mulieres ſunt vindictæ appetentes & in ſui guſtus & vanitatis idolatriæ? 19. non ſunt pedes, ſed latus viri. ibid. qualiter tractandæ ſint à viris ſuis. 120.121. quales & ipſe eſſe debeant. 123. quare per illarum generationem ſaluãdas fore dicat Apoſtolus 1.4. quomodo viros ſuos in ſui amore & dilectione conſeruare debeant 125
Mundus quid ſit, & quare fugiendus. 45. quare appelletur terra obliuionis ille in quo viuimus. 8. 9: in eo quidquid eſt, deficiens eſt. 113. illum ſuperare quomodo quis poſſit 150

N

Nauicula Eccleſiam catholicam deſignat 166
Nauis periclitantis comparatio cum eo qui ad peccata propenſus eſt nimis 241
Noctuæ cum impio comparatio 217
Noe maledictioni ſuper Cam ſimilis eſt illa extremi iudicii ſuper impios 10
Nomen iuſti non amiſit, qui quotidie per pœnitentiam reſurgit 27
Nuptiis Cana Galilææ cur Chriſtus interfuerit 114

O

OBliuiſci quis ſit, interdum expedit 158
Oculi ſponſi quare conferantur oculis columbarum 234
per Operarios conductos ad vineam quid ſignificetur 193
Oratio leproſi perfecta. 14?. quomodo aſcenſio mentis in Deum dicatur: ibid. quare in fide nihil hæſitans debeat eſſe. 14?. breuis 144. 145. quid per eam petere debeamus. 146. per eam diabolo reſiſtitur. 133. quænam non exaudiatur à Deo. 408. in quadruplici differentia exiſtit. 413. & ſeq.

P

PAracletus conſolatorem ſignificat. 418. doctorem 420
Paſſionis ſuæ tempus cur Chriſtus medicum appellet 373
Paſtor noſter Chriſtus verè dicitur. 265. Eccleſiæ verus quis. 367. in

eo neceſſaria quæ 369.& ſeq.
D. Paulus ſe primum peccatorum dicens quid innuat. 158 terra petroſa, mollis facta. 199. cur Petrum reprehenderit 306
Pauperes non ſunt ſine leuamine relinquendi donec deficiant 132
Pauperum labor & meritum in quo conſiſtat 60
Pax quid ſit, & eius vtilitas. 347. 348. iucunda eſt, non reliquę virtutes. 350. quid faciendum vt eam conſequamur. 356. & ſeq.
Peccata ad Deum clamare dicuntur. 9. 10 à peculiaribus & domeſticis quomodo nobis cauere debeamus 241
Peccato nimio peccatorum pondere oppreſſus cui comparetur. 51 54
cur Peccatores ſtatim non puniantur à Deo. 13. 14. cur bonis circumfluant in hac vita. 22. & ſeq. publici, cur via dicantur 196. ſunt perſpicaciores & prudentiores filiis lucis 216
per Peccatum quomodo nos ipſi perdimur. 96. eſt morbus, vnde procedat. 270. maximus pondus habet. ibid. triſtitiam affert 388
Pennas columbarum cur petebat Dauid 239
Percuſſit inimicos in poſteriora eius, explicatur 11
Perpendiculum quid ſit 63
D. Petrus cur à Chriſto appellatus, ſit ſatanas, Iudas verò amicus. 24. 244. exemplum fuit illorum qui Dei amici ſunt ſecundùm tempus. 154. eius ſecuritas & quies in carcere. 171. à Paulo reprehenſus 306
Philippus cur prius interrogatur à Chriſto quàm alii. 290 cur eum conſulat Chriſtus 294
Philoſophorum admiratio qualis 83
Phinees quare zelo ſuccenſus 48
Phœnicis cum Chriſto comparatio 339
Pilu bona in eiuſdem ludo quæ dicatur 27
Piſcis cum anima comparatio 241
cur Poëtæ antiqui fingebant ſuos deos pedes habere laneos 17
cur Poteſtates dicantur tremere Deum 20
Præcepta ſiue eccleſiaſtica illa ſiut, ſiue iuris diuini potiùs non mandata, quàm mandata videntur eſſe dicenda 191
Prædictio iudicij extremi explicatur 6
Præſules quales eſſe debeant 369
Prophetæ nos docentes quomodo differant à Verbo incarnato nos etiam docente. 40. eorum vnuſquiſque vox Dei dici poteſt 39.
Proſperitas hominis naui comparatur. 34. quàm ſit nociua & periculoſa 425
Pueruli quo anno in templum deducendi à parentibus 100 101
Pythagorę modus in docendo. 451. quare ab Athenis relegatus. 458
Pithoniſſa à D. Paulo liberata, quæ quęſtum magnum præſtabat Dominis ſuis diuinando 120

Q

QVALITAS cibi non eſt conſideranda 296
Quoque dictio quid innuat illo loco, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum a te*, 277. quid eo, *Tu quoque in ſanguine*, &c. 338

R

REGNVM Iudææ tranſlatum. 319. Chriſti ſpirituale 321
Res humanæ & diuinæ in quo differant 89
Reſurrectio Chriſti celebrata. 331. quomodo facta 339. 340
Reuerentia paſſiuè ſumitur, & pro verecundia 132
Rhinocerotis cornu ſaluciferum, quid denotet 138
Romana reipublicæ ruina vnde prouenerit 169

S

SABÆ reginæ ſapientiam Salomonis admirantis comparatio cum D. Ioanne 252. 253
Sabellij hæreſis refutatur 430
Sacrilegus quis dicatur 367
Saltationes honeſtæ poſſunt in gloriam Dei dirigi 130
Salutem animæ reſpuens qualis ſit 55
vtrùm Sancti in extremo iudicio erunt, vt patroni, pro vltimo remedio adhibendi. 1. eorum animus quando maximè affligitur 48
per nomen Sanguinibus peccatum carnis intelligitur 274
Sara Abrahamum dominum ſuum appellat. 119. clanculùm audit quæ Abraham viro ſuo hoſpites Angeli dicebant 124
Saul ſe interfici iubens armigero ſuo, quid denotet 242. 243
Scalis vtendum, vt à minoribus ad maiora perueniamus, & quænam illæ ſint 98. & ſeq.
Scriptum verbum quid ſit 38
Scriptura ſacra optimum ſcutum ad diabolum debellandum 234
Semen bonum quónam ſit à nobis quærendum 203
Seminatores verbi diuini dedit Deus Eccleſiæ ſuæ ſufficienter ſingulis quibuſque temporibus 205
Semiramis Syrorum regina per columbam iram habentem deſignata, & quomodo 17
Sennacherib populi Iſraëlitici inimicus, figura dæmonis 146
Sententia in Chriſtum data crudeliſſima omnium fuit, & omni genere impietatis pleniſſima 109
cur Seraphin ſe pennis velabant, & facies ſuas cooperiebant 377
Signa in Sole eſſe, non autem Solem in ſignis, quid. 1. 9. quænam fuerint illa primi aduentus Chriſti Domini. 3. quęnam ſecundi 4
Signum militare nigri coloris à Tamberlane erectum, quid denotaret 5
Socrates cur accuſatus fuerit, & capite plexus 458

Sodomitę horribili ſupplicio affecti ſunt merito quidem atque optimo iure 10
Solis ſimilitudo Euangelicę diſciplinę luci accommodatur 209
cur Solitudo ſeu deſertum fuit locus certaminis quod Chriſtus habuit cum dæmone 229
Spes quid ſit 289
Spinis comparantur accommodatè diuitiæ,& quare 200
Spiritus ſanctus in omnibus rebus bene ducit 224.vbi duntaxat habitet.349.vtrùm venire non potuiſſet,niſi Chriſtus priùs abiiſſet.391.398. ab eo quotidiè infinita bona & dona hominibus proueniunt. 394. eius communicatio fit quotidiè inuiſibiliter. 395. cur Paracletus dicatur 417.cur non veneit liberaturus homines,ſed conſolaturus.421.à Patre & Filio procedit 429
Statua Danielis quid præfigurauerit. 66. aurea & deaurata in quo differant 102
Status coniugum duplici miraculo decoratus fuit.114.cur magnum ſacramentum appelletur 115
cur Stellæ ſeu ſydera in zodiaco animalium figuris imaginata,ſigna appellentur 1
Stilla ſermonis quid ſignificet 18
Subiectio ex parte mulierum requiritur maxima in matrimonia 118

T

TALPÆ ſimiles ſunt terrenarum rerum amatores. 20. iniuſti homines 26
Tamberlanes ſæuiſſimus Scytharum rex aſſeruit ſe non eſſe hominem,ſed potiùs iram Dei 5
Templi primi & ſecundi differentia 323
Tempus ridendi quodnam ſit 331.343
Tentatio Dei qualis ſit 159.160
Terra ſignificat auaritiam 66.terra viæ,vel via,quid ſignificet. 195. quid petroſa & ſpinis conſita 198.200
Terribilitèr,in Pſalmo.138.4. explicatur ex D.Chryſoſtomo 92
Tonitruum magnitudinis quid ſignificet 18
Tribulatio illa quæ à Deo prouenit, vtilis admodùm & ſalutifera eſt.139.inuenire hominem quomodo dicatur.219.per eam beatitudo cæleſtis acquiritur 256
Trinitatis perſonæ noſtræ ſaluti ſuo quæque tempore operam dederunt.392.& ſeq credibilis quomodo reddatur 453.454.eius vnitas eſſentiæ probatur. 470

V

VALLIS pauperes humiles deſignant 59
Ventus vrens Hieremiæ explicatur 139
Verbum quid ſit 36.in quo differat à voce.37.quotuplex eſt, ſecundùm Philoſophos.38.diuinum quid. ibid. quod ſit diſcrimen inter incar-

ter incarnatum nos docens, & Prophetas etiam nos docentes. 40. Euangelicum neceſſarium fuit ad primam Eccleſiæ productionem. 204. diuinum ſtans poſt parietem noſtram, ſe manifeſtauit quaſi per feneſtræ cancellos. 226 per illud reſiſtitur maximè diabolo & debellatur 253.254
Verecundia tormentum durum 132
Veritatem loqui eſt proprium opus Dei 379
Veſpaſianus pro Meſſia habitus 319
Via in inferorum regionem tendens qualis 79
Vinci à malo quis dicatur 357.358
Vir qualiter debeat mulieri dominari 119.& ſeq.
Virga Moyſis verſa in colubrum 29
per Virginis fatuas non ornatis lampadibus inuentas qui ſignificentur 13
Virtus verſatur circa difficile 69
Virtutes non ferunt ſecum iucunditatem, ſed moleſtiam & laborem 350
Viſus non ſolùm auditu, ſed etiam cæteris ſenſibus eſt præſtantior 40
Vltio Dei accommodatè arcui aſſimilatur 16
Vnicornis cornu ſalutiferum, quid denotet 138
Vnitas creationis qualis 348.349
Vocale verbum quid ſit 38
Volitum nihil eſt, niſi priùs fuerit cognitum 370
Volucres cæli in quo differant à terreſtribus animalibus 310
Voluntas vniuſcuiuſque per viam Domini intelligi poteſt. 52. quæ ſit perfectè derecta 56
Voluntas & poteſtas duæ manus Dei æquales 143.144
Vox, optima, vox conſenſu beatiſſimæ Virginis dicentis: *Ecce ancilla Domini. &c.* 35. in quo differat vox à verbo. 37. quid ſit, 40

Z

ZELVS & ira Dei quando dormire dicatur. 8.9

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7-3

Digitized by Google